




Uffleger
b10
G


Sehm. 45 (1)

SOCIÉTÉ
ÉCONOMIQUE
à Fribourg.

Donné par
Mr. JOS. UFFLEGER.

⊗ R 259569360





NOTÆ
IN EVANGELICAS
LECTIONES, QUÆ PER TO-
TVM ANNUM FESTIS SANCTORVM
DIEBVS IN ECCLESIA CATHO-
LICA RECITANTVR.

OPVS AD PIE MEDITANDVM
*ac simul ad precandum Deum accommo-
datum, & nunc primum in lu-
cem editum.*

AUTHORE
R. P. PETRO CANISIO SOCIETATIS
IESV Doctore Theologo.

*Werner
parochus*



1702


Cum peculiari Privilegio Sac. Cas. Maiest. ad decennium.

FRIBVRCI HELVETIORVM.
Ex officina Typographica Abrahami Gempelini.

M. D. XCIII.

Soc. Lect. G 8

Annumeror libris Vicarij Kether pluribus Solentur
Et Canonici Electi 262



Summa Priuilegij Cæsarei.

PRoprio diplomate Dn. RVDOLPHI Secundi Romanorum Imperatoris D. N. clementis. cautum ac decretum est, vt præter Abrahamum Gemperlinum Friburgi apud Helueticos Typographum, nullus excudat opus R. P. Petri Canisij è Societate IESV Doctõris Theologi, quod inscribitur *Notæ in Euangelicas lectiones, quæ tam Festis quàm Dominicis diebus aliis in Ecclesia Catholica quotannis recitantur.* Idemque opus siue in toto, siue in parte, intra decem annorum spacium, à primo editionis die computando, sine dicti Abrahami ac hæredum eius consentu, nullus aut typis excudere, aut excusum vendere, & distrahere poterit in Cæs. Mai. Regnis, hæreditarijs prouincijs, adeoque in vniuerso Romano Imperio. Si quis autem secus fecerit, in pœnam confiscationis & amissionis bõnorum incurret, ac aliam subibit multam in literis priuilegij eiusdem expressam. Datum in Arce Regia Pragæ, die vigesima quinta mensis Martij, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, octogesimo nono, Regnorum nostrorum, Romani decimo quarto, Hungarici decimosextimo, & Bohemici itidem decimo quarto.

Rudolphus.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Jacobus Curtius à Senffenu.

Io. Baruitius. D.



MAGNIFICIS
 NOBILIBVS, RARAQVE
 SAPIENTIA ET VIRTUTE PRÆ-
 stantibus viris, DN. IOANNI MEIER, &
 DN. LVDOVICO AB AFRI, PRÆ-
 TORIBVS, totiꝝ spectabili SENATVI
 FRIBVRGENSIS vrbis in Neutonia, Do-
 minis & Patronis admodum obseruandis,
 PETRVS CANISIVS in
 CHRISTO IESV
 S. D. P.

NON ME PUDET SANE,
 nec pœnitet, Ornatissimi viri, priorem To-
 mum nostrum de Notis Euangelicis inscri-
 ptum, & in Republica vestra confectum,
 haud ita pridem in lucem prodisse, præser-
 tim vt votis Cleri vestri Friburgensis, quem honoris gratia no-
 mino, ac simul officio meo collegis iuuandis debito, vtcunq; fa-
 cerem satis. Quod si conatus ille, vt ferunt, gratus fuit lectori-
 bus, habeo certè cur æterno Parenti, à quo tanquam fonte bo-
 num omne dimanat, ex animo gratias agam, & simul mihi
 gratuler de præsentis Lectorum beneuolentia ac humanitate.

Nunc accedit eiusdem Operis Tomus alter, non minus quam prior, à multis desideratus, in quo sacræ Lectiones Evangeliorum, quæ Diuorum festis diebus de more in Ecclesia proponuntur, suas etiam Notas habent vel explicationes, quibus non nihil illustrentur, annexas. Ego verò antequam ad præsentis Operis dedicationem accedam, committere non possum, quin temporis seruiam, & aliquid ijs respondeam, qui noua Fidei dogmata consecrantes, veteris Ecclesiæ nostræ instituto etiam in illo aduersantur, quod iam pridem decretas & hucusq; obseruatas Diuorum ferias inuidiosè tractant, acerbè conuelunt, ac prorsus abolere conantur.

SUNT quippe morosi censors plurimi, qui Ecclesiæ Sanctos (vt recepto & vulgato vtar vocabulo) vix dignantur agnoscere, multoq; minus reuerenter salutare, & Ferijs eorum memoria consecratis nullam tribuunt venerationem. Etenim perinde ac si cum Iuliano apostata, & impijs prorsus Ethnicis in eadem sedeant naui, eiusmodi Sanctos, electa vtiq; Spiritus sancti organa, & splendentia Ecclesiæ lumina, tantum habet pro mortuis, ac disputare audent, an illorū anima vitā in cælis beatā degant. Hos enim ipsos tam altū vel dormire, vel stertere, omniq; sensu destitui, planēq; cacos ac surdos fingere non metuunt, ac si à longo & pergravi somno ad supremum vsq; iudicij diem non expergescant, tum demum vitæ officio, simul animo & corpore restituendi, quum mortui omnes ad vitam immortalem excitabuntur. Quis verò vel modicè in fide institutus non demiretur, Christianos de re tanta tam absurde sentire, ac futiliter loqui? nec animaduertere, inter homines à summo Deo conditos, locum primarium deberi Sanctis, eosq; ex hac

corruptibili vita ad cœlestem translatos patriam, ad qua
 vnà cum Paulo electi omnes aspirant, auctori suo perfecte
 viuere, vitamq̃ cum Augustijs. Redemptore coniunctissimam
 agere, vt certa illa promissio impleatur: Vbi sum ego, illic &
 minister meus erit. Quibus & illud planè consonat: Pater quos
 dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant
 claritatem meam quam dedisti mihi. Quamobrem Aposto-
 lus de Testamenti veteris patribus loquens asserit, eos qui o-
 perati sunt iustitiam, adeptos iam esse repromissiones. Eadem
 verò aliorum, qui perfecte in Domino moriuntur est, conditio,
 eò quod non in spe tantùm, sed sicut in scholis vocant, in re,
 omnibusq̃ numeris felicitatis dicantur & sint filij excelsi, hæ-
 redes Dei, Christiq̃ cohæredes, quos inde ab eterno prædesti-
 natos Deus gratiose vocauit, & vocatos iustificauit, ac iustifi-
 catos etiam glorificauit, tantis quidem cœlestis gloriæ opibus
 illorum animos complens, vt licet stolam vnã acceperint, ta-
 men cunctis mortalibus quamlibet præpotentibus ac florenti-
 bus in immensum antecellant. De his ipsis inter alia Iohannes
 Apostolus refert: Sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die
 ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super
 illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Videntur illi qui-
 dem oculis insipientium esse mortui planè, sed quorum corpo-
 rea mors felix est transitus ad vitam præstantiorem atq̃ An-
 gelicam: vnde sunt in pace, & secundùm animam in perpe-
 tuum viuunt, & apud Dominum tanta est merces eorum,
 quantam oculus non vidit, nec auris audiuit, neq̃ cor hominis
 assequi potest, quemadmodum sacris literis edocemur. Neque
 solum illi cum Christo per beatè regnant, sed ardenti etiam er-

ga nos fratres suos charitate flagrant, eaq; duce de salute nostra cogitant & curant, communemq; dominum pro nobis deprecantur, ac bona multa immerentibus obtinent, sed & Deum suo quidem modo, sicut Basilius Magnus & Gregorius Nazianzenus vocant, mediatores quosdam in caelis exhibent. Neque tamen idcirco Christi summi & incomparabilis Mediatoris excellenti dignitati derogant, quem sane vnum inter Deum & homines noui Testamēti mediatorem esse, semperq; futurum ingenue profiteamur, vt qui semetipsum in redemptionem pro omnibus dedit, sicut Paulus affirmat, qui prae terea nullius alterius indigens, propter semetipsum Patri placet aeterno, & sicut vnicum Caput pro membris, omnium & singulorum nomine perpetuo interpellat, cui deniq; supremum religionis cultum, vt nulli alteri, à nobis adscribi atq; praestari fas est. Neq; in hoc obscuramus, sed potius eiusdem Christi gloria illustramus, cum Sanctos, hoc est, praecipuos eius amicos & fratres, ad eòq; praestantiora eius membra, quae cum illo in eodem throno sedere à Iohanne dicuntur, ad Ecclesiae sensum ac morem honoramus & colimus, nihil quidem ab illis, nisi per Christum & propter Christum ipsorum ac nostrum Dominum hic expetentes. Fatemur item, Sanctos eosdem per se ac de suo petentibus nihil in caelo largiri, qui tamen rogati, suas preces nostris libenter adiungunt, eas reddunt efficaciores, caelesti Patri offerunt, & ab eodem Patre libenter audiuntur, quando quidem ille coniunctis multorum precibus mirifice delectatur. Verum his relictis, quae late patent, & alibi commodius explanantur, ad Sanctorum Feras propius accedamus.

SUNT non pauci male feriati homines, qui Dominicos

dies tantoperè laudant ac vrgent, nullum vt locum Sanctorum Ferijs reliquum faciant, sed eas prorsus in Ecclesia velint antiquari. Alij Christo Redemptori tam parum tribuunt, vt festos dies eidem dicatos fastidiant, atq; vbi possunt, è medio tollere nihil vereantur. Molestum illis ac odiosum est, quod Christi Redemptoris natiuitatem, resurrectionem & in caelos ascensionem sanctam quotannis stato tempore, & sollemniter celebramus, vt reliqua interim Domini nostri opera cardinalia, sicut à Cypriano dicuntur, volens præteream. Quid isti quæso Sanctorum ferijs concedant, aut concedendum putent, qui suum & præcellentem honorem inuident ac adimunt Christo Sancto sanctorum, & Capiti totius Ecclesie siue in caelis triumphantis, siue in terris militantis? Annon sese disiungunt isti ab vniuersis rectè Credentibus, qui complures dies festos sui Saluatoris memoria consecratos tot seculis vbiq; gentiù religiosè receperunt, & constanter hætenus obseruarunt? Nec desunt hodie, à quibus non leuiter disceptetur, sit ne Dominicus dies, cuius etiam meminit Iohannes Euangelista, perpetuo & sollemni ritu palam sanctificandus. Etenim rebus in religione nouandis addicti, hoc nunc proprium tenent, vt cultum ferè omnem externum, qui sacris ferijs ac templis adhibetur, hostiliter insectentur. Quanquam non possunt inficiari, expresso Dei verbo esse consentaneum, vt sicuti tertium Decalogi præceptum requirit, non modo Iudeorum synagoga vetus, sed & Christianus populus in exteriori cultu ad summi Dei gloriam exerceatur, Christiq; Domini & Capitis sui conformetur exemplo. Tolerabiliores illi censores videntur, qui vt aliquid veteri concedant Ecclesie, illorum Sanctorum celebrandas ferias

excipiunt, qui in Euangelicis literis prædicantur, quemadmodum beatissima Virginis Deiparæ, laudatissimi Prophetæ Iohannis Baptista, lectissimorum Apostolorum, percelebris Magdalena, eximijq; protomartyris Stephani. Quod porro ad reliquas Diuorum ferias attinet, eas isti non religiose, sed politice tantum, vt ipsi loquuntur, à populo seruari posse contendunt. Quasi verò penes hos & politicos sit authoritas sacra profanis permiscendi, & certas præscribendi leges matri Ecclesiæ cum graui plurimorum offensione atq; perturbatione. Postremo ex nouis legislatoribus prodeunt quidam adeò lenes atque clementes, vt ea Diuorum Festa recipienda putent, quæ veneranda antiquitatis testimonio commendantur, & magno vtriusq; Magistratus consensu stabilita huc vsq; perseverant: quum alia quæ inferioris classis & minoris ponderis ab ipsis deputantur, mutanda & abolenda esse censeant. Fatemur quidem nos Orthodoxi, inter huiusmodi Feras haud exiguum esse discrimen, & quasdam alijs antecellere, sed simul asserimus, iniquum ab illis postulari, qui quod Magistratibus Ecclesiasticis per vim auferunt, sibi arrogant, de Ferijs nempe mutandis atq; imminuendis, idq; ab illis fieri præter morem, & contra exemplum optimorum Principum, & spectatissimorum Imperatorum.

E A propter in his aljsq; aduersarijs haud leuiter viros prudetes offendit, quod sese tum Pontificibus, tum Episcopis insolenter exæquent, adeòq; impudeter anteponant, velut ex ipsorum præscripto causa de sacris & religione decidenda sit. Peccant præterea, quod in proposito argumento multis modis, vt diximus, inter se ipsi dissideant, & subinde nouas leges figant

atq; refigant, sed qui ferè ad deteriora hodie prolabuntur. Posuerunt enim os suum in cœlum, vt Vates diuinus loquitur, & quasi cum Atheis impie conspirantes, illud nobis occidere videntur: Quiescere faciamus omnes dies festos à terra. Illud multò est insulsius atq; damnabilius, quod hi nouatores velut censoriam sibi virgulam sumunt in Sanctos, quum eorum dicta, facta, scripta sine omni candore denigrant, & malignè corrumpunt, adeoq; tetra superstitioni, & horrendæ idolomania palam adscribere non dubitant. Ita demum Iohannis Ewangelista complent vaticinium, quo prædictum est fore, vt complures ab impurissimo blasphemia spiritu agitati, Apocalypticam sectentur bestiam, suâq; maledicentia Deum, eiusq; Tabernaculum & Sanctos in cœlo habitantes impugnent atque proscindant. Quando enim vnquam Europa tot blasphemis linguis, & virulentis calamis magis abundauit, totiq; insanos rerum sacrarum illusores, ac impios profanatores extrusit? Quod si detestandû istorum morem sequimur, qui sectas inter se dissectas ardentè fouent atq; defendunt, leuiter profecto æstimabimus, facilèq; rescindemus omnem veteris Ecclesie auctoritatem, disciplinam, traditionè, atq; concordem in doctrina pia consensum, sed & cõ vesania redigemur, vt de primis quæ vocant, Theologiae principis multorû exemplo, velut indabatarû more pestilentissimè digladiemur. Etenim incertus erit diuinæ Scripturæ canon, incerta omnis eius interpretatio: quod cuiq; libebit, id licebit Dei verbum ac purum Euangelium iactitare, Apostolorum symbolum in dubium reuocabimus, de Sacramentorum numero, vi & forma nullus erit finis altercandi, demùm quicquid iam olim rectè pieq; sancitû

est, à contentiosis & fanaticis, quorum plena nunc sunt omnia, subinde in controuersiam rapietur.

QUANTUM verò ad veterum Festorum originem attinet, Ecclesia hostes Catholica non possunt diffiteri, hanc ipsam adeò vetustā, receptam, tritam, probatam ac solennem esse, vt principium eius demonstrari nequeat: neq; ignorant multorum sententiam, quibus visum est, huius institutionis caput ad Christiana fidei nostra principes Apostolos referendum esse. Illud sane in confesso est, Apostolicos planè & celeberrimos in Ecclesia viros suā his Ferijs autoritatē iam pridem adiunxisse, quas & sacra Concilia receperint atq; comprobarint. Siquidem de illis nō obscure scribunt Clemens Romanus, Origenes Adamantius, Cyprianus Martyr, Eusebius Caesareensis, Basilius Magnus & Gregorius Nazianzenus. Quid igitur est, cur nos moueat istorum supercilium has Ferias insectantium, quas tot saeculis irrefutabilis Ecclesia commendauit autoritas, & pia recepit vetustas, tantoq; consensu & fructu Christiana posteritas passim complexa est? Certè vbi illa obseruatur Catholicè, & aduigilant Magistratus, illic Diuinus cultus decenter à populo exercetur, & varij ordines Fidelium ad verbum Dei audiendum, ad pios conuentus publicè celebrandos, & ad communes preces religiosè fundendas in Christi nomine congregantur: illic praeterea bonorum omnium autor Deus in Sanctis suis quos ipse honorat, praedicatur, praesertim dum certa illorum historia, & salutaria exempla, ingentiāq; certamina, & augusta in caelis premia vtiliter exponuntur, decantantur, audiuntur atq; considerantur. Rursus illic verè praestari cernimus, quod clarissimus Ecclesia doctor Augusti-

DEDICATORIA.

nus ante annos ferè mille ducentos his verbis tradidit: Populus
 Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate conce-
 lebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum
 confocietur, atq; orationibus adiuvetur. Tum ex eodem Au-
 gustino fit evidens, inter cultum Deo Sanctisq; præstandū per-
 multum interesse: Patriam enim dici servitutē, qua nos Deū
 solum, utpote summum æternūq; bonum, honoremus, eumq;
 cultum fide, spe, & charitate proprie perfici: Sanctos verò non
 uti Deum, sed sicut veros Dei amicos & intercessores, patro-
 nosq; nostros agnosci, coli ac inuocari. Demus autem istis si pla-
 cet, ut quod lubet, etiam liceat eis in eiusmodi Ferijs abolendis:
 an non cæcis perfidisq; iudeis vel stultiores, vel impudentiores
 merito videbuntur? Etenim hi tametsi Ferias in Moysi lege
 præscriptas, & à Deo ipso constitutas habeant, ac obseruent,
 tamen alia quoq; Festa veluti per manus à suis maioribus ac-
 cepta, & à summis Pontificibus comprobata non sinunt anti-
 quari, sed illa mordicus retinēt, ac suis retinenda commendāt.
 Viget igitur apud illos Festum quod vocant, Sortium propter
 Esther reginam, & aliud ob nobilem Iudith vidua victoriam
 institutum. Eodem spectat festum dedicati Templi, quod Salo-
 monis tempore inchoatum, & ab Esdra Scriba, Ducibusq;
 Machabæis postea renovatum, ad Christi peruenit ætatem,
 sicut Iohannes meminit Evangelista. Quod ergo iudeis in sua
 licuit Synagoga, & cum laude ab illis factum est in augendo fe-
 riarum numero, id vetitum erit modo scilicet Christianis, nul-
 laq; constabit autoritas Ecclesie, sicut Dominicum diem, sic
 alia etiam festa piè instituendi atq; celebrandi? Verumenim-
 uerò si apud nos hodie, sicut maiorum ætate, sua Ecclesie fides

& auctoritas inconcussa duraret, cerè à presentibus contentio-
 num incommodis, perniciosis opinionum fluctibus, haresumq;
 scopulis certum naufragium mimitantibus facilius expedire-
 mur, tum profana & seditiosa cessaret, aut cerè langueret li-
 bido tam multa in religione nouandi, ad scissa insuper fidei
 vnitatem reparandam propior adesset facultas, & optatus de-
 mùm pijs fructus in statis Diuorum Ferijs celebrandis ac re-
 formãdis longè citiùs maturesceret ac floreret. Nam & Chri-
 sto Redemptori suus ab omnibus honos in primis haberetur, vt
 is in omnibus ac pra omnibus sincere coleretur atq; inuocare-
 tur, & Sanctis itidè debita reuerentia tribueretur, quibus nos
 ob summa Christi in eos collata munera ex animo gratulare-
 mur, quorum praeterca virtutes & exempla studiosè sestanda
 nobis proponeremus, & quorum preces item sollicitè ac sedulo
 efflagitaremus. Fac autem per multos esse passim, sicut negare
 non possumus, qui Sanctorum Ferijs, immò & Sacramentis
 omnibus, turpiter abutantur: ergòne laude vel excusatione
 dignos illos putabimus, qui prauorum potiùs quàm piorum ha-
 bent rationem, quiq; non sine Dei, Sanctorum & Ecclesia in-
 iuria, in munus alienum inuolant, & sacro receptoq; cultui
 suum pretium improbè suffurantur? Reijciunt ipsi quidem le-
 ges tum Ecclesiasticas tum Caesareas, licet inter se pulchrè con-
 sentientes, quas orbis Christianus nò solum amplexus est, sed
 multorum etiam annorù perpetuitate pacifica comprobauit.
 Qua fronte autem in animum inducunt sibi, vt relictis Ma-
 gistratibus ordinarijs, eorumque legibus & exèplis repudiatis,
 vnum sectentur Constantinum Copronymum Caesarem, quo
 nihil serè vnquam scelestius in numero Caesarum fuit? Is rebus

DEDICATORIA.

magicis ex professo deditus, aduersus religionem & aequitatem omnem ita se gessit, vt monstrum Africanum, adeoq; bellua merito à sapientibus omnibus diceretur. Idem Deiparæ & Virginis omniumq; Sanctorum intercessioni, Reliquijs & imaginibus hostem se capitalem ac furiosum præbuit, horumq; omnium sacro cultu subiectis sibi populis nefariè interdixit: quinetiam vt hæreticam augetet barbariem, multorum verè piorum & innocentum, qui veteri more suam in Diuos pietatem essent testati, profundere sanguinem veritus non est. Verùm præsentis loco non congruit, siue veteribus siue nouis Copronymis, Eustathianis, Vigilantianis atq; Hagiomachis iam pridem damnatis, & nostro etiam sæculo sæpè confutatis, litem nouam intendere, & sicut nos alibi facimus, genuinum Sanctorum cultum vindicare, quem Ecclesia quidem Catholica cum in Oriente, tum in Occidente hætenus religiose complexa est, quem venerandi Patres vt scriptis sic & exemplis insigniter decorarunt, nec minùs Synodorum grauis autoritas luculenter comprobauit, quin & Sanctorum fidißimus propugnator ac vindex DEUS tot tantisq; miraculis, quæ in orbe vniuerso gesta non nisi ab impudentissimis hominibus negari possunt, mirificè collustrauit.

RELICUUM est ea subycere, quæ meum impulerunt animum, sapientissimi viri, ad alterã huius Operis partem, quæ de notis Euangelicis nunc primùm prodit in lucem, nulli alteri nisi Amplitudini vestræ, quæ cum huius vrbs Clero coniunctissimè viuít, reuerenter nuncupandam atq; dedicandam. Huc me sanè gratitudinis debita officium excitat, & quodammodo adigit, cum animo mecum reputo, vt par

est,

est, vos secundum Deum Opt. Max. qui bonorum omnium
 fons perennis existit, Collegij nostri primarios patronos, ac tuto-
 res perpetuos agere. Quotquot enim hoc loco aduenæ, vel ut
 quidam dicere malunt, conuenæ sumus, & institutum Socie-
 tatis IESU profitemur, ante annos non multos ad vestram
 insignem Rempublicam, non secus quàm ad electam Christi-
 vineam excolendam, venimus accersiti, vestroq; beneficio in
 illa ipsa versamur inquilini. Ubi de me nihil dicere attinet,
 quem inde ab initio tam amanter estis amplexi, cum duode-
 cim abhinc annis accedere, aduentantium mox fratrum quasi
 antea mbulo, & dum per atatem liceret, vobis non inuitis
 qualiscunque Ecclesiastes. Certè quamdiu nos in vrbe ve-
 stra coniuncti degimus, tam humanos Dominos quàm be-
 neficos Patronos re ipsa comperimus, ut ob præcellentem vestram
 auctoritatem, paremque beneuolentiam, & quasi paternam tu-
 telam nobis: si merito gratulari, Christoq; redemptori, quem
 vos in minimis etiam diligitis, nunquam non vota facere debea-
 mus. Iam verò inter alia liberalitatis vestræ in nos collata mu-
 nera, quæ difficile sit omnia numerando persequi, exiguum sa-
 nè non fuit, quòd vestram iuuentutem, præclarum profecto &
 plus quàm aureum depositum, quo nihil in fortunis vestris an-
 tiquius asseruatis, bonis literis ac liberalibus artibus informan-
 dam, omniq; virtute ac pietate perpoliendam, nostræ discipli-
 nae libenter consignastis atq; tradidistis. Tum ut egregia Stu-
 dioforum cohors, quæ indies augetur, tanquam in selecta palæ-
 stra commodius exercitaretur, non sine graui sumptu nouæ
 Scholæ fundandæ, nouoq; Collegio ex quadrato lapide no-
 bis à fundamento exsuscitando dedistis operam: quicquid

autem

DEDICATORIA.

autem insigni huic deest structura, id prima quaq̄ data occasione supplere, ac Deo benè fauente perficere in animo statuis-
 tis. Neque verò sat fore vobis visum est, si eiusmodi studia lite-
 rarum in his scholæ classibus per nos florerent, multisq̄ pro-
 dèssent adolescentibus probe ac gratis instituendis, nisi nobis
 etiã in templis, velut certis DEI viui domicilijs, omnisq̄ pie-
 tatis officinis laborandi ac ministrandi locum pulcherrimum
 assignaretis. Nullum enim grauius ac spectabilius exercetur in
 templo munus, quàm Ecclesiastarum, qui vt professioni sua
 satisfaciant, electas Christi oues habèt pascere, & sacrũ DEI
 verbum legitimè debent interpretari. Hinc præclari ac speciosi
 tituli, quibus Concionatores Ecclesiastici in sacris literis deco-
 rantur, vt iam Angeli Domini exercituum, iam sal terræ &
 lux mundi, iam ministri CHRISTI, & dispensatores my-
 steriorum DEI, iam animarum pastores, populiq̄ doctores
 appellantur. Quare magnam vobis, vestroq̄ populo Fribur-
 gensi debemus gratiam, cum semen illud & manna cœleste,
 quod per nos dispensat DEUS, sic excipitis, vt vestram singu-
 larem in audiendo alacritatem, promptumq̄ studium reipsa
 præstetis, siue Catechesin, lac nempe paruulorum Christi porri-
 gimus, siue sanctum Euāgelium, vti solidam escam animorũ,
 panemq̄ benedictum filiorũ DEI, e suggestu administramus.

HIS omnibus accedit, ac ordini vestro laudem eximiam
 creat, nosq̄ vobis in primis deuincit, ardens nempe zelus in-
 tutanda religione Catholica, quam in hac vrbe, tota q̄ue ditio-
 ne haud sine perpetua vigilantia puram & integram conser-
 uatis. Cauetis enim & prouidetis sedulo, vt ne noua falsa q̄ue
 doctrina mortifera venena, quæ hodie tam latè sparguntur,

huc.

huc facile penetrent, ac sanos bonorum animos turbent atq;
 corrumpant. Quod enim Apostolus dixit: Sermo eorum serpit
 vt cancer, ad eos maximè pertinet, qui rebus in religione no-
 uandis sese dedunt, ac adulterino dogmate morbos animorum
 pestilentes & immedicabiles inuehunt ac propagant. Cum e-
 nim dormit paterfamilias, accurrunt submissi ab hoste vicino
 operarij, ac tetra zizania tritico superseminant, vt illud saepe
 numero suffocetur. Credo certè, vestris auribus & mentibus
 vocem illam Diuinam, quæ apud Prophetam Ieremiam per-
 sonat, continenter intonare: State super vias & videte, & in-
 terrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in
 ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Quò magis ego
 vestram probo, semperque probabo vigilantiam atq; industriam,
 qui ad verum animarum refrigerium subditis comparandû,
 de nouis semitis fugiendis, atq; antiquis consecrandis nunquã
 nõ intentos habetis oculos & animos, vestraq; Reipublicæ
 præsidium & ornamentum in eo maximum collocatis, vt si-
 cut hætenus factum est, optimorum patrum, maiorumque
 vestrorum pijs vestigijs imitandis fideliter insistatis. Hinc nec
 studium, neq; sumptus defugitis ad auitiam & æque sinceram,
 quam cum lacte materno imbibistis, religionem vindicandã:
 cuius etiam gratia diligentè rationem ab vrbanis & paganis
 exposcitis, templa religiose conseruanda curatis, ministros &
 magistros vere Catholicos cõquiritis, conquisitos amatis, orna-
 tis, defenditis, Anabaptistis & alijs id genus pestibus aditum
 omnem præcluditis, nullumque illis conceditis ministerium,
 qui vt vocem in quæstum conferãt, non missi neq; vocati cur-
 runt, & profani seipfos in sacra ingerunt, nec de ore Domini,

sed visionem cordis sui loquuntur, pacemq; nuntiant ubi non est pax, ut Prophetis verbis utamur. Legistis opinor, aut certe à doctis alijs accepistis, quod Constantini Magni Caesaris institutor, idemq; vir celebris Lactantius Firmianus olim gravissimè scripsit. Quoniam, inquit, multæ hæreses extiterunt, & instinctibus Demonum populus Dei scissus est, determinanda nobis brevis est veritas, ac in suo proprio domicilio collocanda, ut si quis aquam vitæ cupit haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, sed vberimum Dei fontem noverit, quo irrigatus perenni luce potiatur.] Atque ne roget forte quispiam, quæ sit ista brevis & compendiosa veritas, quod proprium domicilium, quæ aqua vitæ haurienda, quis fons ad perennem lucem assequendam requiri debeat, idem Lactantius sapienter sanè hoc modo respondet: Sola Catholica Ecclesia, quæ verum cultum retinet: hic est fons veritatis; hoc est domicilium Fidei, hoc templum Dei: quò si quis non intrauerit, vel à quo si quis exiuerit, à spe vitæ ac salutis aternæ alienus est. Libro 4. de vera sapient. cap. vlt.

PROINDE quidquid novi demum obstrepant Aristarchi, haud inuitus ego illorum subscribo sententiæ, Gravissimi viri, qui suspiciunt ac prædicant ut superiorem, ita præsentem Reipublicæ vestræ gubernationem, in qua comperiunt Fidei cessare contentiones, doctrinæ dissidia conticescere, inter utrumque convenire Magistratum, magnam legum atq; ordinum concordiam ac tranquillitatem tot annis persistere, nec minùs quidem letum & felicem durare successum totius politicæ, summo nimirum Deo hæc constantis vestræ pietatis studia, quæ mirantur etiam aduersarij, mirificè fortunante.

Missas interim facitis, & exploditis stultas, ut Paulus appellat, quaestiones & contentiones, pugnasque legis quae non praestant auditoribus adificationem, sed rixas potius implacabiles pariunt, ac passim vulgi animos tam misere quam perniciosè distrabunt, maximè dum litigantes ipsi neque inter se, neque cum alijs conuenire possunt, quasi noua semper praelia meditantés atque parturientes. Vos mirum dictu, vna veteris Ecclesiae fide contenti, non modo sicut columbae simplices, rixis omisissis, & decore modestiae pudicitiaeque conseruato, candorem veterem retinetis, verum etiam ut pulli fide matri nunquam non adherentes, sub alis eius secure cõquiescitis, neq; multo aliter, quàm qui turbidi maris procellas superarunt, secundo quasi vento in portu nauigatis. Quare cum in clyto Rege Dauide qui commissum sibi populum generosè gubernauit, vobis etiam Reip. moderatoribus merito canticum illud repetere licet: ECCE quàm bonũ, & quàm iucundũ habitare fratres in vnum: quoniam illic mandauit Dominus benedictionem.

Ceterum ut cauendi tædy causã, hanc siue praefationem, siue dedicationem semel absoluam, Viri amplissimi, quanto maior est vestrae pietatis constantiaequè claritas, dum non solum inuicti pro veteri pietate & orthodoxa fide certatis, sed etiam potenter in hac ditioe longè lateq; floretis, nec minus literarum ac literatorum, quàm pietatis ac virtutis amatores atque fautores esse contenditis, tantò rectius mihi conuenire duxi, ut praesens opus, qualecunque hoc fuerit, vestro dicatum nomini appareat in publico, ac mea in vos obseruantia apertum praebeat symbolum: quod munus ut æqui boniq; consulatis omnes, etiam atque etiam rogo. Bona interim con-

D E D I C A T O R I A .

Scientia testari possum, me nullum suscepti laboris, ac editi operis premium à vobis præstolari ac petere: quin & cupiditate quadam ravior maius & melius donum, si possum, offerendi tam honorato & ornato confessui vestro, quem diuina bonitas hætenus in tantis periculis ac tempestatibus mirabiliter conseruauit. Mihi abundè satisfactum fuerit, si solita beneuolentia vestra me complectamini, & hoc præcipuè concedatis, vt nostro, immò vestro Collegio tuendo & promouendo vos præstetis Mæcenates, atque toti Reipublicæ vestræ Nicolaos, id est, popularis victoriæ duces, & perbenigno in cælis Patrono vestroconformetis. D E V S Opt. Max. quod in vobis vestraqûe prouida gubernatione præclarè cœpit, id ad sempiternam suæ Maiestatis gloriam, & certum Ecclesiæ Catholicae commodum, letumq; prouincia vestræ successum magis ac magis prosperare dignetur. Hoc vnum demum ex diuo Paulo adycere, vestrisq; Catholicis animis fidenter insigere vestra bona omnium venia mihi liceat seniori: IDEM SAPITE; PACEM HABETE; & D E V S pacis & dilectionis erit vobiscum. Datum in vrbe vestra Friburgensi, anno à Virgine puerpera M. D. XCIII. ferijs D. Ignatij prænobilis Martyris, & Episcopi Antiocheni.



❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁ ❁

R E U E R E N D I S S I M I D O M I N I ,
Domini Episcopi Lausannensis, Principis & Comitis,
de hoc Libro Testimonium.

N O S Antonius de Gorreuod, Dei gratia Episcopus Lausannensis, Imperijque Princeps & Comes, Clero nobis subiecto vniuerso salutem à Christo precamur. Autor huius operis R. P. Petrus Canisius è Societate I E S V Theologus magno, vt cernimus, fructu conscripsit duos Tomos de Notis Euangelicis, sicut multi boni desiderabant. Nos vtrumque Tomum, vt verè Catholicum, lectuque dignum studiosè amplectimur, & autoritate nostra Episcopali, vt in lucem exeat, libenter comprobamus. Præterea omnibus & singulis Decanis, Parochis & Concionatoribus nostris, siue Sæculares illi siue Regulares fuerint, seriò mādamus, vt hunc librum posteriorem, sicut & priorè, quamprimùm emant & euoluant sedulò, nec sibi tantùm, sed alijs etiam commendare conentur. Ita enim futurum speramus iuuante Domino, vt ex his ipsis Notis fructus non pœnitendus in hac nostra Ecclesia colligatur, & non modo Clerus, sed etiam Populus de Catholicæ & salutaris Fidei doctrina rectiùs atq; solidiùs instruat. Qua de re ad Christi gloriã & publicam huius Episcopatus vtilitatè Mandatum hoc scribi, & ne quis ignoret, promulgari voluimus. Datum in vrbe Friburgensi apud Neutones, anno post Christum natum sesquimillesimo nonagesimo tertio, mense Febr.

A D S A C R A R V M L I T E R A
rum studium excitatio.

L E X tua meditatio mea est, inquit Psaltes Regius. Vacemus igitur, vt Hilarius loquitur, Diuinæ lectioni, vacemus præceptis Dei, & opera Legis vitæ nostræ officijs exequamur. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Omnis enim doctrina cœlestis dux nobis ad iter vitæ est, quæ lucernæ modo in hac nocte sæculi præferenda est, cum aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur. Sic idem Hilarius.


IN HVIVS OPERIS COM-
MENDATIONEM
CARMEN

WILHELMI TECHTERMANNI PA-
TRICII FRYBURG. ET EIVS-
dem Urbis, Reiq; publicę Archi-
grammatej.

MARTIA si priscis produxerit Heluetiũm gens
Temporibus claros, vt bello & fortibus armis;
Sic pietate atq; arte viros quorum vsq; videmus
Finibus è patrijs clarum se extollere nomen;
Quæ iam cernemus se lumina ferre sub auras,
Æonia postquam bifido de monte sorores
Neuchonidũm gelidos dignata inuisere fines
Hæc proprias lato fixerunt omine sedes?
Attulit hoc nobis optantibus arbiter æui
Auxilium, aduentumq; virũm quorum æthere fulget
Sancta fides pietasq; & magnum sparsa per orbem
Fama sacro LESV exortem de nomine honorem
Qui celebrant, dignos & præstant nomine fructus.
Hos inter sacri non infima gloria cœtus
Ut meritis sic & longo venerabilis æuo
Insignes operas CANISIVS edidit orbi.
Singula ne referam, nostris præclara diebus
Scripta Notas Euangelicas prodisse videmus.
His iuuenum cordata cohors, his docta fruuntur

Corda virum queis pura fides queis optima cordi
 Religio atq; dies celebrare ex ordine festos.
 Macte ergo virtute noua generosa iuuentus,
 Munera quæ tibi iam largo de munere Diuum
 Plurima panduntur, sacrasq; amplectere dotes.
 Sic demum pietate & castis moribus aucti
 Virtutes patrias implebitis, atq; per orbem
 Latiuagum numero in magno velut agmine denso
 Illustri egregias referetis nomine palmas
 Florentis palmas, & quæ manet vltima cælo.
 ALTERA iamq; huius pars concinnata laboris
 Quæ Diuum antiquo disternat ordine cultum,
 Ecce subit, miraq; animos dulcedine tangit,
 Hic qui multorum (ceu pestis dira luesq;
 Horribilis, nostriq; ingens infamia seculi)
 Pectora peruasit, contunditur impius error,
 Hunc ergo studij quanquam monumenta senilis
 Accipiasq; habeasq; & grata mente reuoluens
 Sape recognoscas LECTOR STUDIOSE laborem
 Hoc fructuere, hoc pietatis opus duce & auspice CHRISTO
 Promoue & in reliquos feliciter, atq; tuere.





ORDO FESTORVM DIE-
RVM QVI IVXTA COMMVNEM
vsu[m] Ecclesie per totius Anni decursu[m] Sanctis dicantur,
& in hoc Opere proponuntur, vt in ijs LECTIONES
EVANGELICAE certis deinde NOTIS illustrentur.

FERIIS S. <i>Andrea Apostoli. Euangelium Matthaei</i> IIII. 30. Nouembris.	pagina 1.
B. <i>Nicolai Episcopi. Euang. Lucae</i> XII. 6. Decembr.	22.
<i>Concepta sacrosancta Virginis Mariae. Initium Euangelij secun-</i> <i>dum Mattheum.</i> 8. Decembr.	42.
S. <i>Thomae Apostoli. Euang. Iohannis</i> XX. 21. Decembr.	55.
D. <i>Stephani Protomartyris. Euangel. Matth.</i> XXI. 1. Decembr.	71.
S. <i>Iohannis Apostoli & Euangelista. Euang. Iohann.</i> XXI. 27 Decembr.	89.
<i>Beatorum Innocentium. Euang. Matth.</i> II. 28. Decembr.	105.
<i>Conuersionis S. Pauli Apostoli. Euangel. Matth.</i> XI. X. 25. Ianuar.	119.
<i>Purificationis D. Virginis. Euang. Lucae</i> II. 2. Febr.	140.
S. <i>Matthiae Apostoli. Euang. Matth.</i> XI. 24. Febr.	159.
<i>Annunciationis Sanctissima Virginis. Euangel. Lucae</i> I. 25. Martij.	184.
S. <i>Marci Euangelista. Euang. Iohann.</i> XV. 25. Aprilis.	211.
<i>Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi. Euangel. Iohann.</i> XIII. 1. Maij.	233.
<i>Inuentionis S. Crucis. Euang. Iohann.</i> III. 3. Maij.	259.
<i>Translationis B. Nicolai Episcopi Myrensis. Euangel. Lucae</i> XIII. 9. Maij	284.
<i>Nataliis S. Iohannis Baptistae. Euang. Lucae</i> I. 24. Iunij.	307.
<i>Maximorum Apostolorum Petri & Pauli. Euangel. Matth.</i> XVI. 29. Iunij.	333.
<i>Visitationis beatissima Virginis. Euang. Lucae</i> I. 2. Iulij.	363.

INDEX FESTORVM DIERV M.

<i>B. Mariæ Magdalene. Euang. Luc. VII. 22. Julij.</i>	385.
<i>S. Iacobi Apostoli, quem maiorem appellamus. Euangel. Matth. XX. 25. Iul.</i>	409.
<i>D. Laurentij Martyris. Euang. Iohann. XII. 10. August.</i>	435.
<i>Assumptæ Sanctissimæ Deiparæ. Euang. Luc. X. 15. August.</i>	454.
<i>S. Bartholomæi Apostoli. Euang. Luc. XXI. 24. August.</i>	487.
<i>Natalitijs sacrosanctæ Virginis. Euang. Matth. 1.8. Septemb.</i>	507.
<i>Eiusdem Virginis quibuslibet in anno accommodata Nota.</i>	526.
<i>S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ. Euangel. Matth. I X. 21. Septembr.</i>	538.
<i>S. Michaëlis Archangeli, ac omnium Angelorum. Euangel. Matth. XVIII. 29. Septembr.</i>	568.
<i>SS. Simonis & Iudæ Apostolorum. Euangel. Iohann. XV. 28. Octobr.</i>	599.
<i>Omnium Sanctorum. Euang. Matth. V. 1. Nouembr.</i>	620.
<i>In die Commemorationis animarum. Euangel. Iohann. XI. 2. Nouembr.</i>	658.
<i>B. Martini Episcopi & Cōfessoris. Euang. Luc. XI. 11. Nouëb.</i>	698.
<i>D. Catharinæ Virginis Martyris. Euangel. Matth. XXV. 25. Nouembr.</i>	723.

HIS ADDVNTVR NOTAE

Q V A E D A M

<i>I. De Templi dedicatione. Euangel. Luca XIX.</i>	749.
<i>II. De die Processionis, vel Communis Supplicationis.</i>	785.
<i>III. De publicatis nonnunquam Indulgentijs</i>	823.

HVC QVOQVE TRADVCI POS-
sunt NOTAE in priore Tomo tractata

De Ferijs Christi Na- talijs. Circumcisione. Epiphania. Cœna vltima. Parasceue.	De Feria II. Paschatis. Feria III. Paschatis. Ascensione Domini. Feria II. Pentecostes. Feria III. eiusdem. Corpore Christi Domini.
--	--



IN DIE FESTO SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

Sequentis Euangelij Argumentum.



CHRISTVS Euangelium sacrum prædicaturus, ad hoc enim à Patre fuerat destinatus, confert sese ad mare Galilææ, quod à Luca stagnum Genezareth, & à Ioanne Tyberiadis mare vocatur. Vbi iuxta littus ambulans, non otiosè versatur, sed studiosè primos quatuor colligit discipulos, quos deinceps eorum omnium, quæ publicè faceret ac doceret, domesticos veluti testes erat adhibiturus. Primi duo dicuntur Petrus & Andreas, à Iona parente geniti, reliqui verò Iacobus & Ioannes filij Zebedæi patris, illiq; omnes bis germani fratres, ac fraterna inter se dilectione ita coniuncti, vt in manuali labore mutua opera sese iuuarent fideliter, victumq; piscando ex lacu publico sibi quærirarent. Tales verò ad munus Apostolicū hinc eliguntur & vocantur à Christo, Galilæi nepè piscatores, rudes, simplices, indocti, obscuro & egeni homines, nihil vt in illis eximium ac præclarum apparet. Eo facto significatum est, rei Euangelicæ fideiq; Christianæ primordia non ex hominum nobilitate, doctrina, potentia, industria, prudentiaque pendere, sed admiranda summi Dei virtute constare, nullamq; hinc laudis & gloriæ humanæ partē carni vel mundo tribui oportere. Hoc est quod Paulus verbis illis indicat: Videte vocationem vestram fratres: quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt

Luc. 4.

Luc. 5.
Ioan. 6.

Matth. 16.

I. Cor. 1.

mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt cōfundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glōrietur omnis caro in conspectu Dei. Deinde Christus hac prima vocatione piscatores istos honorat, vt veteri vaticinio, quod per Ieremiam olim editum fuerat, satisfaceret. Mittam, inquit, piscatores multos, & piscabuntur eos. Vnde Christus etiam præclarum hunc ticulum assignat Apostolis, vt eos hominum piscatores appellet, quorum nempe proprium sit munus, in vasto huius mundi pelago sic euangelicum rete laxare, vt errantes homines veluti pisces, ad summam Dei gloriam capiantur, & vocati ad littus æternæ salutis fide & obedientia perducantur. De hoc Euangelio commodè sic differit Hieronymus: Apostoli de piscatione lacus Genezarech ad piscationem hominum transierunt: qui tunc habentes patrem, rete, nauiculam, secuti Dominum, proinus omnia reliquerunt, portantes quotidie crucem suam, & ne virgâ quidem in manu habentes.] Et sanè horum quatuor discipulorum eò maior habenda est ratio, quòd sint velut primitiæ quædam euangelicæ messis, quam Christus Dominus deinceps excolere decreuerat, quodq; in illis eluceat egregia forma perfectæ conuersionis & Christianæ obedientiæ, quæ in primis homini ad benè beateq; viuendum congruit. De antiquis philosophorum discipulis multa & præclara leguntur, sed quorum nullus magistri sui gratia, voluntariam ac perpetuam paupertatem sit professus, & in suscepta disciplina ad acerbam vsq; mortem certarit. Rectè igitur à Bernardo dictum est: Andreas in ipso conuersionis suæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præstat exemplum.] Hic etenim vnà cum socijs alijs vocantem Dominum absq; mora sequitur, seque ad nutum illius, cuius miracula nondum spectauerat, ita componit, vt quæ charissima videri haberiq; solent, euestigiò relinquat atque contemnat.



Ierem. 16.

In epist. ad
Rulticum.

Serm. 2. de
S. Andrea.

Sapien. 4.

parantes. Adeò verè dixit Sapiens. *Gratia Dei & misericordia est in sanctos eius, & respectus est in electos illius*, quantumuis nempe sint abiectæ & sordidæ conditionis. Et sicut Gentium

Coloss. 3.

doctor asserit, *Non est Genilis & Iudæus, Circumcisio & Præputium, Barbarus & Scythæ, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus.* Atq; huc spectant Sanctorum veteris Testamen-

Homel. 30.
in Euang.

1. Reg. 18.

Amos 7.

Daniel 13.

ti exempla, quibus probat Gregorius magnus, ineffabilem diuini Spiritus virtutem atq; potentiam in paruis etiam operari, cum ita scribit: *Implet David citharœdum puerum, & psalmistam facit. Implet Amos pastorem armentarium, sycomoros vellicantem, & prophetam facit. Implet Danielem abstinentem puerum, & senem iudicem facit.* Noui autem

Ioël 2.

Testamenti exempla, quæ infinita sunt, Ioël propheta nobis porrigit hisce verbis: *Prophetabunt filij vestri & filie vestrae: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Hunc enim locum ad primos pertinere Christia-

Actor. 2.

nos, etiam Apostolorum princeps asseuerat.

Psal. 113.

MAIUS adhuc & admirabilius Dei opus esse putabo, Petrum & Andream, sicut & alios duos Iacobum & Ioannem, sic à Christo respiciatq; vocari, vt ex piscium captatoribus non modò piscatores hominum, sed etiam Apostoli efficiantur, alijsq; innumeris discipulis anteponantur. Hinc ego cum Psalmographo canam admirabundus: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in caelo & in terra: Suscitans à terra inopem* (qualis & Andreas utiq; fuit) *& de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Qui Propheta utiq; in spiritu prospexit Apostolos, tantiquè habuit, vt eos principes etiam

Psal. 44.

& 46.

Psal. 138.

appellarit. *Constitues eos*, inquit, *principes super omnem terram*, quos & alibi nominat principes populorum. De his & illud lætè decantat: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Quid quòd vas electionis Paulus tantoperè Apostolorum ordinem suspicit,

vt illo etiam nomine seipsum indignum iudicet, cunctisque

Prophetis quamlibet eximijs illos anteponat? quos & primos inter alios in Ecclesia diuinitus positos sine institutos esse testatur. Tantoque magis agnoscam & celebrabo hanc incomparabilem Christi Domini bonitatem, qui nostros pifcatores, non dicam tale quid ambientes vel promerentes, sed ne cogitantes quidem, ad Apostolicam functionē ac eximiam dignitatē accersit & euehit; qua certē nullum vitē institutum per se honorabilius, & in terris illustrius ac sanctius potest existimari. Horum est propriū, vt in Domino gloriantes, optima fide testentur: *Non possumus, quae vidimus, & audiuius, non loqui.* Ac iterum: *Quod fuit ab initio, quod audiuius, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrae contrectauerunt de verbo vitae:* vt reliqua preteream. Ac inter omnes quidem noui Testamenti magistros, primas tenent semper Apostoli: primi utiq; pastores & antistites Dominici gregis; nec solū sacri Euāgelij doctores maximi, sed etiam Ecclesiae nouae, vt Ioannes affirmat, fundamenta duodecim, ac Christianorum demum, vt sic loquar, Patriarchae, à quibus omnes tribus credentium oriuntur, qui que tum in praedicando Dei verbo, quod ab illis in omnem terram disseminatum est, tum in patrandis publicè miraculis Euangelio dignis, tum in orbe vbique gentium reformando, prius Patribus & Prophetis omnibus citra controuersiam longè antecelluerunt, vt hinc inter sanctos alios illi satis efferi & celebrari nobis non posse videantur. Verūm de amplissima horum potestate nos alibi plura.

Est & illa insignis, mihiq; ex animo celebranda Christi beneficentia, qui tot tantisque promissis ac dotibus Apostolos suos ornare non contentus, horum etiam vicarios atque successores, utpote Pontifices ac Episcopos miris modis extulit, ac toti Ecclesiae velut pastores ac doctores excellentes, voluit esse cōmendatos. Non possunt illi quidem Apostolis, velut ecclesiastici corporis nobilissimis membris, exaequari, quibus longè sunt multis in rebus inferiores: tamen ab eodem capite suam capiunt originem, institutionē, dignitatem, vir-

I. Cor. 12.

Actor 5.
I. Ioan. 1.

Apoc. 21.

Psalm. 18.

Epist. ad Ti-
mo. & Tit.

Actor. 20.

Actor. 15.

1. Corin. 5.

1. Tim. 1.

2. Cor. 2.

1. Cor. 4.

2. Cor. 5.

Rom. 13.

1. Thess. 4.

Luc. 10.

Ioan. 20.

Matth. 10.

In epist. ad

Florent. Ad

Marcellam.

ep. 54. & ad

Heliod. ep. 1.

tutem atque stabilitatem, adeoq; tanquam veri pastores ac
 prapropositi reliquis ouibus, quas Christus in ouili suo conti-
 net, præficiuntur, & ipsius Christi loco Christianū populū
 legitime pascunt ac regunt. Proinde Paulus, qui in Episcopis
 instruendis accuratè laborat, vniuersum illorū ordinem ita
 compellat: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisi-
 uit sanguine suo.* Horum est insuper propriū, vt cum Aposto-
 lis, præsertim in sacris Concilijs, pro autoritate sua dicant:
Visum est Spiritui sancto & nobis. vtque baptizatos homines
 ipsi Satanæ tradant, ac puniant seu excōmunicent inobedien-
 tes. Eisdem debentur inprimis illæ Pauli sententiæ: *Sic nos
 existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum
 Dei. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante
 per nos. Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ad hos
 demum Ecclesiasticos non minùs quàm ad Politicos magi-
 stratus referre par est Apostolicos canones: *Omnia anima po-
 testatibus sublimioribus subdita sit. Non est potestas nisi à Deo:
 qua autem sunt, à Deo ordinata sunt. Qui resistit potestati, Dei ore
 ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acqui-
 runt. Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam
 dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Eoque magis intolerabilem
 illorum arrogantiam ac rebellionem deplorabo, qui reuerentiam &
 obedientiam Ecclesiasticis magistratibus debitam insectari malunt
 quàm agnoscere, & idcirco Pontificum ac Episcoporum autoritate
 nulla cōmouentur, vt sese non tam Christi oues electas, quàm
 damnandos hœdos esse declarent. Itaq; Christum Pastorum
 principem in suis vicarijs loquentem ac mandantem fœdè
 negligunt, ac cæci nec vidēt nec pōderant diuina illa
 oracula: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit:
 qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Sicut misit me
 Pater, & ego mitto vos. Qui recipit vos, me recipit.* Certè
 Cyprianus Martyr nō semel meminit, Ecclesiæ præpositos
 Apostolis vicaria ordinatione succedere, & Hieronymus Episcopis
 tribuit, quòd Apostolorum

teneant

teneant locum, Apostolico gradui succedentes. Tum vir plane Apostolicus Irenæus, qui Apostolorum serè vixit ætate, præclare non minùs quàm orthodoxè hoc modo scribit: Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris (sic olim & Episcopi vocabantur) obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & mala scientiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placetes.] Quicquid igitur seditiosi nouatores obstrepant, quantumuis Episcopis oblatrent, Ignatium ab Apostolis institutùm, Christiq; martyrem mihi sequendum putabo, vbi hoc modo Fideles sapientissimè adhortatur: Charissimi date operam, vt obediat Episcopo, Presbyteris & Diaconis. His enim qui obtemperat, Christo obedit, qui ipsos elegit: qui verò detrectat, Christum Iesum detrectat, quod porrò qui facit, vitam non habebit, sed ira Dei super illum manebit.] Sunt hæc doctrinæ Pauli prorsus consentanea, qui de præpositis Ecclesiæ loquens, per Spiritum sanctum ita iubet: Habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis. Ac rursus præcipit: Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Utinam verò illud obtingat mihi, quod hisce primis Apostolis concessum fuit, vt non in turpi otio, sed in honesto labore vsq; verser, & à Christo Domino benignè specter, qui partim suo spiritu, partim verbo efficaciter me vocet ac impellat ad ea, quæ vocationi meæ congruunt, fideliter obeunda. Quod verò ad Apostolicam functionem & Ecclesiasticam dignitatem administrandam attinet, ea me scio indignum esse, nihilq; talis vnquam honoris expetam, sed alios & digniores & aptiores huc deligi & euocari desiderabo, qui nempè nauim Ecclesiasticam ritè gubernent, & Euangelicum mare sic laxent, vt pisces nunc passim pereuntes sanctè piscentur, atq; Christo magno pastori ouium, & Episcopo animarum no-

Lib. 4. con.
hæret. c. 43.

Epist. ad Ephes.

1. Thess. 5.

Heb. 13.

Hebr. 13.
1. Pet. 2.

strarum lucrifaciant. Mihi interim optabo, vt ab hisce discipulis tam morigeris discam obedientiæ Christianæ, quæ pulcherrima virtus est, pro mptitudinem ac simplicitatem, præfertim si quandò dura & grauiam mihi videbuntur iniungi. Et permagnum esse ducam, si ego, velut piscis qui se gubernare nescit, ex loco viscoso & cœnoso extrahar, atq; ad obsequiũ diuinum præparer illorum ministerio, qui de animæ meæ salute procuranda solliciti esse debent, meoq; nomine Christo iudici rationem sunt reddituri.

Hebr. 13.

At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum.

Ex animo gratulabor hisce discipulis, quos Christus tam eximia vocatione præ cæteris est dignatus, & in quibus suam gratiam ita confirmauit, vt in ipsius regno primas teneant, & tanquam luminaria longè lateq; fulgeant in Ecclesia militante simul & triumphante. Ad hos enim illa etiam elogia pertinent: *Vos estis sal terra: vos estis lux mundi. Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Deinde gratulabor Fidelibus omnibus horũ Patrum ac Piscatorum filijs, quibus haud sine singulari munere concessum est, è peccatorum pelago, in quo perditì vsque iaciissent, exemptos à Christo Domino ad veræ salutis portum per Euangelicum rete traduci, Christianæq; gratiæ participes reddi. Quare his ego lætus verbis Apostolicis acclamabo: *Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini nostri IESU Christi, & in spiritu Dei nostri. Christum cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoq; non videntes creditis.* Ac multò magis illorũ Credentium causa lætabor, qui vocati Christum ducem & principem alacriter prompteq; sectari pergunt, ita vt spiritu pauperes, & gratia diuites, bona conscientia testari possint: *Ecco nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Etenim sicut non omnes obediunt Euangelio, teste Paulo, sic nec omnium, sed paucorum est ad magna vocantem Dominum tam sequi expeditè atq; perfectè, quemadmodum Apostoli mox relictis omnibus, nudum illum nudi sequi toto pectore curauerunt.

Matt. 5. & 19.

1. Corin. 6.
1. Pet. 1.Matth. 19.
Rom. 10.

Vocatus & ille à Domino fuit, qui carnis impeditus affectu respondit: Domine permittite mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Tum alius à Christo vocatus, quem rei familiaris cura distinebat: Sequar, inquit, te Domine: sed permittite mihi primum renuntiare his quae domi sunt. Adhæc diues adolescens à Christo ad paupertatis voluntariæ studium & coronam vocatus, adeò consilium Euangelicum non est amplexus, vt etiam tristis à Domino discesserit, quia seruus pecuniæ à suis adamatis opibus abstrahi non poterat. Cui dissimilis nō fuit Demas, Pauli discipulus, qui Christianæ vocationis oblitus, & falsa huius mundi dulcedine captus, tantum Apostolum deseruit. Postremò nihil ferè vsitatus ac frequentius videas, quàm quòd filij hominum terrenis affectibus incubantes, vocationem cœlestem negligent, & sicut Euangelica docet parabola, varijs sese modis excusent, quò minus inuitanti ad cœnam magnam Regi, eiusq; legatis admonentibus morem gerant. Quapropter maioris ego faciã præsentes discipulos, qui vna Christi vocatione cōtenti, nauem, retia & cōsanguineos relinquunt, terrena perumpunt vincula, seque totos Domino ferè ignoto permittūt, eiq; perpetuò adhærere contendunt. Vt enim Gregorij Magni verbis vtamur, nulla illi adhuc miracula Christum facere viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audiuerant: & tamen ad vnum Domini præceptū, hoc quod possidere videbantur, oblitū sunt.] Et Bernardi vox est: Ad vnus iussione vocem Petrus & Andreas relictis omnibus, secuti sunt Redemptorem.] Hieronymus habet in hunc modum: Apostoli, quantum ad diuitias, nihil, quantum ad voluntatem, totum mundum pariter reliquerunt.] Nec minùs luculenter ait Chrysostomus: Relinquant patrem Apostoli, relinquunt nauem, relinquunt totas in momento diuitias. totum enim quod habebant, dimiserunt. Deus non magnitudinem diuitiarum considerat, sed animum dimittentis. Qui parua dimiserunt, vtique & magna similiter dimississent.] Quid quòd Augustinus Apostolos omnes ita prædicat, vt eos non modò cuncta reliquisse, sed ve-

Luc. 9.
Matth. 8.

Matth. 19.

2. Tim. 4

Luc. 14.

Homel. 5. in
Euang.

In euang. Ec
ce reliqui-
mus.
Epist. ad Pá-
mach.

Homel. 4.
in Marc.

Lib. 5. de ci-
uitate Dei.
c. 4.

Actor. 5.

Aët. 2.
Vide Euseb.
l. 2. hist. c. 18.a Lib. de Ec
clesiasticis
script.
b Collat. 18.
c. 5. & 6.2. Pet. 3.
Iudæ 1.Chry. cōtra
vitup. vit.
mon.Aug. in Psal.
132.Ep. 89. ad Hi
larium, & l.2. con. lit. Pe
tiliani.

Matth. 19.

Epist. 89.

Philipp. 3.

Matth. 13.

ram quoque paupertatem ex voto seruasse testetur? Quod votum nisi Ananias & Sapphyra perfidi coniuges rescidissent, ac Spiritui sancto iuxta Petri sententiam fuissent mentiti, repentinæ mortis iudicium & pœnam ingentem proculdubio effugissent. In quo paupertatis instituto se laudabiliter exercuerunt, qui primùm Hierosolymis & Alexandriae sunt Fidem amplexi, quemadmodum Lucas & Philo demonstrant, Eisdem vestigijs Apostolicis inhæserunt, qui deinceps Anachoretę & Monachi sunt appellati, quęadmodum^a Hieronymus & ^b Casianus apertę confirmant. Rideat verò Iulianus infamis apostata, magis ipse profectò ridendus, quòd sanctam obedientiam atq; spontaneam paupertatem horum insectetur, qui ad vnam Christi vocem protinus omnia reliquerunt. Obtrecent & Monachis Donatistę, Circumcelliones, nostroq; tempore sacrorũ serè omnium derisores (quales & Petrus & Iudas illusores appellant) quos iuuat fœdis apostatis patrocinari, qui & monasticę vitę institutũ, qđ Chryostomus, Augustinus alijq; Patres egregię probant & ornāt, procaciter cōuellere ac improbè detestari non desinunt. Ego diuinis literis inhærebo, quibus apertę docemur, mandata Dei à consilijs Euangelicis differre, sicut & Augustinus ostendit. Nec dubitabo, paupertatem Euangelicam Deo gratam, & homini salutarem, cœlestiq; mercede cōpensandam esse, sicut Christus clarissimè tradidit, quando huius virtutis cultoribus in cœlo thesaurum assignauit, eosq; centuplum accepturos, vitamq; æternam possessuros promisit. Quod paupertatis consilium tanti fecit Augustinus, vt non solum profiteatur se in eo colendo versari, sed alios etiam ad idem propositum seruandum exhortetur, cupiatq; multos in illo vitę genere habere consortes. Quare illis gratulandum putabo, qui Apostolici tũ exempli tũ instituti memores, ea quę mundus admiratur & colit, veluti pro luto & stercore arbitrantur, ac relinquunt penitus, vt Christum thesaurum vnicum sibi lucrifaciant. Hoc enim est probè fungi officio Euangelici negotiatoris, de quo Christus ipse asserit, quòd

quærat

quærat & inueniat preciosam margaritam, & abiens vendat quæ habet omnia, vt eam consequi possit. Ita fecit sanè Barnabas, à Luca cõmendatus, qui agrum suum vendidit, & pretium eius adductum posuit ante pedes Apostolorum. Errauit autem in illo Vigilantius, quòd putaret non esse laudandos, qui suas facultates simul potiùs relinquere, quàm paulatim in vsus pauperum distribuere student. Apostolici enim fastigij est, perfectæquæ virtutis, sicut Hieronymus asserit, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem ac expeditum ad cœlestia euolare.] Quod si fortassè quidam huc nolint contendere, sed sua bona retinere malint, quàm in pios vsus simul expendere, habent illi quod sequantur Fulgentij consilium, his verbis traditum sapienter: Si non omnes possunt implere quod Dominus ait: *Vendite qua possidetis*: illud tamen quod adiecit, dicens: *Date eleemosynam*, omnibus est possibile: si adsit bona voluntas, omnibus facile: si non adsit dira cupiditas, omnibus salubre: si ferueat charitas, cunctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna felicitas.]

Verùm ad Apostolorum nostrorum obedientiam redeo, à quorum nunquam laudato satis exemplo me longo abesse interuallo & fatebor, & erubescam. Idem Christus sæpè vocat, vt ad me & se redeam, mequæ suum cupit habere discipulum ac sectatorem. Nec vocat solùm, sed etiam verberibus & flagellis instat ac vrget, vt vel dormientem, immò & contradicentem ad officium excitet ac impellat. Sed vbi obedientia mea, vt verè cum Propheta respondeam: *Paratum cor meum Deus; paratum cor meum?* Neque cum Iob testari queo: *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea.* Dissimilis planè sum Ieremiæ hoc bona fide testanti: *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens, & viam hominis non desideravi; tu scis.* Est sanè gloria magna sequi Dominum, vt sapiens affirmat. *Qui enim sequitur illum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vita, immò & absq; terrore requiescet, & abundantia persuetur, terrore malorum sublato.* Ego verò, vt quod res est, ingenuè dicam, ita me Christi discipulum pro-

fiteor;

Act. 4.

Hierony.
cont. Vigi-
lan.Epist. 8. ad
Demetria-
dem.In serm. de
Confessoribus.
Luc. 12.

Psal. 107.

Iob. 23.

Ierem. 17.

Eccles. 23.

Ioan. 8.

Prouer. 1.

Ioan. 18.

Marc. 15.

Luc. 22.

Matth. 9.
Ioan. 21.

2. Tim. 4.

Luc. 17.
Luc. 9.

2. Cor. 2.

fiteor, vt cœlestis magistri iugum & disciplinam frequenter fugiam, & præuntem ducem vel non sequar, vel sicut discipulus quidam, à longè sequar, vtq; claudicare potiùs, quàm in via Dei rectà progredi & currere libeat. Quòd si nonnunquam plagis acceptis, quibus incitantur & asini, ad insequendum dominum urgeor, non sum tamen absimilis illi Simeoni Cyrenæo, qui non nisi coactus, crucem ferenti se socium præbuit & adiutorem. Sedenim quantò rectiùs nostri fecêre piscatores, qui paucis verbis euocati, relictis impedimentis omnibus, vocāti magistro se totos tribuunt & cōsecrant: tum in suscepta paupertate lætantur, laboresquē non minus graues quàm quotidianos in peregrinando cōtemnunt, multis frequenter ærumnis & molestijs obnoxij, qui cum Christo, vt ipse testatur, tam diu in tentationib. permanserunt. Ego autem tot iam annis in Christo renatus, & Euangelicis præceptis imbutus, plurimisquē Sanctorum vocibus & exemplis excitatus, præcipuum illud summiquē momenti præceptum, *Sequere me*, vel obliuioni trado, vel frigidè compleo. Affirmare quidem non possum, quantum hætenus in duce & magistro meo sectando profecerim; tantū abest vt pro benefactis meis iustitiæ coronam, quam sibi Paulus vendicare ausus est, vlla ex parte promerear. Illud verò affirmare possum, me in antiquis retibus hære, quoniam turbulētis cupiditatum ac sollicitudinum, siue ventis, siue vinculis frequenter implicor, vt sæpè nesciam vbi sim, & quòd me vertam, quo item pacto ad veram spiritus libertatē asurgam, vt hinc nonnunquam retrò etiam spectare videar. Nec enim Christi verbum obseruo: *Memores estote vxoris Loth.* & quod idem a libi proponit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Tum in Paulinam illam impingo sententiam: *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.*

Pergant ergo, si velint, nostri euangelia stri suam inculcare Fidem, & iubeant homines Christum per Fidem apprehendere, idquē satis ad iustificationem esse cōtendant. Ego præ-

cipuam

cipuam sacri Euangelij partem, quæ in Christo imitãdo ver-
 satur, credentibus omnibus commendandam, ac fortiter in-
 culcandam esse iudicabo. Quocirca sæpè multumquæ pon-
 derabo ea quæ ad sectanda & exprimenda Christi vestigia ma-
 ximè pertinent, quoniam ille nobis est via, veritas, & vita, seq;
 nobis ipse imitandum proposuit, vt regnũ eius assequamur.
*Si quis, inquit, vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat
 crucem suam quotidie, & sequatur me.* Prodeunt quidem nũc
 plurimi, qui plenis buccis Christi crucem & mortem prædi-
 cant, non ad credentium correctionem, sed duntaxat ad pec-
cantium consolationem. Vix leuiter isti attingunt, quod Pe-
 trus hoc modo credentibus omnibus commendauit: *Chri-*
stus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequami-
ni vestigia eius. Scio Christum propitiationem esse pro pec-
 catis, neque pro peccatis nostris tantum, sed totius quoque
 mundi, quemadmodum Ioannes affirmat. Ex eodem autem
 Ioanne scio & illud: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut*
ille ambulauit, & ipse ambulare. Alioqui frustra in Agnum Dei
 qui tollit peccata mundi credo, & vanè saluatorem reditu-
 rum expecto, nisi eundem & dominum, & magistrum modò
 sequi studeam, eiquè per charitatem & obedientiam adhæ-
 rescam. Hoc enim & ipse docuit, cum nõ minùs nobis quàm
 discipulis primis ita mãdãrit: *Exemplum dedi vobis, vt quem-*
admodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Fingant interim
 isti, non posse fieri, Christum vt ducem ac magistrum sequas-
 mur, sicut ille iussit, & Apostoli tradiderunt, nimirum vt pec-
 catis mortui, iustitiæ viuamus, & in vitæ nouitate ambule-
 mus. An non purum putum Christi verbum est? *Oues mea*
vocem meam audiunt: & ego cognosco eas. Tum illud: *Si quis*
mibi ministrat, me sequatur. Ac iterum: *Qui non accipit crucem*
suam, & sequitur me, non est me dignus. Nisi Paulus Christum
 esset secutus, haudquaquam assereret: *Imitatores mei estote,*
sicut & ego Christi. sanctosquæ docet à Deo in hoc prædesti-
 natos, vt sint conformes imagini Filij Dei. Quis neget obse-
 cro, tot Martyrũ myriades ducem Christum sectari voluisse

Ioan. 14.

Luc. 9.

1. Pet. 2.

1. Ioan. 2.

Ioan. 1.

Ioan. 13.

1. Pet. 2.
Rom. 6.Ioan. 10.
Ioan. 12.
Matth. 10.

1. Cor. 11.

Rom. 8.


& po-

Matth. 19.

Serm. 5. in
Epiphan.

Ioann. 14.

& potuisse, quando suum pro illius amore sanguinem & vitam profuderunt? Ingens iustorum est, fuitque semper numerus, qui bona conscientia & citra ullam arrogantiam dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quocirca Leo Magnus verisimè tradidit: *Frustra appellamur Christiani, si imitatores non simus Christi: qui ideo se viam dixit esse, ut conuersatio magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus.*



DE BEATO ANDREA

APOSTOLO.



VSPICIAM hunc virum, ut mundi iudicio exiguum atque despectum, ita pijs quidem venerabilem, ac totius Ecclesie iudicio excellentem, cuius vita & mors in conspectu Domini pretiosa est. Fuit ille natione Iudæus, Bethsaidæ, qui est Galileæ vicus, ex obscuris natus parentibus, germanusque frater Petri piscatoris. Vterque non opulentus vixit, sed qui suo iure dicere potuit: *Argentum & aurum non est mihi;* & labore manuum victum sibi necessarium è vicino lacu solitus est comparare. Absit igitur, ut aliquis à me despiciatur ob patriæ obscuritatem, vel propter generis ignobilitatem, quodque officio plebeius, vilis, ac sordidus esse videatur. Secus qui sentiunt, eos ego vanos mundi filios, & cæca eorum iudicia iudicabo, sicut & ille iudicauit qui dixit: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in Fide, & heredes regni, quod repromisit diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem.* In hoc sanè Apostolo cernimus, quàm rectè dixerit Sapiens: *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem,* quodque mater Samuelis asseruit iniquis: *Dominus pauperem facit & dat: humiliat & subleuat.* De nullo alio, nisi de hoc solo Apostolo nominatim expresse legimus, quod Ioannis Baptistæ celeberrimi sanctissimi que vatis & magistri fuerit discipulus, nimirum ab eo in pœ-

A Cor. 3.

Iacob. 2.

Eccl. 2.

1. Reg. 2.

Ioann. 1.

nitentiæ

nitentia schola duriter institutus. Qui à Lege ad Euāgelium, à Ioāne ad Christum pulchrè transijt, eiusq; lateri porrò continenter adhæsīt, vt Agnum Dei peccata mundi tollentem, quē à Ioāne prædicatū audierat, toto pectore cōplecteretur. Primū autem Domini desiderio flagrās interrogauit: *Rabbi ubi habitas?* Licet enim nihil adhuc præclari in Christo vidisset, & vnum cum eo diem duntaxat exegisset, tamen magistrum illum habere ac dicere nō dubitauit, seq; illius discipulis voluit annumerari, maiorem ac meliorem præceptorem vtique nullum exoptans. Hæc Andreæ fuit ab initio prudentia, quam & Chrysoſtomus iubet obseruari. Non enim ignorabat ille quod scriptum fuerit à Salomone: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur.* Nec me debet offendere, quòd Christus Andream præter alios, vt rudem & crassum opificem delegerit, quem Euāgelico præficeret ministerio, & statim ex piscatore Apostolum crearet. Idem quippe Christus quicquid Andreæ deesset, præpotente ac diuina virtute sua supplere facillè potuit, illumq; ad hoc munus paulatim instituit ac prouexit, nec verbo tantū & exemplo, sed spiritu etiam suo ministrum illum noui testamenti fecit idoneum, quem & dono linguarum, & alijs præclaris animi dotibus exultum ac expeditum reddidit. Absit igitur, imperitos, profanos & mechanicos homines, aut etiam pisces ad ecclesiastica munia cooptari, & constantem Ecclesiæ ordinem perturbari, quo sancitum est, vt ab Episcopis non nisi probati & ordinati sacris initiuntur, atque functionibus ecclesiasticis deputentur, ne desit illis & vitæ & doctrinæ testimonium, quo domi & foris bonis omnibus commendentur. Hinc & Apostolicus ille canon extat: *Probentur primū, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Nec temerè Timotheo episcopo præscribitur: *Manus citò nemini imposueris, nec communicaueris peccatis alienis.*

IA M. verò Andreas, qui ætate maior, & ætate prouectior Petro fratre fuit, quod etiam confirmat Epiphanius, fraternæ charitatis specimen optimum præbuit, cum eidem fratri ve-

Hom. 17. in
1. cap. Ioan.
Prou. 13.

Vide Canones distinct.
24. & 28.

1. Tim. 3.

1. Tim. 5.

Hæresi 51.

Ioan. 1.

lut inuentum thesaurum prodidit, causamq; præbuit Christum cognoscendi. *Inuenimus Messiam*, inquit, paucis quidem verbis permulta complectens, suamque fidem excellentem eo tempore comprobans. Et hæc quidem Andrea vt prima, sic etiam felix fuit piscatio, per quam fratrem de fidei fundamento instruxit, & instructum ad verum Messiam adduxit. Ergone Petrus Andreae gratias, easque immortales debet, à quo tantam Fidei lucem & veræ conuersionis gratiam primum accepit? Adeo verum est illud quod apud Salomonem

Prouerb. 18.

legimus: *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Commendat & illud nobis Andrea, quod dicatur & sit Christi primogenitus, vt pote nulli Apostolorum secundus, si uocationem spectes, & ante alios omnes ad tantum munus à Christo electus atq; assumptus, quemadmodum ex Ioanne colligi potest. Affirmat & Gaudentius Brixianus, Andrea non solum Ioannis Baptistæ, sed & Saluatoris nostri primum discipulum, & ante alios in Apostolum à Domino electum extitisse. Veruntamen sua Petro manet prerogatiua, qui licet post Andrea, & per Andrea vocatus accesserit, primas tamen inter Apostolos omnes tenet; sicut & primo loco ab Euangelistis recensetur, vt pote totius ouilis ecclesiastici pastor siue princeps à Christo ipso institutus. Sed o me felicem, si commune hoc habeam cum Andrea, vt non abeam in consilio im-

Ioan. 1.

In tractatu
de die Dedi-
cationis.

Matth. 10.
Marc. 3.
Luc. 6.
Ioan. 21.
Psalm. 1.

piorum, & in via peccatorum stare non deprehendar, sed à primis annis iugum Domini portem: neque solum audiam, sed etiam sequar optimos preceptores, quorum iustæ quidem expectationi faciam satis. Discam insuper ab Andrea, si sapio, vt fraternam charitatem obseruem religiosè, aliosque pueros & iuuenes mihi commendatos habeam, quos & libenter amplectar, & sincerè instituum, vt quoad eius fieri potest, non deteriores, sed meliores à me discedant, vtque cum ætate virtutem augeant & sapientiam, Andreae, Ioanni, & Tobie non dissimiles, prorsusque memores creatoris sui, vt Scriptura docet, in diebus suæ iuuentutis. Præclare quidem Andreae cum Petro conueniebat, & se illi mutuo beneuolentia intima com-

Ecclef. 12.

plectes

Andreas
primogenitus

plectebantur: hinc frequēter vnà esse versati, & in eadem nau-
 ui laborasse, sed & coniunctis manibus victum sibi compa-
 rasse leguntur. Tàm verè dictum est illud: *Ecce quàm bonum,*
& quàm incundum habitare fratres in vnum. Nam vt Sapiens
 quoq; pronuntiat: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt*
probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor
proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.

PECULIARITER autē Christo Domino gratias agam,
 à quo Andreas in Evangelica doctrina præclarè institutus, &
 affatim Spiritu sancto repletus, se adeò inculpatè ac integrè
 gessit in suo Apostolatu. Longam certè ac difficilem subiit
 peregrinationem, sicut his verbis Nicephorus indicat: Quæ
 sunt ad Euxinum oræ, Scythia vniuersa, Byzantium & Græ-
 ciæ continens, Andream huic prouinciæ fuerunt.] Tum alibi
 plures narrat prouincias, quæ huic Apostolo ad prædicandū
 Euangelium obuenerunt, nempe Cappadociam, Galatiam,
 Bithyniam, Scytharū solitudines, ad vtrumque pontum
 Euxinum, orasq; septentrionales & australes, ac ipsum quoq;
 Byzantis solum.] Præterea idem Nicephorus integrum textit
 catalogum Episcoporum ab Andream vsque ad Alexandrum
 Byzantij succedentium, quandoquidem idem Andreas Ec-
 clesiam Byzantinam primus instituerit, Stachy Episcopo
 post se designato. Neq; tacet Chrysostomus, Andream, qui
 post Petrum fratrem consummârit martyrium, Græcis Euan-
 gelium annūtiasse. Affirmat & Dorotheus, eum Sogdiamis,
 Sacis, & in Sebastopoli interiore, vbi Aethiopes agrestes ha-
 bitant, verbum Domini prædicasse. Præterea Origenes no-
 tat, Scythiam, regionem valde barbarā, ad disseminandam
 Christi fidem illi obtigisse: nec dubium, prouinciā Achaiam
 postremò sic ab illo illustratam esse, vbi plurimos ad Chri-
 stum traduxit, vitamq; martyrio consummauit. Quo-
 circa non vulgariter mihi hic Apostolus est celebrandus, qui
 tam strenuè, ac longè lateq; in vinea Domini laborauit: nec
 solum diuini verbi prædicatione tot gentes Christo lucrifecit,
 sed eas quoq; conuersas editis passim miraculis insigniter

Matth. 4.
 Luc. 5.
 Ioan. 1.
 Psal. 133.
 Eccles. 25.

Lib. 3. hist.
 c. 1.

L. 2. c. 39.

Lib. 8. hist.
 Eccl. cap. 6.

Orat. in 12.
 Apostol.

Lib. 3. in Ge-
 nef. cap. 1.

Matth. 28.
Marc. 16.

Prou. 28.
Matth. 10.

Malach. 1.
Dani. 12.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

In passione
S. And. A-
postol.

confirmauit. Fuit enim ex primis hominum piscatoribus, & selectis Christi legatis, in orbem vniuersum destinatis, de quibus luculenter Marcus affirmat: *illi autem profecti, pradicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Sed ô IE S V bone, quantoperè nunc indigemus Andreis? hoc est, operarijs Apostolicæ vitæ sanctimonia cōmendatis, ac diuinæ sapientiæ luce illustratis, qui densas errorum hodie grassantium tenebras depellere, & orbem nostrum corruptissimum, nouo & efficaci gratiæ lumine reformare velint ac possint? Patras in Achaia vrbs est clarissima, in qua tyrannus simul & proconsul AEgeas habitabat, in hoc quidem intentus maximè, vt veterem idolorum cultum vindicaret, Christianæ verò fidei lucem, quam præclare Andreas accenderat, extingueret. Ego verò mihi non modò mirandam, sed imitandam quoque putabo summam Andream in dicendo libertatem, qui magnum illum Christi crucifixi contemptorem constanter increpauit, & coram illo de mysterio crucis grauiter disseruit, multisq; modis eum à sua perfidia reuocauit. *Iustus enim quasi leo confidens, absq; terrore erit, si Salomoni credimus, & aperta Christi vox est: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autē non possunt occidere.*

Non ferunt hoc impio sæculo Sectarij, sed penitus detestantur iuge mundumq; sacrificium, quod in Prophetis literis commendatur, & nos Christo Domino institutori acceptū ferre, & in quotidiano vsu cū Patrib. retinere debemus. Extat autem huius Apostoli testimonium partim de veritate Dominici corporis in sacra Eucharistia, partim de Missæ sacrificio incruento, quemadmodum Achaia Sacerdotes & Diaconi, quos Andreas ipse instituerat, memoriæ prodiderunt, multique veteres comprobârunt. Sic enim hic Apostolus coram AEgea proconsule verbis clarissimis profitetur: *Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrificio, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem: sed immaculatam Agnum, quotidie in altari crucis sacrificio. Cuius carnes posteaquam om-*

nis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, Agnus qui sacrificatus est, integer p̄seuerat & uiuus.] Vbi non repetemus, sicut alibi diximus, hoc sacrificium Apostolicis testimonijs pluribus comprobari, & solidis Patrum sententijs irrefragabiliter astrui, quicquid demum aduentantis iam Antichristi p̄æcursores ad Missæ sacrificium abolendum non furiosè minùs quàm nefariè moliantur.

Neque verò satis Andreae fuit, fauentem sibi habere populum, eiusque suffragijs publicè cōmendari, quòd homo esset innoxius, Deo charus, vita iustus, ac fide dignus, quæ præterea vi quadam ciues Patrenses è sanguinarijs AEGEAE manibus eripere contenderunt. Ipse verò cum ad supplicium crucis ab impio iudice damnatus esset, infractus & cōstans adeò perstitit, vt hinc sibi quoq; nō parùm gratularetur. Qui cum ad locum in quo crux fixa erat, duceretur, velut ad nuptiales epulas inuitatus, crucem eminè aspiciens, magnificis verbis illam amanter salutauit, & reuerenter amplexus est. Hanc enim dixit sibi iamdiu desideratam, sollicitè amatam, sine intermissione quæsitam, & aliquando tandem pro ardenti & diuturno animi sui voto p̄paratam adesse. Adiungit hoc quoq; Bernardus: Cùm duceretur beatus Andreas ad crucem, populus qui sanctum & iustum dolebat iniuste damnari, prohibere voluit ne puniretur. Sed magis ipse instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, immò ne non pateretur. desiderabat siquidem dissolui & cum Christo esse, sed in cruce quam semper amauerat, desiderabat in regnum intrare, sed per patibulum.] Et verba quidem Andreae perspicua sunt, quibus ille suum in cruce morteq; perferenda votum & gaudium explicuit, non indigna, quæ huc adscribantur. O bona crux, inquit, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti: securus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans suscipias me discipulū eius, qui pependit in te magister meus Christus. O beatum & ardentem Andreae spiritum, qui etiam suffixus in crucem, nullum finem docendi populi fecit, & in cruce biduum vixit, hoc vnum precatus

Serm. i. de
S. Andrea.

maximè, vt omnes in suscepta fide permanerent, de se autem liberando curam & voluntatem omnem abijcerent.

In homil.
Quòd Chri-
stus est
Deus.

Hinc ego colligā, & sedulò mecū reputabo, quod à Chry-
sostomo traditur, Crucem iam antè maledictā & abominā-
bilem, mortisq; omniū probatissimæ symbolum, quod om-
nes fugiebāt ac deprecabantur, à veris Fidelib. honoris sum-
mi loco rectè censerī, omniq; cultu digniorē agnosci, vt hinc
etiam reges & principes, cum suis subditis, in fronte quasi co-
lumna Cruce figantur, tantamq; Crucis esse virtutem, vt
nostrū insigne, nostra gloria & corona meritò dicatur, quam
& Dæmones reformident. Deinde hoc ipso exēplo Andrea
de cruce gloriantis admonebōr, pudorem ac timorem tole-
randæ propter Christi amorem & animæ salutem iniuriæ at-
que afflictionis prorsus abijcere, meumq; animum ad magnę
patientiæ & fortitudinis præstandum officium, in summis e-
tiam laboribus ac periculis excitabo. Vera enim & Christianis
hominibus digna philosophia hoc exigit, vt suppliciorū
acerbitatem, & mortis horrorem cōtemnamus, & quò mor-
tem propiūs imminere sentimus, eò alacriūs ad beatam pæ-
triam properemus, & fidēter cum Paulo & Andrea dicamus:

Galat. 6.

Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESU Christi.

Postremò iustam dolendi causam mihi præbebit, quòd in me
frigere sentiam efficacem Christi spiritum, & ardentem ani-
marū zelum, qui in Andrea cruci affixo mirè flagrauit, quan-
do ille tam grandæuus, & crucis horrendo supplicio affectus,
à verbo Dei prædicando, populoque docendo non destitit.
Optabo igitur illam patientiæ, charitatis atque fortitudinis
mihi spiritum dari, vt cum Paulo & Andrea testari possim:

Rom. 5.

*Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam
operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes*

2. Tim. 2.
Serm. 2. de
S. Andr.

*autem non confundit. Si commortui sumus, & conuinemus: si su-
stineamus, & conregnabimus. Felix anima, vt præclaris Bernardi*

verbis utar, quæ in cruce gloriatur & triumphat: tan-
tū vt perseueret in ea, & nullis valeat ten-
tationibus deiici.]



DE PRECIBVS CVM HOC FESTO
coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro Catholicis concionatoribus, ut Euangelicam piscationem aggressuri, inprimis curent legitimam habere vocationem atq. missionem, sicut primi Apostoli habuerunt. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron, Apostolo teste.

Rom. 10.

Hebr. 5.

ORABO etiam non solum pro spiritualibus piscatoribus, ut Euangelicum rete cum fructu longè lateq. laxent, verum etiam pro ipsis piscibus, qui huius mundi rebus nimium implicantur, varijsq. diaboli laqueis impediuntur, quo minus se ad vera salutis portum adduci & attrahi patiantur.

AD HAEC diuinam implorabo gratiam, qua duce vocationi meae satisfiat, prauiis rebus & salutis meae impedimentis excussis penitus, ac relictis. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs saecularibus, ut ei placeat cui se probauit. Missa interim facimus, qua ad Pastorum Doctoremq. munus graue pertinent, maxime ut hi à Christo vocati, se dignos Apostolorum seorsatores, & hominum piscatores Ecclesiaeq. ministros idoneos praebeant. De hoc piscatorum genere agit Paulus Apostolus, ubi non populum vel pleberos, sed Timotheum & Titum, ac alios Episcopos ex professo instruit.

2. Tim. 2.

Actor. 20.





IN DIE FESTO SANCTI NICOLAI EPISCOPI.


Sequentis Euangelij Argumentum.

PARABOLICVM hoc est Euangelium, in quo æterna Dei sapientia Christus varias proponit similitudines atq; consuetudines, vt eo tempore vsitatas, sic & hodie satis notas, præsertim si communem morem & industriam frugi seruorum intueamur. Hi laudantur maximè, cum se officiosos ac vigilantes suis heris exhibent, nihilq; studij in seruiendo & obsequendo facile prætermittunt: quod cum faciunt, ab iisdem heris magis amari, ac suo etiã tempore honorari consueuerunt. Cuius rei exemplum præbuit Ioseph Iacob patriarchæ filius, quando præter culpam seruus fuit vinctus in carcere, sed ita fidus & frugi domino suo, vt tandem ad ingès honoris fastigium eueheretur, suaq; industriæ maximum acciperet præmium, vt pote qui ad gubernandam Aegyptum locum regi Pharaoni proximum adeptus est. Præsentis autem Euangelij parabolæ seu similitudines huc tendunt, maximè, vt meminerimus, veram Christi gratiam & perennem gloriam non otiosis & inutilibus, sed impigris, suumq; officium facientibus Dei seruis obtingere, & in hac quidem vita, quæ velut cursus est ad immortalitatem, nulli ætati, nullique hominum generi in Christiana obedientia esse cessandum. Monemur insuper, si vnquam aliàs, tum maximè quidem in fine vitæ, ex quo tota salus hominis pendet, cuiq; aduigilandum esse, ne aduentus Christi iudicis, quem nullus potest effugere, quenquam inueniat imparatum. Sicut autem serui probè vigilantes ac obedientes

Genes. 38.
39. 41.

ingentem heri sui gratiam sibi conciliant, præclaris ab illo muneribus ac honoribus affiendi: sic alij torpidi maleq; frugi ministri, qui sibi potius quàm Domino viuunt, vaneque ministerij sui tempus transigunt, merentur ab hero suo malè tractari, & iustas inertia suæ pœnas luere, quandoquidem ad heri sui aduentum seu reditum præstolandum legitimeq; excipiendâ curam adhibere debitam prætermittunt. Adscribam Cypriani martyris verba, quibus totum hoc Euangelium haud parum illustratur, eiusq; legitimus vsus ostenditur. Accinctos, inquit, nos esse oportet, ne cùm expeditionis dies venerit, impeditos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen, & fulgeat, vt ipsum nos ad lucem claritatis æternæ in hac sæculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper & cautè aduentum Domini repentinum, vt quando ille pulsauerit, euigilet Fides nostra, vigilantia præmium à Domino receptura. Si hæc mandata seruentur, si hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non possumus. Serui vigiles Christo dominante regnabimus.]

Lib. de simplicit. prælat. circa fin.




EVANGELIUM LVCAE XII.



In illo tempore dixit IESVS discipulis suis: Sinite lumbi vestri praeincti, & lucernæ arden- tes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuer- tatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim ape- riant ei. Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuene- rit vigilantes. Amen dico vobis, quòd praeinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inue- nerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret

*paterfamiliâs, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non
sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua
hora non putatis, Filius hominis veniet.*



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
EVANGELIVM ET FERIAS
D. NICOLAI.

*Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in
manibus vestris.*

DOLEBO inprimis, me in optima quidem cœle-
stis magistri schola versari, sed adeò rudem ac insi-
pientem persistere, ut ab huius etiam sæculi filijs fa-
cile vincar ac pudeam. Nam & illis tantum prudentiæ vel
astutiæ Christus adscribit, ut apertè pronuntiet: *Filij huius sæ-
culi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Ad hanc pru-
dentiâ & astutiam referri potest, quod apud ethnicos etiam
reperiantur, qui peregrè abituri, ne seipfos in ambulando im-
pediant, à talaribus abstinent vestibus, & alijs ut brevioribus,
ita commodioribus indumētis uti norunt: quemadmodum
& barbari milites suo se more præcingunt, ut ad iter sint ex-
peditiores, cum in bellum fortè procedendum est. Nec de-
sunt homines ab omni religione alieni, qui nocturno tempo-
re prodituri tenebras fugiant, & ab obuijs viarū impedimen-
tis sibi prospiciant, ideoquæ lucernas aut faces ardentes adhi-
bere, & subinde secum in manibus gestare consueverunt.
Quantò minus ego demùm sapio, veræ stultitię culpam susti-
nens, qui me peregrinum in tenebris ambulare, & ad cœle-
stem patriam proficisci oportere intelligo quidem; sed præ-
cingendis lumbis, ac lucernis in promptu gestandis operam
nō adhibeo, eorum consectans morem, qui peregrinaturi,

Luc. 16.

alia atq; alia onera subinde suis imponūt humeris, & ita cum sese grauat, profectioem suam retardant potiùs quàm promouent. Vbi neq; sum dissimilis fatuis virginibus, quæ sponsum petitura, sicut Euangelica loquitur parabola, tam malè suas instruxerūt lampades, vt eas ob necessarij olei defectum extingui paterētur. Certè nisi peregrinatoriam hïc vitam duceremus, Apostolus & suo & aliorum nomine illud nõ vsurparet: *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus*: alibiq; non diceret: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino*. Et Petrus quidē Apostolus fideles omnes, quòd aduenæ sint ac peregrini, luculenter exprimit, sicut & rex maximus Dauid licèt liberrimè plurimis imperaret, tamē de se ipso fateri non dubitat: *Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei*. Inter quos patres Iacob patriarcha non minimus fuit, qui regi Pharaoni suæ peregrinationis dies palàm supputat, eosq; paruos & malos appellat. Demùm sicut hoc loco Christus, ita Paulus etiam de lumbis præcingendis me sollicitum esse iubet, vbi in hunc modum docet: *State succincti lumbos vestros in veritate, & indui lorica iustitiæ*. Tota igitur aberro via, si me peregrinum non agnoscam, ac breue incertumq; hoc mortalis peregrinationis curriculum, quod cuique præfinitum est, præpòsterè improuide què instituiam; vt illi sanè faciunt, qui de bonis externis & caducis vel comparandis vel conseruandis anxie cogitant, curam verò exiguam gerunt eius obtinendæ vitæ, quæ perennis & plena iucunditatis totum hominem beat, & de qua dixit quidam: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*.

CAETERVM proposita Christi verba non sunt leuis sanè momenti, sed digna quæ sæpè multumq; mihi considerentur, quoniam egregiè monēt de optimo thesauro in cœlis recondendo. Fulgentius de illis ita disserit: *Omnis Christianus præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem: ardentem habeat charitatem, vt custodiat castitatem.* Nec dissimilis est Gregorij magni & Haimonis interpretatio, tunc nempe lumbos nobis præcingi, cùm carnis luxuriã per continen-

Matth. 25.

Heb. 13.
2. Cor. 5.

1. Pet. 2.

Psal. 38.

Genes. 47.

Ephes. 6.

Luc. 14.

Serm. de
Confessor.
Greg. Homel. 13. in E-
uang. Hæc in
Euangel. de
confessor.

4. Reg. 1.
Matth. 3.
Luc. 3.

Lib. 1. cont.
Iouinian.

Hæresi 61.

In scripto de
Petro & Pau-
lo.
Initio libri
de singular.
Cleric.

Matth. 19.
Isai. 56.
1. Cor. 7.
Apocal. 14.

tiam vel abstinentiam coarctamus, cumque ardorem libidinis amore castitatis refrenamus. Quapropter ut Christi præcepto & vocationi meæ, præsertim si minister sim Ecclesiæ, satisfaciam, Eliam Thesbiten & Ioannem Baptistam sanctissimos grauíssimosque prophetas imitabor, qui ambo lumbos suos & renes studiosè constrinxerunt, & ne vnquam fœdæ seruirent libidini, vitam suam perpetuæ castitatis baltheo decorarunt. Et suos quoque lumbos Apostoli præcinxerunt, nõ dissolutè & effœminate, sed pudicè & castè viuentes: quoniam post diuinum Spiritum die Pentecostes acceptum, à re quidem vxoria & omni incontinentia sedulo abstinerunt; nec liberis creandis, sed hominibus Christo regenerãdis dederunt operam, ut eorum quos per Euangelium Christo ubique gentium genassent, patres forent spirituales. Probat igitur Hieronymus Petrum & cæteros discipulos, etiamsi antè habuissent vxores, tamè postquam ad Apostolatam assumpti fuerunt, reliquisse officium coniugale, rebusque mundi contemptis omnibus, Christum ut pauperem, sic etiam castum fuisse consecratos. Tum grauis autor Epiphanius apertè testatur: Tradiderunt sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Ac rursus ille Iacobum & Ioannem Zebedæi filios, ac Paulû ex Apostolis virgines facit, sicut & Sophronius Andreæ nostro tribuit, quòd vitam in terris cœlibem duxerit. Meminit & Cyprianus Martyr, se diuina reuelatione monitum hoc mandasse, ne Clerici cum fœminis commorarentur. Nec dubium, de præcingendis lumbis Apostolos frequenter docuisse, cum non ignorarent, quantoperè Christo placerent, & ab Isaia laudarentur eunuchi Euangelici, qui seipso castrant propter regnum cœlorû. Tum beatiores fore sciebant, qui se cum mulieribus non coinquinant cœlibes, quàm coniuges, qui carnis tribulationem habere, & diuisi esse à Paulo dicuntur. Ego certè sic meam vitam instituam, quemadmodum Apostolica doctrina disertè significat, ut si vxori alligatus non sim, hoc graue & indissolubile vinculum non faciliè quæram, sed po-

tius vt consilium Euangelicum amplexus, si Christi gratia id sectari posse videar, abstineam à fornicatione, vasque meum possideam in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ Deum ignorant. Nimum sanè infirmi, & quodammodo carnales nunc pleriq; inueniuntur, quos nulla Spiritus fortitudo ad carnem vincendam impellit, sed qui cum leuiter etiam impugnantur, se velut ignaues præstant milites, qui abiectis armis hosti dant manus, eaque repudiant pharmaca, quæ ab optimo medico ad morbum curandum præscribuntur. Paulus autem nobis hæc proponit pharmaca: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, sed neg, exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus.*

Est & alius præsentis loci sensus, qui nobis confirmat dictum illud Propheticum, veraque iustitiæ officium: *Declina à malo, & fac bonum.* Quid enim est, *Sint lumbi vestri præcincti*, nisi Declinate à malo? & quid sibi vult, *Sint vobis lucernæ ardentes*, nisi Facite bonum? Præcinguntur ergo Fidelium lumbi, (verbis vtar Fulgentij) dum concupiscentia mala comprimuntur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciuia denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum auaritia contemnitur & rapina, dum proximi læsio deuitatur, dum superbia vincitur, dum inuidia superatur. Ardent verò lucernæ Fidelium, dum rectæ Fidei regulam seruant, dum in sinu matris Ecclesiæ longanimiter perseuerant, dum terrena cōtemnunt, & cœlestia cōcupiscunt, dum solliciti pacem custodiunt, dum se inuicem purè diligunt, dum mutuo se honore præueniunt, dum mansuetudine cordis & humilitate proficiunt, dum misericordiæ opera libenter ac hilariter faciunt, dumq; in operibus bonis non hominibus, sed Deo placere contendunt. Ego verò iustum animi dolorem inde capiam, quòd eiusmodi lumborū præcinctio, & lucernarū gestatio, qualem Christus modò requirit, suam

in

1. Theff. 4.

Ephes. 5.
Rom. 6.

Galat. 5.

Psal. 33.

Sermon. de
Cōfessorib.

Tit. 2.

Ephes. 2.

Rom. 1.

Luc. 12.

Ioan. 1.

Luc. 24.

Psalm. 118.

Psal. 18.

Psalm. 1.

Matth. 5.

in me vim ac virtutem non assequatur, sed ego iustitiae Christianae officio multis modis desim, ac propterea iratum mihi iudicem Deum, qui iustitiam in suis diligit, timere possim ac debeam. Neq; satis quidem fuerit, lumbos mihi esse praecinctos, vt, sicut Paulus loquitur, omnem impietatem & secularia desideria prorsus abnegem, nisi praeterea, sicut protinus adiungitur, sobriè & iuste & piè viuam in hoc saeculo. *Dei enim factura sumus*, vt idem affirmat, *creati in operibus bonis, vt in illis ambulemus*: hoc est, vt promissum regnum aeternum per medias mundi tenebras cum lucernis ardētibus penetremus. Caeterum veteres Philosophi, mundiq; sapientes his ipsis lucernis destituti, Deus bone, in quam densas tenebras prolapsi sunt, vt neq; se ipsos, neq; Deum agnoscerent, nec verum à falso discernērēt, sed creaturae pro creatore seruirent, ideoque cum se dicerent sapientes, stulti planè facti sunt, Apostolo teste. Sed quomodo mihi lucebunt & ardebunt lucernae, nisi caelestem ignem ille incenderit, qui affirmat de seipso: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Est enim ipse lux hominum in tenebris lucens, & lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. A qua luce illuminati quidam, cum ignitum eius eloquium percepissent, mente feliciter arserunt, in haec verba prorumpentes: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas?* Quanquam mihi sat non fuerit illuminari verbo Dei, & cum Psalmographo dicere: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* *preceptum enim Domini lucidum & illuminans oculos*, in quo iusti quidem die ac nocte maximo cum fructu meditantur. Mihi porrò danda est opera, vt verbū Domini vera Fide perceptum, ac sedulò retentū in me quoq; ardeat, & alijs itidem splendeat, atq; in proximorum commodum sese diffundat. Hoc enim est quod lux ipsa mundi Christus illa praescripsit sententia: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est.* Tantoq; magis optabo & procurabo in illorum esse numero, qui

verbo

verbo & opere seu exemplo nō solum neminem offendunt, sed etiam quacunq; ratione possunt, multos ædificare cōnātur. Norunt quippe Apostolicam regulam: *Vnusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem*. Ac iterum: *Sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesia Dei*. Pulchrum est quidē ac optabile, si de nobis id prædicetur, quod ab eodem Paulo scriptum est, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. ut filij lucis ambulare, probantes quid sit beneplacitum Deo; & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum*. Sed multo pulchrius & fructuosius esse ducam, si Ioannis Baptistæ sequar exemplum, de quo Christus testis minimè fallax ita pronūtiat: *Ille lucerna erat ardens & lucens*. Huic adiungam Philipenses non temerè à Paulo commendatos, quod essent sine querela & simplices filij Dei, quodq; in medio nationis prauæ & peruersæ lucerēt, sicut mundi luminaria, verbum vitæ continentēs.

Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenierit vigilantes.

QVAM bonus Israël Deus his qui recto sunt corde? quicq; Christo Domino, dum hic viuitur, ministros fidos & obsequentes se exhibent? Ut enim ipse promisit, qui fallere nunquam potest: Vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Cur ego huic Domino nō libenter ac studiosè deseruiam, qui & ipse apud Isaiam seruus dicitur, atque ut indigno mihi seruiret, tota vita tantoperè, ut nemo alius, laborauit, seq̄ue totum ad immanem vsque mortem crucis impendit, ut per Prophetam cuiq; nostrum meritò dicat: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, prabui-sti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Illud admirabilius, quod etiam serui forma deposita, quam nomine nostro suscepti, suum etiam offert ministeriū ad quemlibet fidelem seruum excipiendum, qui paratus ex hac vita discedit, & in regnum illud transfertur æternū. Ita enim in Euangelio se ipsum de-

Rom. 15.

1. Cor. 10.

Ephes. 5.

Ioan. 5.

Philipp. 2.

Psal. 72.

Ioan. 12.

Isai. 49.

Isa. 43.

Philipp. 2.

pingit,

- pingit, vt seruum bonę frugis, qui probè suo munere functus est, totus gratulabundus excipere velit, ac dicere: *Euge serue bone & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constitua: intra in gaudiũ Domini tui.* Ac alibi plura pollicetur, sic inquit: *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* An non velut seruus ipse seruorum, suis eiusmodi seruis ministrat, cum illos nominatim corã Deo Patre & sanctis angelis confitetur, eorumq; benefacta tam accuratè recenset & ornat coram tota multitudine? Quid ergo mirum, sanctos angelos prædicari, qui non solum ob peccatorem pœnitentem ingens gaudium celebrent, verumetiam vt heri sui mandato parcant, latissimè congratulentur, quia ouis quæ perierat, inuenta est, maximè cum seruorum Dei aliquis triumphum agit de hostibus, & cœlesti à rege corona donandus est? Quid quòd Christus seruile officium in suis vel seruis vel amicis honorandis adedò non refugit, vt de seipso testetur Apostolis: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam.* Et alibi adhuc planius, hoc est, ad humanum captum accomodatius ac generalius ita loquitur: *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, (sicut & pedes Apostolorum abluturus sese præcinxit) & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Vt hinc etiam facilè quiuis intelligat, nos permultùm Christo Domino debere, non solum ob ea quæ mortalis nostra causa, vt mundo seruiret, effecit; verumetiam propter illa, quæ suo tempore facturus ac præstiturus est immortalis, vt se copiosissimum ac liberalissimum remuneratorem seruis ostendat. Ita quippe promisit: *Mensuram bonam & confertam & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Rem eandem pluribus explicat Isaias, per quem Dominus seruis bonæ & malæ frugis hanc disparem remunerationem liquidò explicat: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei letabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis,*

Et vos clamabitis pro dolore cordis, & pro contritione spiritus. Ergone demirer tantam Christi in promittendo, multoque magis in remunerando beneficentiam & liberalitatem? quandoquidem vel abiectionissimo seruo, qui suum officium praestitit, tam ingens officium ac praemium rependere statuit, quantum nos quidem verbis nullis effari possumus. Vt enim Paulus ex Isaia confirmat: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae preparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Hinc tanta in eodem Paulo fiducia fuit, ubi breui morturus, ob impletum suum ministerium sibi plurimum gratularetur, certoque sibi promitteret coronam iustitiae a iudice Christo reddendam; nec sibi solum, sed & alijs qui diligunt eius aduentum.

Sed nunc expendendum superest, quidnam exigit Dominus a seruo maximis, ut dictum est, praemijs afficiendo. Vnum hoc potissimum exigit, ut inuigilet ac vigilanter expectet redditum Domini sui, cumque venientem paratus excipiat, quocumque tempore accesserit, suumque seruum euocari. Quocirca ingens apud me pondus habebit, quod Christus toties in Euangelio, tamque grauius mandat, **VIGILATE**, sicut & in illo loco: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Ac ne solis quidem discipulis hoc dictum arbitremur, disertè pronuntiat, *Quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate.* Vbi Christum sequitur Apostolus dicens: *Euigilate iusti, & nolite peccare.* ac alibi: *Hora est iam nos de somno surgere.* tum iterum: *Vigilate, state in fide, viriliter agite & confortamini.* Cur verò ad vigilandum toties excitamur? quandoquidem ex morte & sine salus hominis tota dependet, nihilque potest tristius ac infelicius esse, quam si vitam vel optimam mala morte homo concludat. Etenim *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit,* ut asserit Ecclesiastes. Deinde licet mortem felicem sibi omnes desiderent ac exoptent, pauci tamen ad eam sese ut decet, maturè digneque componunt; plurimi verò sese regi Ezechiae conformant, cui cum Isaia Propheta dixisset: *Dispone domui tuae, quia morieris*

1. Cor. 2.
Isai. 64.

2. Tim. 4.

Matth. 24.
& 25.

Marc. 13.
1. Cor. 15.

Rom. 13.
1. Cor. 16.

Eccles. 11.

Isai. 38.

Ioan. 5.
Sapient. 16.
Roman. 14.

Ioan. 5.
Matth. 25.
2. Cor. 5.
Ioël 2.
Iob 31.

Luc. 16.
Apoc. 22.

Apoc. 2.

Psal. 26.

Philipp. 1.
2. Corin. 5.

tu, & non viues, hanc denuntiationem ille permolestè tulit, vt lacrymas profunderet, vitamque à Deo expeteret longiorē. Præterea cum Pater omne iudicium dederit Filio, & is vitæ ac necis nostræ sit princeps, nec minùs mortuorū quàm viuorum dominator velit agnosci, demùm & salutis humanæ sit auidissimùs; nihil sanè mirum, quòd seruos omnes vigilare, & in procinctu esse iubeat, ne quisquam ignorantie incuriæque suæ prætextum hinc possit obtendere, in quacunq; tandem ætate, & vbiunq; locorum ad mortem & iudicium euocetur. Quid quæso decentius ac rationi magis consentaneum esse potest, quàm vt seruus ad nutum vocantis heri se promptum & obsequentem ostendat, præsertim quum fidei serui ministerium æternis est præmijs compensandū? Veniet sanè Dominus visibiliter, cum in fine mundi mortuos omnes colliget, cumque in monumentis manentes, vocem eius audient & resurgent, vt suū ab ipso iudice vel præmium vel supplicium referant nunquam desitutum. Hinc magnus ille & horribilis dies Domini, sicut Ioël appellat, & quem Iob sanctus extimescens aiebat: *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus?* Verùm hoc loco Christus de iudicio non generali, sed particulari, vt vocamus, verba facit, cum idem & testis & iudex inuisibiliter ad quemlibet morientem accedit, & superioris vitæ rationem ab eo repetit, perinde ac si dicat, *Redde rationem villicationis tuæ.* Eodē spectat & illa ipsius fida præmonitio: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, redde unicuique, secundum opera eius.* Ac rursus illa: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Quapropter mihi satis non erit, Christum redemptorem venturumque mundi iudicē profiteri, sed conabor eundem etiam in morte mea vt amicum hospitem & liberalem remuneratorem excipere, meque ad salutarem illius aduentum sollicitè preparabo: Scriptum est enim: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & susline Dominum.* Ita profectò Paulus faciebat, qui tantoperè dissolui, & esse cum Christo, siue peregrinari à corpore, & præsens esse ad Dominum

cupie-

cupiebat. Qui verò non dormire, sed vigilare Scripturæ more dicuntur: Qui nempe grauem peccati somnum, & negligentiam torporem obrepentem excutiunt, ac insuper circa Dei sui cultum & animæ curam, virtutumque studium accuratè versantur, nihil vt illos à regno Dei impediatur, cum vel subito & ex improviso è viuus euocantur. Gregorius & Haymo sic interpretantur: Vigilat ille, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet: qui rectè credit, & piè uiuit, vt seruet operando quod credit. Vigilat, qui torporis & negligentiam somnum excutit, & ardenti animo diuinis mandatis inhæret.

Quid verò si fortasse non vigilauero? Certè dormientibus, vt dici solet, iura non succurrunt, & planum est Christi verbum: *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Ac iterum: *Memor esto unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Tanti est periculi, nos Christo ad excubias pro-uocante dormire, & velut lethargico somno consopiri; sicut illi Christo verè dormiunt, & quasi mortui manent, qui pretiosum hoc gratiæ tempus nõ inutiliter solùm, sed etiam cri-minosè traducunt. Sunt illi nõ dissimiles malo & pigro seruo, qui talentum ab hero acceptum in terram defodit, ac nul-lum inde fructum reportat. Quid verò iratus herus de illo iudicat? *Inutilem, inquit, seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Atque hos ipsos ignauos veluti fucos cum illo diuite conferre licet, qui cum lucæ salutis im-memor, ad perituras huius vitæ voluptates aspiraret, & va-nam in illis longauitatem sibi promitteret, stultissimè dixit: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* De quo diuitum & magnatum non vi-gilantium genere dixit Propheta: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis, qui nempe confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Atque hi sunt, quos Paulus non lucis & diei, sed noctis & tenebrarum filios vocat. O deplorandos mihi ho-

In hoc ipsū
Euangeliū.

Apocal. 3.

Apoc. 2.

Matth. 25.

Luc. 12.

Psal. 75. &
48.

1. Thess. 5.

mines, qui perinde ac si immortales hinc futuri essent, in vtrâque, vt aiunt, aurem securè dormiunt, non modò diuinæ voluntatis, sed etiã æternæ suæ salutis oblit. Cæci prorsus ambulat, clausos tandem oculos aperturi, cùm accedet extrema vitæ horula, quæ & corpus hoc caducum extinguit, & animam immortalem ab ipso corpore non sine vi separat, ac inuitos etiam ad feuerum Christi tribunal protrudit. Quid verò tristius ac formidabilius effingi potest, quàm cùm homo peccatorum sarcina prægrauatus è medio tollitur, & acufantem interim conscientiam, ac terrentem Satanam, iratumquæ sibi iudicem ferre cogitur; quoniam antea cta crimina simul sub aspectum veniunt, & incredibilem timorem ac horrorem tunc ingerunt, cùm nullus resipiscentiæ locus ac tempus est, cumquæ impletur Propheticum dictum: *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Hoc est quod Paulus quoque dixit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, & terribilis quadam est expectatio iudicij, & ignis emulatio.* Terribilis inquam ijs, quibus vt diuiti epuloni, apud inferos ardenti iam omnis salutaris pœnitentiæ tempus effluxit, grâtiæquæ diuinæ ianua manet oclusa, cùm perpetuæ mortis & gehennæ lata sit sententia. Hinc meminero illius quod monet prudenter Ecclesiasticus: *Ante iudicium para iustitiam tibi.* Ac iterû: *Ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.*

Ierem. 2.

Heb. 10.

Luc. 16.

Ecclef. 18.



DE BEATO NICOLA O
EPISCOPO.

Matth. 21.

Luc. 1.

ELEBRANDVS est mihi hic Nicolaus, Pataræ in Lyciæ oppido illustri loco natus, qui Ioâni Baptistæ Prophetarû excellentissimo eatenus æquari potest, quòd iustis sanctisquæ parentibus sanctior ipse filius obtigerit, & præclare admodum fulserit in Ecclesia Dei. Vti

nam

nam verò plures id genus parentes inueniamus, qui puri matrimonij sui fructum referant, vt vel senes & steriles Deo charos & Ecclesiæ vtiles filios precando adipiscantur; sicut & Anna Phanuelis infœcunda coniunx filiū Samuelem precibus obtinuit, Deoq; sanctè dicauit. Rarum est ac memorabile, Nicolaum adhuc infantem inde à primis annis singulari claruisse sanctimonia, quā per omnes ætates ita conseruauerit, vt alter Ieremias, quem præuenit Deus in benedictionibus, possit existimari. Nec obscurum sanctitatis est argumentum, puellum hunc virtutem abstinentiæ constanter coluisse, seq; sancti ieiunij amanti postea semper declarasse. Etenim, quod naturæ facultatem & puerilis ingenij captum excedebat, infans etiam hebdomadatim duos sibi delegit dies, quartā nempe ac sextam feriam, quibus ante vesperam nullum à nutrice lac sugere, vel oblatum hoc alimentū admittere dignaretur. Sic ille puerulus & suam in Deum fidem, & singularē virtutis amorē re ipsa probauit, non ab homine, sed vnctione Spiritus edoctus, vt iugū Domini portaret ab adolescentia, immò & infantia sua. Etenim manus Domini erat cum illo. Quare non temerè dolebo, cōplures hodie filios Belial, quales & Heli sacerdos habuit, Dominū nescientes, & petulantia diffuentes passim circūcuritare, paucos verò Samueles & Nicolaos apparere, qui Deo & hominibus placeant, suæque pietatis & virtutis illustre specimē præbere velint ac possint. Magnus profectò fuit in illo contēptus opum, quas cū ab opulenti parentibus vnicus filius & hæres accepisset, in egenos liberaliter erogauit. Singularis autem eius munificentia in egenum ciuem extitit, qui cū tres nobiles haberet filias virgines, easque ob ingentem penuriā honestis viris tradere non posset, & impudicis permittere cogitaret, tantū auri in suas ædes nocte à Nicolao iniectum accepit, quantū satis esset ad singulas à turpitudine publica liberandas. Obseruari enim cupiebat, quod bono parenti Sapiens mandauerat: *Filie tibi sunt?* inquit, *serua corpus illarum. trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* Et diues quidem adole-

1. Reg. 1.
& 2.

Ierem. 1.

Luc. 1.
1. Reg. 2.

Eccl. 7.

Matth. 19.

Luc. 16.

Matth. 6.

Psal. 111.

Tob. 4.

Hebr. 13.

Iob 29. &
30.Ecclef. 44.
2. Cor. 8.
& 9.

scens tristis à Christo discessit, cum de suis facultatibus relinquendis audiret: Nicolaus verò paupertatis quam pecuniarum studiosior, de dispensandis opibus vsque sollicitus fuit, vt pararet sibi amicos de mamona iniquitatis, & thesaurum in cœlo indeficientē reconderet. Rectè igitur de hoc Evangelico mercatore cantamus: *Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in saculum seculi.* Ego verò vt me aliqua ex parte S. Nicolao conformē, auream Tobix regulam mihi commendatam habebo, quæ in hunc modum tradit: *Quomodo potueris, ita esto misericors. si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter imparturi stude. premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Neque solùm de corporalibus, sed etiã de spiritualibus misericordiæ operibus præstandis, quæ summo Deo sæpè gratiora sunt, sollicitus fuit Nicolaus, & ego itidem sollicitus esse debeo, vt dicto Paulino paream: *Beneficentia & communicatio non sine oblivisci. talibus enim hostijs promeretur Deus.* Nulla ferè virtus perinde ac misericordia in hoc Nicolao pulchrius eluxit, maioremquè illi gratiam apud omnes peperit, cum verè ille cum Iob testari posset: *Oculus fui cæcus, & pes claudus, & pater eram pauperum: flebam super eo qui affluctus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Quare viduarum, pupillorum, orphanorum & egentium omnium rationem semper maximam habuit, ne vllis pecunia, consilio & opera subleuandis deesset, mirè quidem industrius ac sollicitus in vinculis è carcere liberandis, & in annonæ caritate laborantibus consolandis. Quid verò nunc magis deplorandū est, quam quòd paucos Nicolaos, hoc est, vt Scriptura loquitur, viros misericordiæ passim experiamur, qui cum Paulo ad alendos pauperū etiam absentium greges collectas & eleemosynas studiosè conferant & procurent?

Quod ad munus episcopale attinet, inuit⁹ planè & coactus illud suscepit, recusaturus planè hoc tantum onus, si licuisset, quod illi Deus non sine miraculo & admirando consensu omnium demandavit. Talem verò gessit antistitē apud Myræos,

qualem

qualem depinxit & postulauit Apostolus, cum scriberet: *Exemplum esto Fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi & doctrine.* Verè igitur de illo cantat hoc Euangeliū Ecclesia, in quo seruus castus, vigilans, fidelis & prudens proponitur: nec minùs hoc egregiū illi tribuit elogiū: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus.* Confert eundē Noë Patriarchæ, qui inuentus est perfectus & iustus, quiq; in tēpore iracundiæ factus est reconciliatio, sicut scribit Ecclesiasticus. Fuit ille vir zelotes, alter Phinees, qualē in suo populo desiderat Deus reperire, qui nempè interponat sepem, & stet oppositus contra ipsum pro terra, ne illā dissipet, quemadmodum Moyse & Samuel sacerdotes iratum Deum populo recōciliârunt. Quid autem fœlicius eo grege, cui pastor aliquis, uti Nicolaus, contingit, ut propter illū à Domino benedicatur? Optabo interim ex animo, veterē & salutarē illum morē hodie renouari, quo factum est, ut populus ad cōmunes preces instituendas in Ecclesia conueniret, quo tempore Pastor vel Episcopus erat deligendus. Eiusmodi Cleri Populiq; precibus noctu celebratis effectū est, ut suā Deus voluntatē in assumendo Nicolao p̄sule declarauerit, totamq; prouinciā tam felici electione pastoris, qualē nemo sperasset, illustrârît. Et cum pij cōprecatores Deum vrgerent, ac diuinæ gratiæ pulsarent ostium, Matthias Apostolus fuit electus, & princeps Apostolorum ab Herodiano carcere ab angelo liberatus, ad suas regendas oues redire potuit. Fuit hic Nicolaus è spectatissimis & laudatissimis Episcopis, qui Nicenā Synodum, eamq; longè celeberrimā Constantino Cæsare decorarūt, & impiū hæresiarum Arium exitiosam Ecclesiæ pestem, magno consensu condemnârunt. Arsit in illo zelus Fidei contra hæreticos vindicandę, multumq; valuit in studio pacis & cōcordiæ in Orthodoxis retinendæ: cum optimè sciret, quāti referret, multitudinis credentium non nisi cor vnum & animā vnā persistere, nec disparem Fidei esse professionē ac formulam. Gaudebo interim, mihi cum hoc sancto Episcopo Fidē esse

1. Tim. 4.

Luc. 12.

Genes. 6.

Eccl. 44.

Numer. 25.

Ezech. 22.

Exod. 32.

1. Reg. 7.

Act. 1.

Act. 12.

Act. 4.

communem, Fidem inquam, catholicam, quam ille in corde ad iustitiam habuit, & ad salutem lingua professus est; nec solum vitæ integritate semper confirmavit, sed apertis quoque miraculis in Christi nomine, & ad Dei gloriam editis publicè comprobavit. Iactent suam Fidem, Fideiç, doctrinam noui Sectarij, ac suos præceptores, si libet, vsq; ad cælos extollant. Mihi sat fuerit, vt sanctissimo, ita & laudatissimo Episcopo Nicolao firmiter adhærere, & eadem cum illo de Religione fateri. Huius verò sunt generis, in controuersis hodie articulis è sola Scripturæ litera non posse inter partes conuenire, sed Ecclesiæ iudicio & authoritate opus esse, cum illa sit domus Dei viui, colūna & firmamentū veritatis. Tam in Ecclesia eum ordinē esse seruandū putabo cū Nicolao, vt Christi oues à suis pastoribus & episcopis pascantur atq; regantur, penes quos etiam facultas maneat inobedientes excōmunicandi. Adhæc non dubitabo, inter Episcopos ipsos vnū præstare ceteris, cui suprema debeat autoritas, & sine quo Concilium Oecumenicū nec iudici, nec confirmari possit: vocari quidem Christianos omnes mysticè Sacerdotes, sed peculiarem illorum esse ordinem, qui Dei Ecclesiæç; suæ ministri constituti, sacramenta ministrant; nec solum Dei verbum prædicant, sed etiã pro viuus ac defunctis Fidelibus ex professo precantur ac offerunt. Mirū verò quot quantisç; miraculis Deus fidem, vitam, officium & sanctitatem huius Episcopi cohonestarit. Nam & palàm Ecclesia testatur, miracula quæ per Nicolaum dininitus facta sunt, innumera esse, vt explicari vel perscribi minimè possint; eaç; cōplures non solum illo superstite, verum etiam post mortē eius terra mariç; fuerunt experti. Quid verò impudentius, quàm vel negare vel continere tam præclara Dei dona, & Ecclesiæ testimonia, quæ plurimi suis conspexerunt oculis, & à fide dignis audiuerant, & per se ipsos tot sæculis persenserunt: quemadmodum Græci Latiniç; Scriptores non obscure testantur. Etenim de hoc nunquã fatis laudato Episcopo scripserunt è Græcis Methodius Constantinopolitanus antistes, Metaphrastes, Suidas, &

Nice-

1. Tim. 3.

*Miracula à Sancto
Nicolao patrato
sunt innumera.*

Nicephorus Callistus: ex Latinis autem Ioannes Diaconus, Petrus Damianus, Bernardus Clareuallensis, Laurentius Iustinianus, vt reliquos prætermittam. Cur ego non magni faciam, & peculiariter colam eum, quem sanctus & magnæ authoritatis Theologus Ioānes Chrysoſtomus tanti habuit, vt in sua quoq; Liturgia nō potuerit illius obliuisci, & ab omnibus quidem ad altare sacrificiis voluerit honorari? Tanti enim tunc nominis erat Nicolaus, vt vocetur ab eo regula fidei, mansuetudinis imago, & cōtinentiæ magister. Ideo ad-
 ceptus es, inquit, humilitate sublimia, paupertate opulenta. Pater Nicolaë, fungere legatione apud Christū Deum, vt animæ nostræ salutem cōsequantur. Quid autē est Diuina Nicolaum inuocare, si hoc loco Chrysoſtomus illum nō inuocat, alijsq; inuocandum proponit? Missā nunc facimus epitheta, quibus illū veteres, & cum his Bernardus Clareuallēsis ac P. Damianus exornāt, cum vocāt eum electū ab vtero, sanctū à puero, iuuenū gloriā, senum reuerentiā, sacerdotū honorem, splendorē Pontificum, cuius miracula per totā mundi latitudinem diffunduntur, & quem orbis terræ demū laudat vniuersus. Celebrant hoc solēne Festum nō minū Græci, apud quos Emmanuel Imperator hanc legem promulgauit: Sexta dies Decembris festiua est propter miraculis insignem, & ynguentorū fragrantia scatentem Nicolaum. Et de Iustiano Imperatore legimus, quòd D. Nicolao templum crexerit, illudq; cum labasceret, postea per Basiliū Augustum fuit restitutum, sicut Procopius & Cedrēnus indicant. Neque verò sat fuit religiosissimo huic Episcopo, veram confiteri ac prædicare Fidem, eamq; certissimis astruere miraculis: sed vt virtus eius inflicto vulnere magis viresceret, multa & grauia subiit certamina, in quibus tanquam aurum in igne probatum, postea magis eluxit ac splenduit. Etenim in aspera tempora incidit, quæ diris persecutionibus Ecclesiam diuexârunt, præsertim cum immanes tyranni Diocletianus & Maximianus aperto Marte in Christianos desæuirent. Tunc & Nicolaus vt optimus pastor, à suis ouibus per lupos


Vide sermo.
 nes eorū de
 hoc Festo.


Proco. lib. 1.
 de edif. Iust.
 Ced. in com-
 pēd. histor.

Proverb. 27.
 Eccles. 2.

Aggr. i.

fuit abstractus, & in exilium actus, multaque indigna pertulit, donec Constantinus Imperator succederet, & optatam Ecclesiæ pacem restitueret. Fuit is Nicolao familiaris & additus, vt pijs etiam muneribus, quæ ad sacrificium spectarent, libenter illum honoraret, ac eiusdem voluntati in rebus absolvendis ac liberandis libenter obsecundaret. Ac tum quidem præclare agitur cū Ecclesia, cū inter vtriusq; ordinis proceres optimè conuenit, & Ecclesiastici simul & politici magistratus cōiunctis velut manibus ædificant Ecclesiam, quem admodum Iesus filius Iosedec sacerdos magnus, & Zorobabel dux Iuda communi studio templum iussu Domini feliciter construxerunt. Demùm ita me cum S. Nicolao confiram, vt valde doleam, me per omnia viro huic Apostolico, & Sacerdotum omnium viuo velut speculo, Ecclesiæque columini valde dissimilem esse. Meritò sanè me pudeat imbecillioris fidei, si Religionem illius in tot certaminibus ab hæreticis ethnicisque probatam ac vsque constantem ritè spectem. An meum luxum non arguit, quòd videam huic tam diuino viro sanctæ abstinentiæ & ieiunationis vsum ferè perpetuum extitisse? Ego erga inopes & mendicos durus, asper, tenax, amarulentus & suspiciosus esse subinde soleo: quid autem illo mitius, humanius, liberalius, qui se totum pauperibus impendere gaudebat, simulque seipsum contemnebat? Non rarò à mundo, carne, satana vulneror ac superior, etiam non grauiter impugnatus: ille se potentem mundi satanæque victorem exhibebat, ac mira spiritus fortitudine omnem carnis imbecillitatem frangebaturque conterebat. Quocirca cum Ecclesia precari non dubitabo: Deus qui beatum Nicolaum Pontificem tuum innumeris decorasti miraculis: tribue quæsumus, vt eius meritis & precibus à gehennæ incendijs liberemur, per Iesum Christum.
Dominum nostrum.





DE PRECIBVS. CVM HOC FESTO
coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro ministris & magistris Ecclesie, potissimum Episcopis & Archiepiscopis, vt casti, sobrii, irreprehensibiles, fidei ac prouidi suum officium faciant, frugiq; seruatorum à Christo laudatorum laudem & gloriam vnà cum D. Nicolao possint adipisci. Etenim ministros Christi, & mysteriorũ Dei dispensatores paucos reperiri, qui omnem criminis notam effugiant, etiam suo sæculo questus est Apostolus, inquiens: Hic iam queritur inter dispēlatores, vt fidelis quis inueniatur. Omnes quę sua sunt, quærunt, non quę sunt IESV Christi.

1. Cor. 4.
Philipp. 2.

ORABO iidem Dominum sapè, vt quia mortis meae diem & horam ignoro, me in vita simul & morte seruum faciat vigilantem ac paratum ad omnem ipsius voluntatem explendam, ne ipsi vocanti desim, quocunq; tempore venerit, meq; ad suum iudicium euocarit. Ecce, inquit, venio sicut fur: beatus qui vigilat.

Apocal. 16.

AT QVE vt in S. Nicolao, quem Ecclesia multa vt singularem Patronum venerantur, Deus magis predicetur, petam illam gratiam diuinitus dari, vt multos Nicolaos accipiat Ecclesia tum in pueris, qui sint illius exemplo simplices ac innocentes, tum in diuitibus, qui hospitales & egenis benefici esse gaudeant, tum in magistratibus & rectoribus Ecclesiasticis, vt Clero populoq; non minus prodesse quàm præesse velint ac possint. Et ne ignoremus, quę sit ratio eiusmodi Patronos in cælis agentes ritè colendi atq; honorandi, rogabo vt præceptum illud Apostolicum obseruetur: Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitami & Fidem. De hoc Patrono venerando plura & peculiaria proferētur, cùm festum translationis eius celebrabitur, proximè videlicet ante ferias D. Ioannis Baptistæ natalitias.

Hebr. 13.



IN DIE FESTO CONCEPTIONIS BEA- TISSIMAE VIRGINIS MATRIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

PROPONIT hoc Euangelium temporalem & in-
clatam Christi Domini generationem, eamque ab Abra-
ham patriarcha per tres tessaradecades ad Mariam Virgi-
nem vsque deducit, vt catalogum eorum Patrum, à qui-
bus tota Domini genealogia processit, certum & inte-
grum habeamus. Inter omnes autem illos, qui ordine
suo hic recensentur, Abraham & Dauid primas tenent,
quòd horum duorum memoria Iudæis maneret celebra-
rissima, quodque illis Messias potissimum esset promissus,
qui ex ipsorum prosapia nasceretur. Summa igitur nobi-
litas Christo contigit, qui è stirpe sacerdotali & regia or-
tum duxit, eamque nobilitatem per Dauidicam virginem
ac benedictam matrem accepit. Quod Euangelium præ-
senti festo pulchrè quadrat, quia non solum Mariæ perso-
nam, prosapiam ac nobilitatem, sed & filium eius Chri-
stum verè Messiam in Lege promissum nobis ostendit,
ita vt Iudæi, qui matrem & filium IESVM non recipiunt,
sed blasphemant, sint prorsus inexcusabiles. Monemur
insuper hoc Euangelio, dispares planè Christi progenito-
res, & plures ex illis malos quàm probos fuisse. Sed Ma-
riam illis omnibus præstitisse, si spectemus Dei electio-
nem, à peccatis puritatem, gratiæ plenitudinem, vitæ san-
ctitatem, aliaque priuilegia, nulli alteri æquè communica-
ta. De hac ipsa virgine Isaias prædixit: Egreditur virga

Genes. 22.
Psalm. 131.

Isa. 11.

de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Etenim de radice Iesse, vt Epiphaniij verbis vramur, ortus est rex Dauid, & de tribu regis Dauidis virgo sancta, & sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atq; fructum eius, modi germinarunt sanctam virginem Mariam, templum simul & matrem Dei.] Nihil autem refert, catalogum generis Ioseph in hoc Euangelio repeti, & Mariæ genealogiam prætermitti; quando quidem Hebræorum receptus erat mos, non mulierum, sed virorum genealogias contexendi, & lege sancitum habebant, vt viri non nisi de tribu & cognatione sua vxores ducerent. Proinde vnum idemq; Mariæ & Ioseph fuisse genus, dubiū non est. Quod autem Virgo & conceptura & paritura esset Emmanuelem, idem Euangelista paulò post ex Propheta Isaia confirmat, & Apostolus clarè pronuntiat: Manifestū est quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: quem & Filium Dei ex semine Dauid secundum carnem factum appellat.

Serm. de laudib. Virginis.


Num. 36.

Matth. 1.

Isai. 7.

Hebr. 7.

Rom. 1.



INITIVM EVANGELII

secundum Matthæum.

IBER generationis IESV Christi filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem genuit Salomonem ex ea qua fuit Uria. Salomon autem genuit

genuit Roboã. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigracione Babylonis. Et post transmigracionem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae: de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA HOC
EVANGELIVM, SIMVLQVE
festum Conceptæ Virginis.

*Liber generationis IESV Christi, filij David,
filij Abraham.*

DE Christi Domini generatione tanto magis & mihi & Fidelibus omnibus gratulabor, quod hoc inscrutabili mysterio nullum aliud sublimius, augustius, dignius ac sanctius prædicari possit ac intelligi, siue divina, siue humana, siue spiritualis eius generatio exactè spe-

ctetur.

ctetur. Diuina enim inde ab æterno fuit, dum ipse Dei filius è solo Patre sine matre incõprehensibili modo gignitur, Patriquẽ tamen semper manet consubstantialis & æqualis per omnia. Atq; huc spectat præclarũ illud de Verbo eterno testimoniũ, quod altissimè volans cœlestis aquila Ioannes tradidit. Humana verò Christi generatio, quam Matthæus & Lucas Euangelistæ describunt, ex longo Patriarcharum, regum & sacerdotum ordine contextitur, per quẽ verus ille Messias diu desideratus, iuxta Prophetarum oracula descendens, ex Maria demũ castissima virgine humanã carnem assumpsit, sicut longè antè promissum fuerat ac præfiguratũ. Est & spiritualis eiusdem Domini generatio, quatenus ille per Euangelium in hominũ animis generatur, & Credentes gratiæ suę æternæquẽ gloriæ participes reddit. *Quotquot enim receperunt eum, vt à Ioanne traditur, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Idemquẽ dilectus alibi: *Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* O sanctã, mirabilem ac salutarẽ Domini generationẽ, qui cùm Verbum esset æternum, exiuit à Patre, & venit in mundum, vt nobis Deitatem suam largiretur, siue iuxta Petri sermonem, nos diuinæ naturæ participes redderet. Ergõne illi summo Regi ac Mediatori tũm meo, tũm cõmuni Credentium nomine ex animo gratias agam? quandoquidem princeps ipse pacis natus & datus est nobis è semine Abraham, de tribu Iuda: & de stirpe Dauid, vt irã filios in gratiæ filios transformet, suosq; faciat cohæredes, ac simul Spiritum sanctum in nobis habitantem & gubernantẽ relinquat, cuius fructibus amplissimis in hoc etiam exilio abundemus. Cuius quidem Spiritus fructus, quos longum est omnes enumerare, summatim à Paulo duodecim recensentur, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Sedenim quantum huic Mariæ filio debeo? qui ante mundi constitutionem præcognitus, & no-

uissimis

Ioann. 1.
1 Ioan. 1.
Matth. 1.
Luc. 3.

Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

Ioan. 13.
& 16.

2. Pet. 1.

Isai. 9.

Galat. 5.

1. Pet. 2.

1. Cor. 5.

Ecclef. 49.

Ioan. 1.

Matth. 1.

Heb. 7.

Pfal. 109.

Matth. 7.

& 20.

Luc. 11.

Matth. 7.

Rom. 2.

Rom. 9.

Rom. 2.

Habac. 2.

Luc. 1.

nouissimis temporibus manifestatus, vt Petrus loquitur, nos indignos Deo efficit Fideles, simulque à peccato, morte, fatana, maledicto legis & damnatione perpetua liberat, ac liberatos iustificat ac saluat; vt sicut in primo Adam omnes moriuntur, ita vicissim in ipso secundo Adā omnes viuificentur.

Cæterum quod ad Christi Domini progenitores hinc vsq; ad Ioseph enumeratos attinet, iure mirabor, in illis tam multos impuros & reprehensibiles, paucos autem verè iustos ac sanctos homines reperiri. Siquidem de regibus Iuda Sirach quoq; testatur, quod præter Dauidem, Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt, & legem Altissimi reliquerunt, Deique timorem contempserunt. Nominantur & mulieres, sed suis, nec leuibus vitijs obnoxia, quemadmodum Ruth idololatra, Rahab meretrix, Thamar incesta, & Bersabee adultera. Ita verò diuina Scriptura nos tacite admonet, Christum vnum esse, qui suis maioribus & sanctis alijs longè præstet innocentia, Agnum nempe immaculatū, qui mundi peccata tollit, & IESVM meritò dictū, cum peccatores Patri recōciliet ac saluet, Is rex quoq; iustitiæ est, & sacerdos secundum ordinem Melchisedec, sanctus, innocens, impollutus, electorum paucitate contentus, eorū scilicet qui verbum Dei audiunt ac faciunt, legisque auditores simul & factores esse contendunt. Adeò verè dixit Apostolus: *Non omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlita, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij. sicut & alibi monuit: Qui in abscondito Iudeus est, & circumciso cordis in spiritu, non in littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Postremò cum Christum Mariæ filium, in eiusque gremio genitum contemplor, summum omnium miraculum me contemplari putabo, quo nempe factum est, vt sit homo Deus, vtque homines, qui uelint, summi capitis membra diuina esse possint, & id per gratiam assequi, quod Christus secundum naturam obtinet. Quare cum Propheeta dicam ex animo: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea.* Nec verebor illud Deiparæ verbum mihi sumere: *Exultauit spiritus meus in Deo sa-*

lutari

lutari meo. Sed & cum fiducia repetam, quod Iob sanctus affirmavit: *In carne mea videbo Deum salvatorem meum:* cum idem nempe apparuerit in resurrectione iustorum.

Iob 19.

De qua natus est I E S V S, qui vocatur Christus.

EX tot Christi progenitorib. hic enumeratis, inter quos nonnulli sunt valde cōmendati ac venerabiles, nulli ego personæ tantum laudis, honoris atq; venerationis tribuā, quantum vni Mariæ; quæ postremū licet locum teneat in hac tota & sancta genealogia, tamen alios omnes longo post se intervallo relinquit. Ea ergo in proposita Christi hominis origine maximè mihi spectanda & suspicienda est, quæ præ omnibus alijs matribus hoc sibi proprium servat, vt sola de Christo Deo & homine illud sibi vindicare possit: *Hoc nunc os ex osibus meis: hæc caro de carne mea: hic sanguis de sanguine meo.* Benedicta certè & beata illa inter mulieres quamlibet illustres & excellentes, vt quarū nulla prorsus aliqua ex parte incomparabilem Mariæ dignitatē attingit, nedum exæquat aut superat. Quid nobilius Dei matre? vt Ambrosium æmuler, quid splendidius ea, quā splendor elegit? quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generavit? Talis fuit Maria, vt vnus vita omnium disciplina sit. Nullus denique est in amplissimo illo cœtu Sanctorū, qui præter Messiam, tot Prophetarum oraculis prænuntietur, tot veteris synagogæ typis & imaginibus adumbretur, totquæ insignium Ecclesiæ Scriptorum hymnis & laudibus cohonestetur, perinde ac isthæc Iessæa, Nazarena, sacrosancta Virgo, quæ nec primam visa est similem, nec habere sequentem. Vt hinc etiam scripserit Epiphanius, dignam illam esse inter creaturas omnes, quam præ cæteris & homines & Angeli suspiciant atq; venerētur, quando matre Domini nihil nobilius & præstantius, Deoq; coniunctius possit inueniri.

Genes. 2.

Luc. 1.

Lib. 2. de Virginib.

In orat. de laudib. Virginis.

Et quæ iustior & grauior mihi dolor ac luctus proveniet hoc iniquissimo sæculo, quo tam multi malè feriat ac profani homines prodeunt, quos nihil pudet tam augustæ Matris

honor

honoripalàm obtreçtare, & cultum ei hæctenus in Ecclesia toto orbe tributum vel obscurare, vel extinguere. Et nouis quidẽ Sectarijs, licet inter se dissectis, hæctenus perbellè conuenit, quòd cõtendant omnes Deiparam in ordinem redigere, quodque illam perinde ac quamlibet Euæ filiam, facere peccatricem cupidè moliantur; sed & publicè blaterent, eandem in peccatis natam, & legi peccati obnoxiam vsq; fuisse. Ego verò aduersus hos insanos Mariomastigas me aliosque confirmabo, nec remittam quicquam de memorabili veterum Orthodoxorum pietate, quos sanè constat, Virginẽ matrem, vt purã & immaculatã, summo semper in pretio & honore maximo habuisse, simulque illius insectatoribus fortissimè restitisse. Hinc Ebionitæ, Valentiniani, Manichæi, Heluidiani, Iouinianistæ, Nestoriani, alijque plures id genus perfidi hæretici à veneranda antiquitate nõ solum impetiti, sed etiã planè protriti ac damnati sunt, eò quòd perperam de Mariæ dignitate & integritate sentire, & blasphemos contra illam errores euomere non formidarent. Notabo insuper ex Euangelicis literis, pro dignitate illam amari & coli non posse, quam Angelus Gabriel à Deo missus, & Spiritu sancto plena nostri Baptistæ mater tantoperè suspexerūt, atq; palàm cohonestarunt. Gaudet profectò Catholicũ peçtus, vbi mater Domini celebratur & colitur; nec potest pius animus de hoc aũreo veri Salomonis templo, & excellentissimo membro Ecclesiæ non cogitare & loqui sublimia. Hanc vnã Deus Pater ex tot virginum millibus sibi ab æterno elegit, & plurimis maximisque charismatibus inde ab vtero materno exornauit. Hanc cœlestis ille Spiritus totam impleuit, & sicut sanctissimæ Trinitati gratissimã, ita nobis etiã vtilissimã, & Angelis charissimã Dominã reddidit. Hanc æternus Dei Filius vt matrem lectissimã adamauit, primum in illa mundissimumque hospitium eligens, vt ex virginei eius corporis substantia humanã naturã, in qua semper habitaret, assumeret, eiusque filius primogenitus efficeretur. Quæ cum Conditoris mater facta est, etiã omnium creaturarũ Domina facta est,

sicut

sicut ^a Athanasius & ^b Damascenus luculenter affirmant. Quid multis? Diuinum est decretum, quod humanis ac diabolicis viribus oppugnari potest, sed aboleri & euerti non potest, Maria ut sit vna prudentium virginum regina, quæ nobis Euxæ fatuæ virginis maledictionem vertit in benedictionem, & quam generationes omnes ætatibus omnibus, quamdiu stabit orbis, beatam prædicare debent; quoniam fecit ei magna qui potens est, siue ingressum vitæ illius, siue progressum, siue partum, siue exitum intueamur.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

QUICQUID in Maria pulchrum, immaculatū, sanctum & præclarum est, ac de illa ipsa dici crediq; potest, id ego boni & virtutis omnis autori Deo in primis acceptum feram, eique gratias agam peculiare ob tantæ Virginis æternam prædestinationem & temporalem creationem, tum ob nobilem eius profapiam & parentes per celebres, demum ob collatam illi sanctitatem eximiã, quæ inde à primo conceptu huic Ioachimi & Annæ filię perquam illustri mirabiliter obrigit, nihil ut in cunctis mortalibus pulchrius, nitidius ac sanctius reperitur. Scripsit antequingentos annos Fulbertus Carnotensis Episcopus, vita & doctrina præstans, Mariam vocans electam & insignem inter filias, quæ ab exordio suæ creationis immaculata semper extitit, quandoquidem creatorẽ totius sanctitatis erat paritura. Tum Anselmus vir suo sæculo per celeberrimus pronuntiavit, decere, ut Virgo mater illa puritate nitent, qua maior sub Deo nequit intelligi. Vbi in animum mihi reuocabo varios ac differentes iustitiæ sanctitatisque gradus, qui à summo Deo fidelibus ex gratia conferuntur & infunduntur, ut alij quidem cum Ieremia Propheta & Ioanne Baptista in materno utero sanctificentur, alij post baptismum acceptum vitam sine crimine transigant, & è gratia nunquam excidant, sicut de Apostolis Spiritu sancto repletis iudicare fas est. Athanasius perspicue dixit: Per multi fuere viri sancti puri criminis.] Nihil ergo mirum est, præcellentem gratiam

^a In Ser. de Deipara.
^b Libro 4. de fide orth. c. 15.
Genes. 3.
Luc. 1.

Canticor. 4.

In salutatione ad Deiparam.

Lib. de conceptu Virg. c. 17.

Ierem. 1.
Luc. 1.

Sermon 4. cõt. Arrian.

vereq; sublimem iustitiam & sanctitatem matri Domini contigisse, vt sancta esset priusquam nata, atq; ita incomparabili quadam benedictione Domini præuenta, ad summum illud maternæ dignitatis fastigium prepararetur, quam Creator omnium corporaliter erat inhabitaturus. Quare nulli Sanctorum rectius quàm huic Mariæ dicta illa Prophetica competunt, sicut veteres interpretantur: *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Domum Dei decet sanctitudo. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tue.* De hac ipsa verè cum Bernardo dixeris: Ego puto, quòd & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quæ ipsius nò solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunè. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse concessum. Decuit nimirùm reginã virginum singulari priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitã, quæ cum peccati mortisque pareret Redemptorem, munus vitæ & iustitiæ omnibus obtineret.] Tum ante Bernardum Idelphonsus, Mariæ natalem ideo celebrem & in Ecclesia colendum esse probat, quòd eadem ab originali peccato immunis, & sancta in lucem prodierit. Quid verò Theodoretus, qui Chrysostomi fuit æqualis? Inter tot hominum qui saluantur, animas, Mariam velut electam columbam esse scribit, non solùm pulchram penitus & immaculatam, sed etiam quæ puritate Cherubim ac Seraphim antecellit, vnam omnium sanctissimam & innocentissimam, & beatissimam, quam omnes omnium hominũ generationes omnibus vocibus nunquã cessantibus merito prædicent.] Et qui adhuc est vetustior Origenes, reliquos enim Patres hïc repetere superfedemus, Mariam sic prædicat, vt illi plenissimam sanctitatem, perfectam iustitiam, regis cœlestis domum immaculatam adscribat. Quocirca libenter amplectar eam sententiam, quæ vniuersæ placuit Ecclesiæ, & ab Augustino comprobata est, nempe vbi de peccatis agitur, Mariam propter Christi Domini honorem inter Sanctos omnes excipi, nullamq; de illa quæstionem haberi oportere: quoniam in con-

fesso

Psal. 45. 91.
 & 131.

Epist. 174.

Lib. 3. in Cã
 tica cant.

Serm. 1. de
 diuersis.

Cõci. Tridët.
 Sess. 5.
 Lib. de natu
 ra & gra. c.
 36.

fesso est, ad vincendum omni ex parte peccatum plus gratiæ illi esse collatū, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.

NEC refert, aliquando dubitatum, & à doctis etiam disputatum, esse, an Maria virgo inde ab ipso conceptu sancta, & ab originali vitio penitus fuerit præseruata. Nunc enim re diligenter expensa, Theologorum Catholicorum scholæ, & infinitæ priorum myriades in eam concedunt sententiam, festum hoc præsens de pura virginis Conceptione rectè institui, passimque ab Orthodoxis celebrari, in quo etiam rectè vereque decanterur: Immaculatam Mariæ Virginis Conceptionem celebremus, Christum eius præseruatorem adoremus Dominum. Etenim sicut primæ parenti Eux donatum est, vt immaculata prorsus in paradiso crearetur: ita potuit Deus secundam verè viuentium matrem, quemadmodum Epiphanius Mariam vocat, hoc singulari beneficio afficere, vt inter mulieres omnes inde ab initio benedicta, pura & integra formaretur, ac de illa in Dei persona illud prædicaretur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ Salomonis verba non ignobilis author Idiota nomine, in hunc modum iam pridem explanauit: *Tota pulchra es virgo gloriosissima, nō in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquā fuit, nec erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium donorū, spiritalium charismatum, & cœlestium bonorum.* Aequè luculenter docet præsul insignis Laurentius Iustinianus, à lege peccati originalis nullum excipi mortalem, sub qua omnes conditi sunt, præter Dei & hominum mediatorē Christum, & illam quæ genuit mundi Saluatorem. Huc demum referri potest quod apud Cyprianū legimus, Mariam plurimum à cæteris differre mulieribus, cum quibus natura communicebat, non culpa, quæque vt nullo peccati contagio erat infecta, sic nullo etiam peccati remedio indigebat, plena semper gratia, semper benedicta, nec minùs ad perfectè colendū amandumque; semper Deū idonea, in nullo cogitatu, sermone

Genes. 2.
Hæres. 78.

Cantic. 4.

In meditationib. de laudib. Virgin. cap. 3.

Lib. de gradib. perfection.

Serm. de natiuitate Christi:

vel opere sibi malè vnquam conscia, sed bonæ & pacatæ conscientiaæ perpetuo testimonio gaudens.

Verùm ne longiores hîc videamur, sat fuerit ea porrò breuiter attingere, quæ præclarum hoc Deiparæ Virginis Festum mihi frugiferum reddant & salutare, quod quidem & Græci ante Latinos olim celebrârunt, & in suo Martyrologio etiam Damascenus agnouit. Principiò magni faciã solennè hûc diem, & primû inter ferias Deiparæ consecratas, quæ quotannis in Ecclesia celebrantur. Hic quippe nobis velut ob oculos ponitur Testamenti noui exordiû, vtpote ob primum in hunc mundum ingressum Euæ matris nostræ, nō maledictæ, sed inter mulieres omnes benedictæ & immaculatæ semper, cui ab angelo dictû est: *Inuenisti gratiam apud Deum*. Deinde dubium non est, sanctos Angelos in tantâ puritatem & venustatem cōceptæ Virginis defixos, haud sine ingēti stupore cogitasse, atq; inter se mutuò collocutos esse quod scriptum legimus: *Quæ est ista qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Adhæc de hac ipsa Conceptione in Domino gaudebo, & pijs omnibus tanto magis gaudendum esse ducam, quanto diutiùs præci patres desiderarût, & ardentius expectarût promissam ab Isaia Prophetissam, virginē ac matrem Emmanuelis. Præterea sanctis Mariæ parentibus Ioachim & Annæ gratulabor, quorum religiosi votis tandem annuit Deus, vt in longa sterilitate tristiq; senectute versantes, oprata prole gauderent, sicut illis Angelus prædixerat fore. Etenim quemadmodum vetus & Deum timens Anna Elcanæ coniunx, priusquam Samuelē conciperet, cum infœcundam haberet aliu, per votum & preces filium desideratum accepit: ita & Ioachim coniunx Anna religione præstans, sed sterilis, obtinuit per preces & supplicationes, vt Mariæ lectissimæ filiaæ parens efficeretur. De his parentibus agunt ^a Gregorius Nyssenus, ^b Epiphanius atq; ^c Damascenus, quos nec vulgares & obscuros fuisse Nicephorus comprobat. Ambo, inquit, accuratioꝝ re iuxta præscriptum Legis vita præstâtes & clari, nec nō pri-

Luc. 1.

Cantic. 6.

Isai. 8. 7. &
11.

1. Reg. 1. & 2.

a Homel. de
Chr. generat.

b Hæres. 70.

c Serm. de

Mariæ nativ.

Lib. 1. hist.

cap. 7.

mis

mis quibusq; & splendidissimis nobilissimisq; genere cōnumerati, qui vitam ad senectutē sine prole edita produxerāt.] Rursus ego singularē illorum piorum lætitiā imitabor, qui cū horum parentum amici, cognati ac vicini essent, sincera charitate cōmoti, his ipsis infœcundis antea coniugibus, de concepta tandem prole sunt meritò gratulati, quādoquidem illos Deus benignè respexisset, ac sterilitatis non leui apud Iudæos nota liberare dignatus fuisset. Habeo insuper, quòd ab hisce parentibus discam, in rebus aduersis, cū humana nō suppetunt præsidia, Deum inuocare, immò & orando cum Deo certare, bōnaq; spe meum fulcire animum, nihilq; dubitare de bonitate diuina mihi suo tempore ad futura. Scriptum est enim: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. Expecta Dominum, & custodi viam eius: & exaltabit te.* Demum hīc se mihi cōmoda offert occasio, vt me ipsum rectius despiciam, & matrem Domini reuerentiū colam, præsertim mea & Marianæ conceptionis facta collatione. Quid enim sum ego, nisi ex carne corrupta, & de semine immundo conceptus, immundus & carnalis, qui vel inuitus de me fateri debeo: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Per quem sanè conceptum vt primū in corpus isthac animula fuit infusa, mox originalis peccati fœdā, & apud homines incurabilem contraxi labem, factusq; sum iræ filius, diaboli seruus, & reus damnationis æternæ, qui in Christo etiam renatus, ad praua quæq; procliuus maneo, nulloq; die absq; peccato vitam duco, quoniā & septies in die cadit iustus, ac semper illud fateri habeo: *Video aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Quid verò Maria semper illibata purius & sanctius? quæ virgo fuit, sicut Ambrosius loquitur, ab omni integra labe peccati, & Sophronio teste, ab omni cōtagione corporis, animæ & intellectus libera, præclara, sancta & immaculata perstitit, vt nec angelica puritas, si Bernardo credimus, ei cōferri possit, quæ digna fuit Spiritus sacra-riū fieri, & habitaculū Filij Dei. Nam, vt Hieronymus quoq;

Psal. 36.

Psal. 50.

Prouer. 24.
Roman. 7.In Psal. 118.
In epistol.
Sex. Synod.
Serm. 2. de
assumpt.
Mariæ.

In cap. 10.
Ecll. & ad
Eustoch.

Cant. 2.
Prou. 31.

Pfal. 44.
Iudith. 15.

confirmat, Maria Sanctis omnibus à peccatis liberior nata (dicam & concepta,) ac tanta puritatis extitit, vt mater Domini esse mereretur. Meritò igitur & rationabiliter de illa cum Salomone dicimus: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Multae filiae congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Quod iam olim Bethulienfes immanis hostis Holofernus victrici Iudith attribuerunt, nos quidem longè iustius Mariæ, quæ caput serpentis contriuit, largiri possumus, vt constanter & gratulabundi tali reginæ (sicut in Psalmis etiam nominatur) acclamemus: *Tu gloria Ierusalem, tu letitia Israël, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum.*



DE PRECIBVS CVM HOC FESTO
coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro coniugibus Christianis, vt ex animo cupiant, & à Deo enixe petant sanctos procreare liberos, qui magno bono sint Ecclesie aut Reip. quæ admodum Ioachim & Anna, Zacharias & El. Zabeih post multas preces Ioannem & Mariam procreauerunt, vtiq; illos ipsos liberos in maternis visceribus constitutos, sicut & post partum sæpe ac multum offerant & commendent aeterno Creatori.

ORABO in idem pro Catholicis omnibus, vt sanctissimam Virginem, Deiq; matrem augustissimam, eiusq; solennes ferias pio prosequantur affectu, sicut veteres Orthodoxi in amore & cultu Deiparæ religiosissimi extiterunt. Sed & illos commendabo Domino, qui hodie à constanti Ecclesie fide ac pietate alieni, de Domini Deiq; nostri matre perperam sentiunt ac loquuntur, qui etiam omnem Mariæ cultum superbe fastidiunt, contemnuunt, insectantur, & vbiq; possunt, pro sua libidine abrogare contendunt, ne tanta videlicet mater in Filio Opt. Max. prædicetur, & gratiã nobis vllam in cælo impetret.

DIVINAM *insuper opem implorabo, maius ut studiū mihi & Catholicis omnibus constet, veram animi corporisq; puritatem assequendi, & in ea iuuenilem praesertim aetatem conservandi atq; promovendi, hoc praesertim impurissimo saeculo, de quo verè dixeris: Omnis caro corrumpit viam suam super terram. Ad eò longè discessum est ab Apostoli doctrina: Hęc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore.*

Genes. 6.
1. Thess. 4.



IN DIE FESTO SANCTI THOMAE APOSTOLI.

Sequentis Euangelij Argumentum.


HISTORIA Euangelica, quæ à Ioanne narratur, luculentum præbet testimonium augustæ Christi Domini resurrectioni, quam decem Apostoli non obscure prædicant, solus autem Thomas in dubium vocat ac pernegat, quicquid demum alij, quamuis oculati fideq; digni testes, in contrarium profiteantur. Accedit ergo Christus, cum octo iam diebus rediuuius apparere cœpisset, ac Thomam errantem alijs præsentibus omnibus corripit, illiq; se non modò coram aspiciendum, sed etiam in suorum vulnerum cicatricibus contrectandum amanter exhibet. Vbi Thomas tam aperta & irrefutabili demonstratione conuictus, suum agnoscit errorem, veramq; de magistro, qui simul Deus & homo sit, fidem ingenuè profiteretur, factus deinde longè lateque certissimus testis ac

I. Pet. I.

præco fidissimus Euangelicę veritatis. Is ipse nobis & fidelibus omnib. idcirco gratior esse debet, quod ob suam Fidem beatus à Christo dicatur, longęque beator factus postea, cum ad Indos vsque profectus, Christi fidem & omnem eius doctrinam constanter disseminauit, nobis etiã ad radicem incredulitatis euellendã ac extirpandam perquam illustre præbens exemplum. Cæterum inter fideles alios, quos Christus hoc loco beatos appellat, siue illi ex Iudæis, siue ex Ethnicis vocati, recte & orthodoxe credunt, vel maximè cõmendandi sunt, qui vt Perrus Apostolus dixit, cum Christum non viderint, diligunt tamen, & credentes simul exultant læticia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei suę salutem animarum. Sed & verè beatam Ecclesiam dixeris, quæ cum sit filia Sion, simul & sponsa Christi, sponsum hunc suum vsque præsentem & auxiliantem apertis Fidei oculis contemplatur, illius verbo ac sacramento quotidie pascitur, ac suam de Redemptore fidem vbi que gentium, & in medio aduersariorum intrepidè firmiterque profitetur. Non spectat Messiam suum externis oculis, sed spiritualiter cupideque illum expectat, vt cum acceptis passionis suę cicatricibus in mundum redeat visibiliter, viuos ac mortuos, ac totum orbem summo cum imperio iudicaturus. Cæterum de hoc Thoma Apostolo, quem abyssum vel geminum Beda interpretatur, Paulinus Nolanus hoc modo canit:

In cap. 6.
Lucæ.


*Hic dubius gemino Didymus cognomine Thomas
Adiacet: hunc Christus pauidæ cunctamine mentis
Pro nostra dubitare fide permisit, vt & nos
Hoc duce firmati, Dominumq; Deumq; trementes
Viuerè post mortem verò fateamur IESVM
Corpore, viuã suã monstrantem vulnera carnis,*





EVANGELIVM IOAN. XX.

THOMAS vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit IESVS. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorū, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomae: Inser digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei IESVS: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PREGATIONVM CIRCA
EVANGELIVM ET PRAE-
sens Festum.

Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorū, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

PTABO in primis Fidem mihi dari veram, sinceram, plenam, integram, Deoq; gratam, qualis tunc eluxit in decem Apostolis, cum illi Dominū recens

Ioan. 20.
 Act. 10.
 Galat. 5.
 1. Corin. 13.
 Iacob. 2.
 Rom. 8.
 Luc. 1.
 Ioan. 3.

è mortuis resuscitatū vidissent & audiissent, vt hinc gaudio exilientes, Thomæ vno velut ore confiterentur: *Vidimus Dominum*: qui & postea Dominicæ resurrectionis, vt rei omniū difficillimæ, constātes fuere testes vbiq̄ gentiū. *Manducauimus, inquit, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. & precepit nobis predicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum.* Deinde veræ Fidei vim & efficaciam tantò magis in me sentire percipiam, quantò certius hī audio memorabilē Christi sententiam, quæ perpetuā omnibus gentibus consolationē adfert: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Cuiusmodi Fidem iustificantē ac beatem ex Paulo definiā, quæ per charitatē operatur, & ab illa nō disiungitur. Alioquin *si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, eodem Apostolo teste. Et alius Apostolus clarissimè dixit: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est: ita & Fides sine Operibus mortua est.* Illos ergo perniciosè falli putabo, qui sola Fide Christi quæ cognitione cōtenti, viuā & operantem Fidem non exercent; sed & hominē ex operibus Fidei iustificari negant, quiq̄; pro Catholica Fide nescio quam nouitiam, multisquē dānatæ doctrinæ erroribus cōmixtam persuasivam Fidei loco sibi arrogāt atq̄; iactāt. Hos ego Thomæ nostro conferam, qui tam multa in Euāgelico negotio viderat, audiuerat, didicerat, egerat; & tamen in ipso Fidei fundamento grauiter halucinabatur, dum Christū solum vt hominem reputat, atq̄; certam de eius resurrectione confessionē obstinato animo auersatur. Tot socijs Apostolis rectè credētibz verequē confitentibus contradicit, & suis duntaxat oculis & manibus fidem habere vult, velut externis sensibus res Fidei metienda sit, quam corde simplici, & humana ratione seposita, comprehendere semper oportet. *Nisi videro, inquit, non credam,* Dominū nēpè paucis retrò diebus crucifixū & mortuum, cum eodem corpore ad vitam resuscitatum esse, & in eo corpore acceptorum vulnerum cicatrices retinere. Eandem prudentiam (carnis prudentiā vocat Paulus) in Zacharia

ria & Nicodemo licet animaduertere, quoniã ille recusat credere quod Gabriel angelus promittebat de Ioãne filio ex anu sterili nascituro; hic autem impossibilem statuit regenerationem, quam homini ex aqua & spiritu necessariam esse audierat. *Quomodo, inquit, possunt hæc fieri?* quemadmodũ & Capharnaitæ secundum carnem vtiq; sapientes, & Christo Christiq; verbo oblatrantes aiebant, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Crassi enim & futiles homines non ponderant, quod Christus affirmat, *Apud Deum omnia possibilia sunt*, & quod angelus Dei Gabriel asseuerat: *Non est impossibile apud Deum omne verbum*. Malum est certè cũ Thoma de Fide vel in vno articulo addubitare: quæ dubitatio erroris & impietatis omnis est seminariũ, primosq; parentes nostros in flammũ discrimen adduxit. Peius adhuc est, aduersus cognitam veritatem eiusq; testes ac præcones auditos cõtendere, quemadmodũ Iannes & Mambres Moyfi resisterunt: idq; proprium semper hæreticorum fuit, conceptum semel errorem retinere mordicũ, ac tueri cõtumaciter. Pessimum verò est, vt cum Propheta loquar, sedere in cathedra pestilentia, impiaq; ac falsa doctrina patronum agere, eamq; ceu præsens venenum instar viperæ, in alios transfundere, vt extinguas & perdas proximi animam. Nullum enim peruerforum hominum genus, & Deo magis exosum, & Ecclesie pestilentius esse arbitrabor, quàm hæreticorum doctorũ, quos Petrus magistros mēdaces & sectas perditionis introducentes appellat, & de quibus disertè Paulus pronuntiat, *Hæreticum hominem post vnã & secundã correptionẽ dicit a, sciens quia subuersus est huiusmodi, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.*

Ego verò qui de nullare magis quàm de sincera Fide conseruanda debeo sollicitus esse, magnoperè adlaborabo, ne vnquam à Christo vt incredulus argui possim: *Qui enim nõ crediderit, condemnabitur*: ideoq; me Thomæ ad tempus incredulo conformare cauebo. Tum nulli me vnquam præferam, præsertim vt in re graui contentiosus videar, quando ita

Ioan. 6.

Matth. 19.

Luc. 1.

Genes. 3.

Exod. 7.
2. Tim. 3.

Psalm. 1.

2. Pet. 2.

Tit. 3.

Marc. 16.

Rom. 12.

scri-

Rom. 12.

Scriptum est: *Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.*

Galat. 6.

Rom. 1.

1. Cor. 3.

Porro in Fidei rebus, quæ sunt omnium maximæ & difficillimæ, mihi meoque iudicio parum tribuam ac fidam, ne dum præ alijs volo sapere, meam ipse stultitiam prodam. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit: & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt,* Apostolo teste. Ac alibi rursus: *Nemo se seducat, inquit, si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Præterea fidem Christianam, quæ omni ex parte credenda cuncta complectitur, longè sublimiorem esse virtutem putabo, quàm ut humana sit & fallax persuasio, vel ut corporali oculo aut sensu percipi, meisue manibus contrectari, seu humana etiam ratione comprehendi possit. Ut hinc Isaias dixerit iuxta septuaginta Interpretes: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Est enim Fides, auctore Basilio Magno, eorum quæ dicta sunt assentiens approbatio sine vlla hæsitacione, cum animi persuasione de eorum veritate, quæ Dei munere sunt prædicata. Et quid magis contra Fidem, quàm credere nolle, quicquid non possis ratione attingere; ut Bernardi verbis utamur. Quoniam autem hodie permulti sunt nouandæ, ne dicam corrupendæ Fidei ac Religionis valde studiosi, ut suis vel aliorum vanis phantasmatis potius, quàm firmis Patrum maiorumque nostrorum placitis & sententijs adhærescât; nihil sanè habebō antiquius, quàm ut in his quæ mihi credenda & profitenda sunt, in illius Ecclesiæ autoritate acquiescam, quam Apostolus domum Dei viui, & columnam simulque firmamentum veritatis appellauit. Dum enim huius Christi sponsæ & matris nostræ fidem ac testimonium sequor, Salomonem audio ita differentem: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tue;* simulque viam antiquam ingredior, & certum animæ meæ refrigerium inuenio, sicut per Ieremiã docuit Deus, ac præterea intra terminos à Patribus constitutos, nullique transiliendos me contineo, prout Dei verbo est traditum, ac demùm custodio depositum, à Paulo nobis Credentibus com-

Ifai. 7.
Serm. de fidei
confessione.

Epist. 190.

1. Tim. 3.

Prou. 1.

Ierem. 6.

Prouerb. 2.

1. Tim. 6.

men-

mendatum. Nec omittam interim diuinæ Scripturæ sententijs, & optimorū Patrum testimonijs, tanquā salutarib. phar-
 macis, meum cōmunire pectus, cū scriptum esse sciam: *At-
 tende lectioni, exhortationi & doctrina*. Sacræ itidem orationi
 multum tribuam, vt lumen diuinū ad mentis humanæ cali-
 ginem detergendam acquirā, ideoq; frequēter cum Aposto-
 lis dicam: *Domine adauge nobis fidem*, quæ nimirū, sicut ar-
 dens candela, ab omni nouæ falsæq; doctrinæ vento circum-
 flante, si nō sedulò conseruatur, facillè extinguitur. Vnde non
 temerè doctor ille gentiū iubet: *Doctrinis varijs & peregrinis
 nolite abduci. optimum enim est gratia stabilire cor*. Etenim ple-
 raq; diuina facta & Fidei nostræ mysteria, si verū fatebimur,
 tam sunt abstrusa, vt humanæ mentis captū excedant, & per-
 petuam simplicitatem intellectus à nullis nō exigant, nec mi-
 nore orandi studio egeant, vt, sicuti Propheta ille, quisq; Do-
 mino dicat: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de les-
 ge tua*. Meminero sæpè Danielis, cui multa & sublimia reue-
 lantur mysteria, sed non nisi Deum suppliciter oranti, & con-
 continentia abstinentiaque danti operā, vt ita rectiūs ab angelo
 erudiatur. Quin & Apostoli nondum hausto Spiritu sancto,
 cū magistrū Christum præsentē audirent, sæpè in verbis e-
 ius hallucinati sunt, sed & post acceptū Spiritum noua subin-
 de reuelatione, & aliquando sentētiarum collatione vsi fuisse
 leguntur. Igitur illorū cōsuetudo mihi fugienda est, qui post-
 quā seipso à Christi corpore, quod est Ecclesia, segregârunt,
 sacras litteras pro suo tractāt arbitrio, & contra veteres inter-
 pretes licenter excipiunt, spirituq; carnis inflati, de verbo Dei
 & mysterijs Ecclesiæ sic iudicāt, sicut illi, de quibus Petrus Ap-
 ostolus queritur, quòd ad suam perditionē Scripturas de-
 prauant, nō absimiles quidem Satanæ, contra Christū ipsum
 de verbo Dei ad fallendum nequiter disputanti.

*Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & af-
 fer manum tuam, & mitte in latus meum.*

O' eximiam mihiq; sæpè notandam Christi pastoris cha-
 ritatem,

1. Tim. 4.

Luc. 17.

Hebr. 13.

Psal. 118.

Dani. 1. 2. 9.

Matth. 15.

Luc. 18.

Ioan. 16. 21.

Actor. 1. 10.

& 15.

2. Pet. 3.

Matth. 4.

ritatem, qui Thomã discipulum (ouem erraticã non temerè dixeris) tam paternè visitat, tam amanter quærit, tam sollicitè in viam reducit, seq̃ue totum illius manibus contrectandum offert ac exhibet. Rectè igitur de illo cantamus: *Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Quàm multi porrò in sempiternum perirent, nisi lapsis Christus adesset, eisquẽ sicut Petro qui in mare incipiebat mergi, & huic Thomæ incredulo, manum præberet auxiliatricẽ, suaquẽ præpotenter gratia illos ab interitu subleuaret? Quo Christi adeò clementis & opitulantis exemplo cõfirmabor, vt secundùm Pauli doctrinã, in Fide infirmos assumã humaniter, & in errore vel delicto præoccupatos patienter instruã in spiritu lenitatis. Ita quippe decet, vt iuxta Christi morẽ, alter alterius onera portemus, & legẽ charitatis quæ omnia suffert, & omnia sustinet, certatim impleamus. Nec obscura merces his promittitur, qui alijs ad meliorẽ frugem reuocandis dant operam. *Qui enim conuerti fecerit peccatorem ab errore via sua, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Adhæc quoniam salus gregis ex pastoribus potissimùm pendet, sæpè multumquẽ desiderabo, eiusmodi pastores præfici Ecclesiæ, qui sollicitam suarum ouium, præsertim in fide errantium curam gerant, earumquẽ saluti conseruandæ diligenter incumbant. Estquẽ hoc veri pastoris proprium, quod ab Isaia scriptũ est: *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipsẽ portabit.* Vbi locum apud me habebit precatio, vt cum Moyse dicam: *Provideat Dominus Deus hominem, (siue is demùm Episcopus, siue Parochus, vel Ecclesiastes fuerit deligendus) qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.*

Quanta verò sacrorum vulnerum Christi virtus? quæ velut bona foramina Thomæ proponuntur, vt per ea & Fidẽs Resurrectionis, & Christi diuinitas astruatur, vt Bernardi verbis vtamur. Ea ipsa spectata non Thomã solùm repentè im-

mutat

mutarunt, sed & nobis, si in illis ritè versemur, cōtra morbos omnes animi verè salutaria sunt pharmaca, & virtutes nobis impetrare maximas possunt. Rogat alicubi Propheta, quum has Domini plagas in spiritu prauideret, *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?* Respondet verò Christus de suis vulneribus siue plagis acceptis: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Per hæc sanctissimi corporis foramina patet nobis magnum illud pietatis sacramentum, patent & viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Felices eos dixerim, qui cum Thoma, sicut electæ columbæ, in hisce foraminibus petræ habitare norunt, illicquæ sicut passer sibi domum, & turtur nidum sibi constituunt. Ita enim illi non solùm infidelitatis tenebras, & multiplices vitiatorum maculas effugient, verùm etiam offenso Christo perfectè reconciliabuntur, & reconciliati nomen eius sanctum cum fructu maximo instar Thomæ benedicent. Sedenim ô sacrilegas, ferroq; & igne præcidendas linguas in ijs, qui cum se Christianos Christi quæ membra esse testentur, per sacrosancta Redemptoris sui vulnera iurare, peierare, maledicere, & blasphemare nequiquam erubescunt: quasi ad eos nō pertineat præceptum Diuinum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit in fontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*

Optabo demùm mihi Thomæ oculos dari, quibus Christum rectà intuear, ac illum agnoscam, sicut idem Thomas agnouit, Deum nempe illum ac hominem esse, qui sit nobis propositus à Patre propitiator, & noui testamenti mediator, magnusq; pastor, sicut illum Paulus appellat. Neq; solum agnoscam illum, verùm etiã ad pedes eius diuinos me supplicem abijciam, tantoquæ Redemptori, cui me totam debeo, gratias agam ex animo, perinde ac si ego solus tam caro pretio redemptus, & omnibus Christi beneficijs, simul & vulneribus vnice cumulatus essem. Hoc enim est cum Thoma, si ardens accedat spiritus, p̄fiteri, *Dominus meus, & Deus meus:* hoc est Paulum quoq; ducem sequi, vt cum eo apertè fatear:

Zach. 13.

Cant. 2.
Psalm. 83.

Exod. 20.

Roman. 3.
Hebr. 7. &
9.
Hebr. 13.

Dilexit

Galat. 2.

Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Quanquam interim nemo piorum ignorat, humanæ redemptionis per Christum partæ beneficiū ad mortales omnes, qui eius participes esse velint, omninò spectare, Ioanne testante: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo.* Ac iterum alibi: *Christus est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Meum erit vicissim, haud ingratiū declarare peccatus tam munifico liberatori, sed me illi totum offerre, & ad gloriam eius illustrandam cōferre omnia, quæ à me quidem per illius gratiam in hac vita effici atq; tolerari possunt. *In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, si Apostolo credimus, ut & mortuorum & viuorum dominetur.*

Apocal. 1.

1. Ioan. 2.

Rom. 14.



DE BEATO THOMA

APOSTOLO.

Marth. 10.

Marc. 3.

Luc. 6.

Ioan. 11. &

21.

Ioan. 15.

Apoc. 21.

Matth. 19.



TSI non ita multa de hoc præstanti beatoq; viro literis mandata sunt, tamen non pauca extant, quæ mihi præclaram & lætam, vtilemq; de illo memoriam creent ac refricent. Inter duodecim Apostolos à tribus Euāgelistis numeratur, qui & Didymus est dictus, vt Ioannes affirmat, patria siue prouincia Galilæus. Quid autem excellentius, quàm duodecim illis annumerari, quos Christus tanquam amicos domesticos tanti fecit, totq; modis honorauit, vt illos suos legatos, Ecclesiæque fundamenta esse voluerit, quosq; in iudicio extremo honorare decreuit, vt orbis totus miretur, cūm viderit eosdem super sedes duodecim ad tribus duodecim Israël iudicandas summo iudici esse assessores? Missa interim facio, quæ Thomas cum Apostolis alijs habet sibi cōmunia, nempe spiritus primitias ac plenitudinem, linguarū donum, mundi contemptum, paupertatem voluntariam, peregrinandi assiduitatem, purum cælibatum, Euangelij zelum, miraculorum gloriam, animi con-

stantiam,

stantiam, precandi studium, charitatis ardorē, & ad omnem iniuriam pro Christo ferendam, inuictā lætamq; patientiam. Quid ego nisi Pygmæus videar, cum hoc Apostolo velut excelso gigante, vel vt puer cum hoc peritissimo magistro collatus? Propria illius erat, quæ in me non competit, professio: *Quis nos separabit à charitate Christi? Propter te mortificamur tota vitæ: estimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Refert Ioannes, Christū non longè ante mortem de sua in Iudæam profectioe mouisse, quam Apostoli tamē dissuaserint, hac ratione addita: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare: & iterum vadis illuc?* Solus tunc inuentus est Thomas, qui consiliū & propositum Domini confirmās, & metum condiscipulorū corrigens diceret: *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Quæ generosi animi fuit oratio, mortis quāuis acerbæ contemptū indicans, simulq; obediendi promptitudinē in magistro sectādo declarans, nec minus Apostolos alios præclarè ad obediendū excitans & inuitans. Hinc facile colligā, quā in fractum ille petus post acceptum Spiritum præbuerit, quantamquē in cruce alacritatem & lætitiā conseruārit, sicut ego per omnem vitam conseruare nō possim, qui & rebus aduersis facile frangor, & secundis supra modum extollo, vt aureā tenēre mediocritatem nesciam.

MIRENTVR interim & reprehendant alij, quòd audiāt, Thomā nostrum de Christi Domini resurrectione dubitasse, & quodāmodo cum Apostolis alijs contendisse, quē & Christus vt incredulum perstrinxisse videatur. Ego verò illum ad tempus dubitasse dixerim, & lapsus illius non tanti faciendum esse putarim, quoniā ex mentis imbecillitate processit, & ipse à Christo correptus, statim suum agnouit errorē, verēq; & perfectē Fidei cōfessionem eximiā edidit, & ab ea nunquam discessit postea. An Christus beatum illum non prædicat? qui cum Fide pœnitentiā seriam planè coniunxit, & pœnitentis veræque conuersi animi signa proculdubio maiora præbuit, quàm Euāgelista exprimit, aut nos facile assequi pos-

Rom. 8.
Psal. 43.

Ioan. 11.

Lib. 3. in
Genef.
Hom. in 12
Apostolos.
Descripto-
rib. Eccl.

In epistolā
ad Heb. c. 9.
& 13.

1. Cor. 10.

1. Cor. 1.

Prouer. 3.

Marci 1.

Tra& in die
dedic. basil.

sumus. Illud satis constat, Thomā Spiritu sancto plenū Christi & Christianæ Fidei testimoniū luculentissimū præstitisse, nec solum irreprehensibilem, sed etiā omni exceptione maiorem Euangelij doctorē permultis gentibus exhibuisse. Etenim verbum Domini prædicauit Parthis, vt Origenes notat, & iuxta Chrysoptomū Aethiopibus, sed & Medis, Persis, Hyrcanis & Brachmanis, nam de Indis postea dicemus, quemadmodū Sophronius apud Hieronymū indicauit. Nullus ex Apostolis, vt sanè arbitror, suam de vtraq; Christi natura (vero Fidei nostræ fundamento) confessionē & clariū & succinctius explicuit: nullus cicatrices vulnerū Redēptoris certiū attigit, ac felicius contrectauit: nullus illa veneranda Christi stigmata reuerentiū adorauit. Cum Chrysostomo fidenter existimabo, quod admonitus Thomas suam culpā expauit, & pœnitentiā ostendit, seq; ad Christi pedes quē offenderat, prostrauit, & gemitus lamentabiles fudit. Docet igitur me Thomas, si quis Apostolus alius, in his rebus quæ ad Fidem Christi quæ mysteria spectant, non altū sapere, sed timere, sæpe quæ meminisse Paulinæ sententiæ: *Qui existimat se stare, vis deat ne cadat*, sicut nempe Thomas & stetit, & cecidit, & post lapsum fortiū deinde surrexit, multos quæ ne caderent confirmauit. Docet, me culpam cōmissam agnoscere, & pro opinione priuata vel falsa credulitate cōmunem piorum consensionem ac fidem amplecti, illud quæ Pauli retinere dictū: *Id ipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. sitis autem perfecti eadem mente & eadem sententia*. Docet, post cōmissum peccatum, præsertim corripiente nos Deo, citò resipiscere, & ad saniorē redire mentem iuxta illud: *Disciplinam Domini, fili mi, ne abijci. as: nec deficias, cum ab eo corripieris*. Docet, cum Fide Pœnitentiā coniungere, sicut & Christus illis verbis postulat: *Pœnitimini & credite Euangelio*. Demum ne veteres hîc prætereā, qui Thomæ lapsum extermant & candidè illum excusant, fuit ex his sanè Gaudentius Brixianus, qui Ambrosij vixit ætate, in hunc modū scribens: *Beatus Thomas post resurrectionē Christi solus desiderauit, solus quæ obtinuit,*

vt mem-

vt membra Christi curiosis quidē, sed utiq; dignis manibus contrectaret. Ardētis siquidem desiderij fuit illud, non incredulitatis, quod condiscipulis suis, qui ipso absente Dominum viderant, ait. Nisi videro & contrectauero, non credam. Erat enim valde anxius, ne non & oculis frueretur, quod corde credebatur, & ne priuaretur aspectu illius lucis, qua se ceteri Apostoli illuminatos gloriabantur. Satiavit ergo eum Dominus; cuius manet illa promissio: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Apparuit secundo Apostolis, vt Thomae desiderium adimpleret: profuit cupiditas eius & ceteris, ne ipse minus aliquid haberet, quia posterior Christum videt. Nam detrimenta prioris aspectus visu pariter & attractu compensat. Qui utiq; si iuxta opinionem quorundam infidelis fuisset, Christus illi post resurrectionē suam non fuerat apparere dignatus. Scriptum est enim: *Quoniam inuenitur ab his qui non tentant eum: apparet verò his, qui fidem habent in ipsam.* Nec multò post: Quòd Thomas abiens fuit, quòd auidius & videre & attrectare Dominū perquisiuit, totum nostrae procurabatur saluti, vt euidentius nosceremus resurrectionis Dominicae veritatem, quā beatus Thomas ob necessariam curiositatem prouidenter reprehensus affirmat: dicēs ei: *Dominus meus, & Deus meus.* Et eodē serè modo Gregorius Magnus de Thoma dubitate disserit, vt cui nō tam lapsus ille obsuit, quàm alijs eodē morbo laborantib. profuit. sic enim loquitur: Egit miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem, quàm fides credentiū discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in Fide solidatur. Quamobrem optimi medici loco Thomam, amabo atq; venerabor, qui singulari Christi prouidentia nobis propositus, grauissimū incredulitatis morbum si volumus, in nobis profligat atq; sanat, ac suo etiam exemplo de illis ægrotis præclare meretur, qui in difficillimū Fidei articulū olim impinge-

Matth. 5.

Sapient. 1.

Homil. 26.
in Euang.

1. Cor. 15.

Lib. de Tri-
nitar. & ad-
uers. Praxe-
am.a Homel. 17.
in Euang.
b Greg. Na-
zi. ad Arian.

gebant, atq; nunc etiam impingere possunt, nihil vt certi habeant de perfecta Christi & nostræ carnis resurrectione. *Quod si Christus non resurrexit, vana est fides nostra*, Apostolo teste. Ac rectè dixit Tertullianus, Christum ne phantasma crederetur, visum, & auditum, & contractatum esse, Thomamque omnibus Diuinitatis Christi probationibus & rebus instructum Apostolum vocat.

Laudabo insuper hunc Thomam, quòd nullus Apostolorum longiùs, quàm ipse, sit Christi nomine peregrinatus, ac maiorem subierit laborem in spargendo Euangelij semine, quoniam remotissimas, totque sæculis postea ignotas, ac nostra ætate primùm inuentas regiones atq; prouincias, quæ non ui orbis nomine cõinentur, indefesso studio magnoque successu peragrauit. Nec solùm ^a Gregorius Magnus, sed & ille ^b qui Theologi nomẽ accepit, hunc Apostolum apud Indos prædicasse confirmat, vt is meritò Indorum Apostolus ab omnibus celebretur. Qui cùm in illa Orbis terrarum distributione, quæ inter duodecim Apostolos est facta, Indicam prouinciam sortitus esset, Socotoram insulã Arabici maris adiit primùm, & disseminato ibi Euangelio, quo multos piscatus est, Cranganorem urbem, non longè à Cocino sitam, traiecit, vbi complures à tetra impietate ad veram Christi fidem Dei verbo traduxit. Post Colanum petijt, & trans iuga montium, ad oram orientalem ingenti labore contendit. Multis deinde locis, ac præsertim in Coromãdelis regno, Fidei fundamẽta iecit, indeque in Sinas profectus est, quòd ea tempestate Sinensium nomen celeberrimum esset, ibiq; rursus non paucos Christo lucrifecit, & varia tẽpla ædificauit, sed & miraculorum refulsit gloria, vt prædicatum Christi Euangelium in audientium animis magis corroboraretur. A Sinensibus verò in Coromandelem redijt, vt in fide nouitios reuiseret atque confirmaret. Eius Regni caput ac regia erat vrbs Meliapor, vbi rursus templum extruxit sub rege Sagamo, qui & ipse Christiana sacra hoc doctore complexus est. Verùm bonorum omnium hostis Satan tam latos rei Christianæ progressus,

gressus, & neglecta Deorum sacra ferre non potuit, & idcirco Brachmanas ifuco & fallacijs plenos excitauit, qui in Thomā rei Christianæ illic principem, impetum facerent. Hunc illi telis ac lapidibus appetunt, ac deinde lancea transfossū necant crudeliter; sed quorum impius furor in hoc profuit, vt mortalis vitę malis Thomas exemptus, in cœlis cum Christo regnaret, postquā Apostolicum honorē illustri martyrij laurea cumulasset. Hanc veram esse historiam, vt reliqua prætermittam, Indi etiā suis & maiorum annalibus cōprobant, & sicut alia multa rei Christianæ monumēta fide digna producant, ita etiā venientibus ad se Christianis de Apostoli huius prædicatione, gestis rebus atq; martyrio ipso, quod in Comandelio tractu Gangarici sinus fuit consummatū, testimonium euidens ferūt. Et qui Cranganoris adhuc incolunt fines, se vetustissimos Christi cultōres profitentur, quoniam Thomas apud ipsos fuerit commoratus, multosq; filios atq; discipulos Christo pepererit, tantiq; doctoris memoriā & famam apud se integram seruant. Qua de re plura intelliget, nihilq; de hoc Indorū Apostolo dubitabit, quisquis ^a Petrum Maffeiū & ^b Hieronymum Osorium de rebus Indicis atate nostra scribentes legere voluerit. Ego verò ingentes diuinæ bonitati gratias agam, quæ Indis tam præcul disitis hunc Apostolum & Patrem eximiū tribuit, eosq; in accepta Fidei luce tamdiu conseruauit, vt licet bona eorū pars in magnas infidelitatis tenebras postea relaberetur, tamē primi Apostoli memoria celebris apud multos tot sæculis non interiret, neque prorsus extingueretur. Deinde certum & efficax præsentis gratiæ signum agnoscam, nouū Fidei ostium sub hunc mundi finē tot idololatricis gentibus aperiri, ad quas Christi regnum sicut olim à Iudæis ad Græcos, & à Græcis ad Aquilonares translātū fuit, ita nunc quasi postliminio redeat. Mirabor & singularem Dei gratiam, qua factum est, vt superioribus annis operarij in messē Indicam excolendam extrusi, velut Thomæ vel discipuli vel successores apparuerint, per quorum studiosam pietatem Euangelium Indis iterum

^a Lib. 2. de
hist Indic.
^b Lib. 3. de
reb. Emman.

2. Tim. 2.

Matth. 3.

Matth. 21.

Ila. 52.

Rom. 15.

Ecclef. 10.

diffeminaretur, & incredibilis accessio fieret ad Christianam apud gentes incognitas religionem. Hinc ego demum ætati quoq; nostræ libēs gratulabor, cui non sine summa diuini numinis benignitate obtigit, vt liceat videre tantam Fidelium apud Indos collectorum multitudinē, quanta multis abhinc sæculis visa & audita non est, vt velint nolint veteris Ecclesiæ desertores, nouum illic Christianismū consurgere, nouumq; Fidei Catholicæ splendorem in densissimis exoriri tenebris, velinuiti fateri cogantur. Adeo verè dixit Apostolus, verbum Dei certis locis non esse alligatum, & Ioannis Baptistæ obtinet sententia, potentem esse Deum ad Abrahamæ filios de lapidibus excitandos, Christiq; impletur promissio de regno Dei indignis auferendo, quod fructū eius facientibus Gentibus communicetur. Hoc est demum quod Isaias fore prædixit de populis credituris: *Quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.* Quæ verba sic noster apud Paulum interpres reddidit: *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Quod iustum Dei iudicium vt ingratos merito terret, ita & mihi metum commiserationemq; adferet, quia scriptum est: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.*



DE PRECIBVS CVM HOC ÈVANGELIO & Festo coniungendis.

2. Tim. 2.

2. Tim. 1.

PRECANDVS est mihi Deus pro verbi diuini concionatoribus, vt in suo sensu non abundant, ac benè monentes libenter audiant, nec aliam Fidei doctrinā, nisi sanam & solidam profiteantur, iuxta illud quod Gentium doctor cuiuslibet Ecclesiastæ mandauit: Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. *Ac iterum: Formam habe sanorum verborū, quæ à me au-*

disti

disti in fide & dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

ORABO etiam pro dubitantibus, vel claudicantibus in Fide, quales hodie plurimi comperiuntur, ut obscurati eorum animi diuina gratiae splendore collaestrentur, ipsiq; Thomae similes fiant, nimirum ut diuinitus illuminati se ipsos agnoscant, atque in doctrina Ecclesiae sana confirmantur, fideiq; veritatem corde, ore & opere sincerè ac liberè profiteantur. Nec minùs precabor pro hereticis, infidelibus, ac errantibus omnibus, ut cum Thoma redeant ad Ecclesiae catholicae domũ, à qua se ipsos segregarunt, vnum idemq; doctrinae genus cum rectè sapientibus orthodoxis amplectètes, & in societate sanctorum firmiter perseuerantes.

PRAETEREA quoniam D. Thomas Indorum Apostolus fuit, ego faelicem totius Indiae orientalis & occidentalis, nouiq; orbis conuersionem amplissima messis Domino peculiariter commendabo, nimirum ut opus & aedificium sacrum, quod à prudenti architecto Thoma praeclarè fundatum, totiq; iam saeculis à Satana impeditum fuit, per fidos operarios, prosq; magistratus suum progressum ac finem prosperum assequatur. Hoc enim est diuinum illud seruare praeceptum: Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Matth. 9.



IN DIE FESTO B. STEPHANI PRO- TOMARTYRIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

EXPOSTULAT Christus cum ciuibus Hierosolymitanis, alijsq; sui temporis Israeliticis, ac iustam sanè causam expostulandi habet, quòd illi tot modis à suo Messia


& ministris eius honorati, plurimisq; beneficijs cumulati, ad eò sese ingratos & rebelles exhiberent, nullamq; referrent gratiam. Etenim eximijs Dei legatis ad se missis palàm restiterunt, vò in eos etiam crudeliter desauirent, quos aperta vi fuerunt persecuti, aut acerbè flagellârunt, aut impiè lapidârunt, aut ignominiosè crucifixerunt, aut ad mortem vsque immaniter trucidârunt. Sed qualem se Christus erga illos homicidas præstitit? Nempè imaginem gessit gallinæ suos pullos sub alas congregantis, vt eos ab infernali miluo tueretur, eosq; tuos in cœleste regnum suum collocaret. At verò quoniam libuit Iudæis oblatam Christi gratiam repudiare, & pro bonis mala respondere, horrendam Dei iustitiam sibi suæq; patriæ obuenturam audire, immò & perpeti coguntur, nimirum vt non solùm acceptis beneficijs omninò priuentur, sed etiam reliquis gentibus miserabiliores effecti, cõmunem cum sanguinarijs iustorum hostibus, qui vnquam extiterunt, maledictionè & pœnam perpeti debeant. Hinc videmus, domũ ac regionem Iudæorum deserram iacere, & à Mahometanis velut impijs canibus hucusque pessundari, nullumq; populum Iudæis magis despiciatum & afflictum in orbe cõspici. Quid interim illorum & aliorum tyrannorum crudelitas noui Testamenti sanctis obfuit? an illos non illustrauit magis quàm obscurauit? Vt enim Chrysostomi verbis & exemplis vtar, Dic obsecro, Zachariæ filius nõnne decollatus est? Stephanus autè primus martyrij corona redimitus, nõnne lapidatus vitam finijt? Paulus verò & Petrus, nõnne ille quidem capite truncatus, hic autè modo contrario quàm Dominus crucifixus, ira ex hac vita decessit? Nõnne propter hoc magis in toto mundo celebrantur & prædicantur? Igitur hoc Iudæorum præfactorum & grauiter punitorum exemplo admonemur, Dei legatos & magistratus Ecclesiasticos ad nos missos in pretio habere, ne contemptum illorum iratus Deus vindicet, ac inobedientię nostræ pœnam seueram infligat.

Hom. 66. in
Genes.

EVANGELIUM MAT-
thæi X XIII.



IN illo tempore dixit IESVS principibus Sa-
cerdotum & turbis Iudaorum: Ecce ego mit-
to ad vos Prophetas, & Sapiētes & Scribas, &
ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagella-
bitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciui-
tatem: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est
à sanguine Abel iusti, vsque ad languinē Zacharia filij Ba-
rachia, quem occidistis inter templum & altare. Amen di-
co vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Ieru-
salem Ierusalem, qua occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad
te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmo-
dum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce
relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, Non
me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus, qui venit in
nomine Domini.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM ET
FESTVM.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapiētes & Scribas.

MEMINERO hesterni festi Natalitij, quod mundo
ingens gaudium testibus Angelis attulit: simulque
dolebo, hoc eximium de nato Messia gaudium mihi
non aquè sicut humilibus pastoribus communicari. Pleriq;

Luc. 2.

Isai. 9.

Luc. 2.

Ioan. 1.

Galat. 6.

Luc. 19.

Ioan. 5.

Luc. 3.

Luc. 12.

sanè dormimus cum Bethlehemitis, circa hospites externos, & nescio quibus curis impediti, & instar Israëlitarū præsepe nati regis nobis non sapit, nec inuisitur: vnde cum Isaia ex animo non decantamus: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Optabo igitur & mihi & alijs impertiri spiritum iusti senis Simeonis, qui Christum vt desideratū thesaurum amplexus, mirabiliter in illo exultavit, ac Deo gratias latissimus egit, quòd suis vidisset oculis lumen illud ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis Israëlita: nec vidisset tantum, sed & perfecta fide percepisset, sequè cum nato Emma-nuele penitus coniunxisset. *Quotquot autem receperunt eum,* hoc nimirum Simeonis affectu præditi, *dedit eis potestatem filios Dei fieri,* quod est longè amplius quàm, vt Paulus loquitur, novas fieri creaturas. Cæterum vt hic Natalitius Christi dies, qui venerandis aliquot ferijs cohonestatur, verum mihi gaudium & consolationem efficacem præbeat, ex præsentī Euangelio discam, cum Christiana Fide, qualis mihi iam pridem donata est, timorem coniungere salutarem, cuiusmodi nempè Christus Hierosolymitanis ac Iudæis omnibus incutere voluit: simulquè cauebo mihi à veteri & prauo ingenio Iudæorum, quibuscum hîc disseritur. Etenim hi suas etiam ferias in lege præscriptas celebrabant, sed quas ad breue & inane gaudium referebant, & externis duntaxat ornare ritibus consueuerant, illud quod præcipuum erat, negligentes, vt suæ visitationis, & gratiæ per Christum oblatae tempus gratis animis agnoscerent & obseruarent. Vnde à Christo etiam meritò illud audiunt: *Vos voluistis ad horam exultare in luce Ioannis Baptiste,* quem plurimi pro Messia ipso reputabāt. Ac iterum: *Hypocrita, inquit, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?* Deinde communis & grauis Iudæorū error obrepserat, vt diuinis promissis & beneficijs acceptis impensè gloriarētur, sequè gentibus omnibus anteferrent, nihil interim solliciti, vt Dei præceptis obtemperarent, sed potius vt Christum ac legatos eius cōtemnerent & infestarentur. Vani enim homines non intelligebant,

bant, promissa & dona Dei pluribus quidē offerri, sed eadem frequenter in paucis impleri, & verā esse Christi sententiam: *Multi vocati, pauci verò electi.* Ac multò minùs animaduertebant, quam ipsi gratiam Christi repudiarent, ethnicis etiam gentibus obuenturam, ita vt ipsorum delicto salus Gentibus pararetur, & Iudæorum reiectio diuitiæ tandem Gentium forent, sicut Apostolus monet. Nec minus noxium est, mihiq; prorsus fugiendum fuerit fermentum hoc Iudæorum, quo ipsis persuasum erat, Fide diuinas promissiones amplecti, & conditiones annexas pro nihilo ducere, potissimùm vt iustitiæ officium, in malis deuitandis, bonisque consecrandis positum, duce Christi spiritu exercitarent. Hinc est quòd Ioannes Baptista illos non leuiter corripit, & ad seriam pœnitentiam reuocat, quoniã inani fiducia Dei promittentis, & præclaris maiorum suorum meritis nimium seipsos consolarentur, omni bonæ conscientiæ testimonio destituti. Manebant in suis interim rebus & studijs obstinati, & labijs tantùm honorabant Deum, corde & voluntate ab illo prorsus auersi, ac digni quos Christus palam sic redargueret: *Quoties volui vos congregare, & noluisistis.* Eadem ratione perstringit illos Stephanus, vocatq; homines duræ ceruicis, & incircumcisos cordibus & auribus, qui semper Spiritui sancto resisterent. Quocirca cum hisce Iudæis, qui tot abusibus externum Dei cultum vitiabant, ac sibi inutilem planè reddebant, commune nihil habebat, vt ne graue iusti Dei iudicium, quod Christus illis hîc interminatur, ego ipse mihi pestilenter accersam. Parum enim illis sacræ cerimonix & feriæ profuerunt, sicut Deus in illos inuehens hac voce testatur: *Neomeniam & sabbatum & festiuitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri, caendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea.* Et alibi Propheta: *Iniquitates vestra diuiserunt inter me & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. manus enim vestra polluta sunt sanguine.* Tantòq; magis nostrorum infoelicitatem temporum deplorabo, quibus Natalitiæ Christi feriæ in profanum abusum & carnale gaudium magis ma-

Matth. 20.
Luc. 13.

Rom. 11.

Matth. 3.
Luc. 3.

Matth. 5.

Matth. 23.
Actor. 7.

Isai. 1.

Isa. 59.

gisq; transeunt, parum vt Redemptoris & Sanctorū eius diebus istis meminerimus, & summū illud mysterium, quod per octo dies celebrandum proponit Ecclesia, à paucis ritè perpendatur, nempe sicut ex Ioāne subinde nobis accinitur: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.*

Ioan. 1.

Peculiariter autem illud Christi dictum cōmendatum habeo, quod propter cōtemptos malequē tractatos ipsius legatos non modò Iudaicam, sed Christianam quoq; gentem percutit: *Ecce, inquit, ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes & Scribas;* id est, omnis generis & ordinis ministros atq; magistrōs, qui meo nomine, & loco singulari apud vos polleant autoritate, & in quibus me ipsum loquentem ac iubentem audire debeatis. Est enim Christus maximus ille paterfamilias, cui amplissima obtigit vinea, ad quā excolendam vt necessarij sunt operarij, ita etiam nunquā non ab eo conducuntur atq; mittuntur, vt horum procuratione ac studio fructus excultæ vineæ colligantur. Fert autē ille molestissimè, si hos à se missos legatos siue operarios negligi ac despici videat, vt summa ipsius benignitas & prouidentia, quæ cum perenni missione coniuncta est, non agnoscat, & gratis omninò animis nō in pretio habeatur. Hinc illæ voces Apostolis dictæ: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporū. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hoc tantundem est, ac si diceret: *Quæ bona ego à Patre meo per naturam accepi, ea vobis per gratiam cōmunicata volo, vt per vos in totam Ecclesiam traducantur. Alioqui quomodo predicabunt,* vt Paulus ratiocinatur, *nisi mittantur?* De quali missione Iudæos quoq; sic admonet Ieremias: *Misit Dominus ad vos omnes seruos Prophetas per diem, consurgens diluculo, mittensq; & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt cervicem suam.* Quare mirabor, Christi summi optimiq; Saluatoris incredibilem gratiam non sæpius a nobis recoli, quòd electam vineam suam per præpositos variosq; ministrorum ordines clementer inuisat ac instruat, vt non solùm Apostolos, Prophetas & Euangelistas, verumeriam Pastores atque Doctores in Ecclesia ne-

Matth. 13.

Matth. 20.

Matth. 10.

Ioan. 20.

Rom. 10.

Ierem. 7.
& 25.

cessarios

cessarios habeamus. Nec dubium de his, verè affirmari posse quod scriptum est: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*; qui & suo iure cum Paulo dicere queant: *Posuit Deus in nobis verbum reconciliationis: pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Sunt illi profectò non modò ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, quæ quotidie ab illis peti accipique possunt, sed Angeli Domini exercituum, ex quorù ore lex Dei debet exquiri, sunt diuini Spiritus viua velut organa, Prophetarum filij, & discipuli Apostolorum, quos quicumq; audit, Christum ipsum audit, sicut vicissim spernens illos, Christum ipsum & Patrem eius spernit, iudicium grauißimum idcirco reportaturus. Absitigitur, vt ego iussis & auctoritati eorum obtemperare detrectem, quos æterna veritas Christus tanti habuit, ac etiamnum habere dignatur, vt disertè mandet Fidelibus: *Omnia quecumq; dixerint vobis, seruate & facite: secundum opere verò eorum nolite facere*. Vnde Cyprianus martyr multis exemplis è Scriptura depromptis ostendit, sacerdotù contemptores à Deo acerrimè castigari, & eum quo Christo nõ credit Sacerdotem facienti, postea eidem Sacerdotem vindicanti crediturum esse. ¶ Quid verò si hodie manus in Sacerdotes ac Præpositos nostros non iniiciamus, & in illos Iudaicam rabiem lapidando, crucifigendo & trucidando non exerceamus? Quamquam vtinam à nefaria & aperta crudelitate nunc abstineant, qui Euangelico nomine gloriâtes, implacabili & Vatiniano quodam odio Sacerdotes ac Monachos persequuntur, & vix illorum profuso sanguine possunt exaturari. Certè multos hoc sæculo reperimus Iudæis in hoc minime benigniores, quod antiquos & laudatos olim Patres, Pontifices & Episcopos præ se despiciant ac insectentur, quorum insuper dicta, scripta & facta procaciter & sycophanticè calumniantur. An non Iudæis etiã sunt effëratiore, qui præfentes Magistratus Ecclesiasticos in ordinem redigunt, omnique spoliant auctoritate, & bonorum Ecclesiasticorum ad se rapiunt possessionem? Tantum abest vt Christum in illis

Astor. 16.

2. Cor. 5.

1. Cor. 4.

Malach. 2.

Luc. 10.

Matth. 23.

Lib. 3. cap. 9.
ad Rogat. &
l. 4. ep. 9.

loquen-

loquentem audiant, quibus se velut lupos pastoribus, impudenter opponunt, quosq; pro Phariseis & sacerdotibus Baal impijs vulgo irridendos, conspuendos, flagellandosque proponunt. Ego verò ne à Patrum discedam vestigijs, nullū non honorem ac reuerentiam illis tribuam, qui summū in Ecclesia ordinem tenent, & quos nemo nisi infanus, odio & amarulentia. murmuratione, linguæq; petulantia, & quouis iniuriæ atq; contemptus genere clam palamque potest insectari. Clamat enim in suo verbo Deus, qui ne cōiutium quidem in minimum fratrem coniectum impunè fert: clamat inquam, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Non est murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum. Quicumq; nō receperit vos, neq; audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerē de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorū & Gomorrhæorū in die iudicij, quàm illi ciuitati.*

Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

CATHOLICAM confirmabo Fidem, quicquid Simon Magus ac Manichæi detestandi blaterent, horumque discipuli passim hodie garriant, contendentes nullum homini liberum esse arbitrium, quo in bonum & malum ferri, suæque salutis cooperari possit. Etenim tam exitialem errorem, omnisque peccati causam Christus non solum hoc loco, quem & notat Irenæus, refellit, sed etiam alibi repudiat, quoties Iudæos hoc nomine palam incusat, quòd vocati venire nolint, ac Euangelicæ legis iugum ferre detrectent. Tum per dilectum Ioannem suum disertè testatur, *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intra-bo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Ac rursus pronuntiat in Euangelio: *Aut facite arborē bonam, & fructum eius*

bonum.

Matth. 5.

Zach. 2.

Exod. 16.
Matth. 10.

Lib. 4. c. 51.
Matth. 11.
21. & 22.
Luc. 14.
Ioan. 10.

Apoc. 3.

Matth. 12.

bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Nemo enim, inquit Augustinus, nisi Deus facere arborē potest, sed habet vnusquisque in voluntate aut diligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut diligere quæ mala. ¶ Quod liberum arbitrium, vt idem Augustinus verissimè iudicat, si non dedisset Deus, iudicium puniendi nullum esse possēt, nec meritum rectè faciendi, nec præceptum diuinū vt ageretur penitentia, nec ipsa intelligentia peccatorū, quam nobis Deus per Dominum nostrum Iesum Christum donauit. ¶ Ac alibi rursus: In libero arbitrio habet homo, vt credat liberè, & accipiat gratiā, vt iam illo qui eam donat, liberante & adiuuante non peccet: atq; ita desinat esse sub lege, sed cum lege, vel in lege, implens eam charitate Dei, quod timore non poterat. ¶ Neq; verò mihi fat erit, liberum arbitrium vnà cum orthodoxis Patribus profiteri: quisquis enim hoc negauerit, Catholicus non est, vt eiusdem Augustini verba repetam, verum etiam immortalī Deo gratias agam de hoc insigni munere, quo mortales ab animantibus reliquis discernimur, ac omnium authori Deo maximè similes reddimur: quoniam is minimè cogi, suamquē summam libertatem nulla ex parte amittere potest. Præterea me ipsum demittam & accusabo, perinde ac miserandum Adæ filiū, in quo liberum arbitrium valde iam sit impeditum, vt cum Paulo testari habeam: *Scio quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio. Video aliam legem in membris meis, captiuantem me in lege peccati.* Vnde scripsit etiam Damascenus: Sine Dei cooperatione & auxilio impossibile est nos aut bonum velle aut agere. ¶ Rursus autem illud me consolabitur, quòd eodem Paulo teste, Christus fidei nostræ author & consummator, & Agnus Dei tollens peccata mundi, factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: qui nos Credentes è peccati seruis liberos facit, sicut ipse promisit: *Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis, qua libertate Christus nos liberauit.* Apostolo teste, qui præterea hoc baptizatis tribuit: *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ.*

Lib. 2. in a-
ctis cum Fe-
lice Manich.
cap. 4.

Disputat. 2.
côt. Fortuna-
tum.

Lib. 1. ad Sim-
plicia. quæst.
1. & in Ep. ad
Rom. pro-
pos. 44.

Lib. 3. hyp-
gnoitic.

Rom. 7.

Lib. 2. defi-
de. c. 30.

Hebr. 12.
Ioan. 1.
1. Cor. 1.

Ioan. 8. 1

Galat. 4.

stitiæ.

Luc. 18.

Luc. 12.

Philipp. 4.

Roman. 8.

Lib. de in-
carn. & grat.
Christi.
cap. 19.

Prouerb. 5.

Ioann. 8.

Actor. 19.

Psal. 118.

Matth. 5.

stutia. Proinde non dubitabo, per oblatam Christi mediatoris gratiam hoc mihi ad bene beateque viuendum donari, ut vocati & excitanti me Deo per liberum arbitrium assentiri, meque ad ipsam gratiam unam cum Euangelico publicano preparare possim ac debeam. Hinc illa Christi sententia: *Ille seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se preparauit, & non fecit secundum voluntatem eius: uapulabit multis*. Et Paulus magna cum fiducia dixit, & a renatis dici uoluit illud: *Omnia possum in eo qui me confortat*, ob spiritum scilicet inhabitantem, qui eodem teste, *adiuuat infirmitatem nostram, & qui secundum Deum postulat pro sanctis. Quicumque autem spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*. Quoniam uero haec libertas a bona voluntate sumit exordium, & fructum sanctificationis in aeterna uita plenum sui sortitur effectum, ut Fulgentij uerbis utamur, magno perem mihi prouidendum est, ne a Christo receptus in gratiam, prudens ac sciens peccem, & peccando in pessimam redigar seruitutem; quemadmodum perfidis & obstinatis Iudaeis uisuenit. Etenim ut Salomon astruit, ac totus mundus in Iudaeis clarissime deprehendit; *Iniquitates suae capient impium, & fimbriae peccatorum suorum constringentur*: sicut & Christus ipse testatur: *Amen, amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. seruus autem non manet in domo in aeternum*. Proinde si sapio, non otiosum ac infructuosum esse sienam mihi arbitrium liberum, sed sollicitus cum Saulo saepe precabor: *Domine, quid me vis facere?* & cum Propheta dicam: *Fiat manus tua, ut saluet me, quoniam mandata tua elegi. Quare seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*.

Quod porro terrenae Iudaeorum metropoli Ierusalem a Christo dicitur, ad me quoque pertinere ducam, qui Christum ut fidissimam patientissimamque gallinam experior, me autem pullum obsequentem & morigerum illi saepe non praebere. Gallina certe animal est ad tutandos a miluorum rapacitate pullos uehementer intentum, eaque de causa multis se incōmodis & periculis exponit, etiam ad certamen pugnamque

descen-

descendens. Præterea suo calore pullos fouet ac nutrit, & eorum causa suum vigorem exhaurit propemodum, & sollicitè clamat, seqüē totum pullis conseruandis impertit. Quoties autē ego, proh pudor, me à materno paternoue sinu, & à diuinarum alarum tegmine disiungo, vt blandientem & vocantem gallinam non audiam, & idcirco me insidiantibus miluis, immò tetrīs dæmonibus trucidandum ac deuorandum exponam? Non clamo identidem, vt pius Dauid optimè docuit: *Custodi me Domine, vt pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.* Minus ergo mirum videri debet, si mei similes, id est, ingrati & petulantes pulli id audire cogantur, quod peruersi Hierosolymitani, alijquē rebelles Iudæi vel inuiti audiunt de luendo temporario simulquē perpetuo exitio. His dissimile nō est, quod idem Christus Galileæ ciuitatibus exprobrat peruicaciam, quando quidem post auditam Euangelij doctrinam, & post multa conspecta miracula pœnitentiam seriam nō instituisent, sed sui similes vsque perstitissent, suorumquē maiorum mensuram implere pergerent. Vnde illud mihi quoque dictum putabo quod à Paulo scribitur: *Vide bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Quid verò hoc dicto grauius atque terribilius: *Ecce res linquetur domus vestra deserta?* Quod æquē ad templū illud magnificentissimum, & urbem nobilissimam, totamquē regionem Iudaicam olim florentissimā est referendum. His incolis nihil tandē superfuit, sacra & publica illis adempta sunt omnia, & hostium permissa libidini, vt ne lapis quidem super lapidem maneret integer & inconuulsus. Quid verò rursus Pseudochristiano infelicius, qui Christum relinquens, & ipse à Christo relinquitur, totamquē domum suam deuastari experitur, vt quibus antea gaudebat in Ecclesia bonis & prærogatiuis, his in morte penitus orbetur, ac totus veniat in dæmonum potestatem? Tum demum infernales milui, quibus nihil est crudelius, inualescunt, & quod Christo vel gallinæ

Psal. 16.

Matth. 11.

Matth. 23.

Rom. 23.

Matth. 23.

Luc. 19.

Pfal. 2.

Prouer. 1.

Hebr. 10.


Galat. 5.

Rom. 11.

Ioan. 10.

Apecal. 11.

vel pastori debebatur, prædæ loco diripiunt, sibi quæ apud inferos vendicant in sempiternum. Proinde mihi quoque dictum existimabo quod scriptum est: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Etenim iratus Deus ita se geret erga inobedientes, sicut illa sua sententia prænuntiavit: *Quia vocaui, & renuistis, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque, in interitum vestro ridebo.* Terribilis est eritque expectatio diuini iudicij, sed illis maximè, qui Christianam professionem impuris moribus, vel sicut Paulus appellat, carnis defecderunt operibus, & in illis cum Iudæis sine poenitentia moriuntur. At verò mitius agetur cum illa postrema Iudæorum generatione, qui sub mundi finem victuri, Christum, antea ut pauperem despectum, tunc in maiestate venientem fidei corde excipient, & publica confessione honorabunt, ut magno consensu cum electis dicant: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Cum enim intraverit plenitudo Gentium, omnis Israël saluus fiet;* si Apostolo fidem habemus, ut sit vnum ouile tandem & vnus pastor, quando per Eliam & Enoch, ut veteres notant, Israël relinquitur in suum credent Messiam, & Euangelij gratiam concorditer amplectetur.



DE BEATO STEPHANO
 PROTOMARTYRE.

Act. 2. & 4.

Serm. 91. de
diuersis:

SIC nos in primis admonet de illis Fidelibus, qui ab Apostolis conuersi atque instituti, Spiritus primitias acceperunt, quibus communia erant omnia, quorum in Fide cor vnum & anima vna durabat, quique in doctrina Apostolorum, & in communicatione fractionis panis, atque in oratione perseuerabant. Inter hos tanti nominis & honoris fuit Stephanus, ut vir plenus gratia & fide, adeoque plenus Spiritu sancto fuisse ab omnibus prædicaretur. Conferret eundem Augustinus cum Apostolis, inquit: *Martyr Ste-*

phanus.

phanus beatus & primus post Apostolos, ab Apostolis Diaconus ordinatus, ante Apostolos coronatus, illas terras passus illustravit, istas mortuus visitavit.] Sed & Apostolica, id est, valde illustria per illum miracula edebantur, & communi omnium testimonio dignus erat habitus, qui primus electus in nouum Diaconorum ordinem ab ipsis Apostolis cooptaretur, ac primas inter viduarum fidelium procuratores teneret, qui quæ teste Ignatio, Hierosolymis Iacobo Episcopo ministraret. Tanta demùm doctrina fulgebat, vt cùm viris eo tempore doctissimis disputando congregari, eosquæ omnes superare posset. Etenim Christi vaticinium in illo videbatur impletum: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Certè nisi sublimis & excellens ille fuisset Theologus, nō tam multa veteris Scripturæ testimonia in medium attulisset, neq; tam copiosè & grauiter cum ardenti spiritu coram peritissimis in Lege viris publicè disseruisset. Vnde factum est, vt Stephani eruditionem, raramquæ sapientiam & constantiam quotquot audirent, suspicerent, illumquæ velut angelum nihil verentem, & aduersarios impios liberè increpantē admirarentur. Ardens profectò spiritus Dei in illo vigeat, vt in testanda veritate & arguendi aduersarijs infracto prorsus esse animo videretur. Clemēs Petri discipulus hoc de illo palā affirmat: Stephanus martyr beatus, & vir sanctus, purus omnis delicti, qui neq; ad peccandum flecti, neq; à virtute detorqueri potuit.] Fulgentius illum à charitate ita commendat: Stephanus vt nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam ubiquæ vincebat. Per charitatem Dei sæuientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit: per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus, vicit Saulum crudeliter sæuientem: & quem habuit in terra persecutorem, in cælo meruit habere cōsortem. ipsa sancta & indefessa charitas desiderauit orando acquirere, quos nequiuisset monendo con-

Epistol. ad Trallian.

Luc. 21.

Act. 6. & 7.

Lib. 5. cap. 7. Constitut. Apostol.

Serm. de festo S. Steph.

Serm. 94. de
diuers. & ser
mon. 1. de
sanctis.

Serm. de fe-
sto. S. Steph.
siue 154.

Actor. 6. &
7.

Philipp. 2.

Homil. de fe-
sto S. Steph.
Serm. 98. de
diuersis.

uertere.] Multa & præclara de illo scribit Augustinus, vocat-
que beatissimum & gloriosissimū Martyrē, ac dicere non ve-
retur: Si sanctus Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum
non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclina-
tus exauditus est Stephanus.] Ac iterum: Cœpimus habere
nos prædicatorē, quem sanctus Stephanus habuit lapidato-
rem: sic ergo exauditus est sanctus Stephanus, vt eius oratio-
nibus deleteretur peccatum, quod cōmiserat Saulus. Cōmen-
demus ergo nos orationibus eius: multò magis enim nunc
exauditur pro veneratoribus suis, qui sic exauditus est pro la-
pidatoribus suis.] Demùm Petrus Chryfologus, vt alios ve-
teres prætereā, in hunc modum loquitur: Sicut Petrus à pe-
tra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiā fidei fir-
mitate fundare: ita Stephanus vocatus est ad coronā, quia pri-
mus meruit pro Christi nomine subire conflictum; primus
meruit sanguine militum Christi martyrium dedicare.]

Superior autem D. Stephani historia, quam graphicè Lu-
cas Euangelista depinxit, nouum mihi desiderium ingeret in
spiritu proficiendi, quemadmodū ille ex Apostolica institu-
tione profecit, seque velut illustre speculum, vel sicut Paulus
loquitur, luminare omnib. se præbuit in medio prauæ ac per-
uersæ nationis. Deinde optabo mihi huius præclari Theolo-
gi oculos dari, quibus vel in medijs mundi tenebris solem in-
stitia: Christum in cœlo mirè conspexit, vt apertè pronuntia-
rit, *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris
Dei.* Hoc enim erat insigniter philosophari, quod paucis alijs
legimus unquam fuisse concessum, nempè vt apertum cœle-
ste secretum futuri præmij esset testimoniū, & quod speraba-
tur desiderijs, oculis demonstraretur.] sicut habet Hilarius
Arelatēsis. Potest locus & sic intelligi, sicut Augustino visum
est, perinde ac si dicat Stephanus: Video Deum in sua gloria
sedentem, pro mea salute astantem. Ipse mihi testis est in cœ-
lis: ego ei non erò testis in terris: cædite, cædite lapidibus con-
fitentem: habeo meum Patris ad dexteram adiutorem.] Præ-
terea monet me cōtextus præsentis historiæ de fugiendo ho-

minum

minum genere pessimo atq; pernicio sissimo, quod impietatem cum feris barbarisq; moribus imbibit, atq; idcirco veritatis & pietatis omnis doctrinā præfractè contēnit, sed & benè monentes crudeliter insectatur; quia *veloces pedes eorū ad effundendum sanguinem*, Psalmographo teste. Hos Ioannes Baptista progenies viperarum, Paulus filios diaboli, inimicos omnium iustitiæ, omniq; dolo & fallacia plenos appellat, in quos dictum Stephani pulchrè competit: *Dura cervice & incircumcisus cordibus et auribus, vōs semper Spiritui sancto resististis*. Neque sunt dissimiles nostri temporis heretici, qui odio Catholici nominis & Ecclesiastici magistratus obcœcati, aduersus clarissimā tot sæculis probatæ veritatis lucem contumaciter & perfidiosè disputant, & quas possunt maximas tenebras orthodoxis offundunt, Turcis & Iudæis omnibus hostes Ecclesiæ pestilentiores, quoniā iuxta Petri Apostoli vaticiniū, *magistri sunt in populo mendaces, & introducunt sectas perditionis, per quos veritatis via blasphematur*. Adhæc Fidem non modò veram, sed & fortem præstare cõtendam, vt vnà cum Stephano Christianam veritatē cognitam, lingua & opere, quoties opus fuerit, ingenuè profitear, & orthodoxo zelo declarem. Nam vt Paulus tradidit, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Extrema potiùs perpetiar, quàm vt sanctæ fidei, & veritatis Catholicæ confessionē defugere videar vel prodere. Quia notum est verbum Domini: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus*. (sicut nempe Stephanus ad sanguinem vsque pugnans, ante Martyres omnes confessus fuit) *confitebor & ego eum coram Patre meo*. Nec sanè vulgaris corona martyrii illos manet, qui pro Catholica religione decertant, & oppugnatam hodie Fidem in quouis argumento intrepidè profitentur atq; defendunt. Et enim sicut Dionysius Alexandrinus apud Eusebiū præclare differit, illud martyriū quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensus: non minus certè, sed multò plus habet cōmendationis, quàm illud quod suscipitur, ne idolis omninò immoletur. Nā in hoc pro vna quisq; anima suffert martyriū; in illo autem pro tota

Psal. 13.
Matth. 3.
Actor. 13

Actor. 7.

2. Pet. 2.

Rom. 10.

Matth. 10.

Lib. 6. hist.
eccl. c. 37.

Pſalm. 45.
& 49.

Apocal. vlt.
Matth. 3.

Genef. 3.
Ecceſ. 10.
Pſalm. 14.

1. Tim. 5.

Matth. 23.

Eccleſia.] Ruſſus ob oculos mihi ſæpè proponam Dominum I E S V M , & maximè quidem cùm angor ab hoſtibus, vel in extremo vitæ periculo verſari, aut humanis præſidijs planè deſtitui videor. Tunc enim exemplum inſigne Stephani ſectari habeo, vt Chriſtum ipſum mihi præſentem inuocem, mequè illi fideliter commendem, qui adiutor eſt in tribulationibus, refugium noſtrum & virtus, quiquè clementer hoc iniunxit afflictis: *Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Quocirca quãto grauiùs angor ac premor, tanto vehementius diuinæ miſericordiæ oſtium, quibus poſſum votis & precibus, ſæpè paſſabo, & cum Ioanne dicam: *Veni Domine Ieſu, & cum Apoſtolis omnibus: Domine ſalu nos, perimus.* quemadmodum & cum noſtro Stephanò: *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiriitum meum.* quomodocunque videlicet cum hoc fragili & mortali agatur corpore, quod terræ debetur ac vermibus, *Educ de cuſtodia animam meam, ad conſtitendum nomini tuo.* Meminero itidem, me ſub Eccleſiæ miniſtris ac præpoſitis demittere, eoſquè reuerenter colere, maximè quando extra culpam viuunt, nec ſolùm verbis, ſed exemplo etiam ſuam ornant functionem, vt opus faciant Euangeliftæ. Scio enim Apoſtolicum canonem, quo decretum eſt: *Qui benè præſunt præſbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina,* ſicut nempe Stephanus licet plenus gratia, ſanctos Apoſtolos inprimis honorauit. Nam de miniſtris alijs non proſus inculpate viuentibus, & qui alios potiùs quàm ſeipſos docent, regulam à Chriſto præſcriptam cuſtodiam: *Omnia quacunq; dixerint vobis, ſeruare & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Nec mihi negligenda ſunt officia & exercitia Chriſtianæ pietatis, quæ nũc frigent apud plurimos, & Stephanus tamen ſibi habere voluit familiaria, vt nempe non ſolùm corde inuocaret Deum, ſed etiam ad piè precandum genua flecteret, & intentà voce clamaret, ſuosq; oculos ad cœlũ cum fide leuaret, tum vita & moribus caſtũ & innocentẽ quaſi angelum præ ſe ferret. Ardens in eo Fidei

zelus

zelus non poterat dissimulari, qui in loquendo & disputando se palam exerebat, vt & ipse testari posset: *Zelus domus tue comedit me.* Dolebo demum, charitatem fraternam, quę siue amicis siue inimicis debetur, adeo in me torpētem tepidamq; iacere, vt ab admiranda & eximia Stephani charitate absim longissimē. Vt enim Augustinus atate sua pro concione dixit, Maximē sequendus & imitandus est nobis Stephanus in dilectione inimicorū. Nostis enim, quia frequentium inimicorum cōgregatione circumdatus, cū crebris hinc & illinc saxorū ictibus tunderetur, placidus & intrepidus, mitis & lenis inter lapides ac viuis occidebatur, intuens illum pro quo occidebatur. Non ait: Domine iudica obitū meum, sed Accipe spiritum meum. Non ait: Domine Iesu vindica seruum tuum, quē vides isto supplicio mortis addictū, sed Ne statuas illis hoc peccatū. Persistens ergo beatissimus Martyr in testimonio veritatis & charitatis, ardēs spiritu, sicut nostis, peruenit ad gloriosissimū finem.] Nec tacuit Maximus Taurinensis, Stephano plus hostiū doluisse peccata, quā propria vulnera, quodq; illorū impietate magis, quā suā mortē deplorarit. Diligamus itaq; nos, inquit, hoc animo in Ecclesia, fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos suos. Sunt enim qui aliquoties non solū inimicos nō diligant, sed nec amicis quidem fidem integrā custodiāt.] Tantū abest, vt & summo capiti Christo, & electo eius membro Stephano me ritē conformē, qui iniuriā offendentī fratri ex animo nō remitto, & pro inimicis rarō vel nunquā precor, nihilquē molestiæ subire dignor, meq; ipsum eorū nomine nō sacrifico. Quā verō multa & luculenta nobis porrigit Augustinus, eaq; fide dignis aliorum confirmat testimonijs de venerandis D. Stephani reliquijs, atate sua apud Africanos cōseruatis, per quas mirabilis in sanctis suis Deus præclara edidit miracula toto mundo obstupescēte. Et de illis etiā alij non pauca, nec obscura memoriæ prodiderunt, sicut Euodius episcopus Vzaletensis, Prosper Aquitanicus, Severinus episcopus Minoricensis, Hilarius Arelatensis, alijq; scriptores veteres omni exce-

Psal. 68.

Serm. 95. de diuers.

Homel. in festo Steph.

Luc. 23.

Lib. 22. de ciuit. Dei. c. 8.

ptione maiores. Proinde hullam ego fidem nouis Ecclesiæ hostibus tribuam, qui post Eustathiū & Vigilantium cōdemnatos iam pridem hæreticos, nō minùs furiosè quàm improbè cultum Sanctorum impugnāt atq; despiciunt, ita vt de illorum Reliquiis vel miraculis nihil præclari sentiant, sed omnem potiùs sacrā rideāt antiquitatē, fidemq; tot sæculis probatam & confirmatā apertè cōuellant. Qua de re alibi plura.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro Leuitis, siue Diaconorum ordine, in quo Stephanus, Laurētius, Vincentius insigniter claruerunt, vt hi aliq; inferiorum ministrorū gradus, vnde paulatim in Sacerdotū ordinē qdam adleguntur, ministerio & functione sua decēter ac digne fungātur, multiq; sint ex illis viri, sicut Lucas appellat, boni testimonij, & pleni Spiritu sancto & sapientia. Ac tales quidem primi Diaconi in Ecclesia extiterunt, licet inter septem illos tanta cura delectos, & ab Apostolis constitutos vnus non defuerit Nicolaus hæresiarcha, à quo deinde Nicolaitæ, quos Ioannes damnat, prodierunt.

Actor. 6.

Apocal. 2.

ORABO itidem Deum pro Catholicis, vt suam erga Ecclesiasticos magistratus, velut à Deo missos obedientiam præstent, eosq; Christi legatos legitimè cum Stephano reuereantur. Deinde vt fidem veram persecutionis tempore, quod prædixit Christus, re ipsa declarent, suamq; charitatem non solum amicis, sed etiam immentibus inimicis ignoscendo & precando libenter ostendant.

Matth. 10.
& 24.

DE MV M pro fidei vera fidei Ecclesiæq; propugnatoribus Deum inuocabo, vt huius Protomartyris sapientiam & fortitudinem amulentur. Proq; his omnibus vota faciā, qui hoc seculo religionis ergò ab hæreticis passim affliguntur, ac prorsus indignè trahantur, sæpe & exulare coguntur.



IN DIE FESTO S. IOANNIS APOSTO- LI ET EVANGELISTÆ.

Sequentis Euangelij Argumentum.

EST hoc Euāgelium initiò quasi dialogismus, in quo Christus cum Petro, & Petrus vicissim cum Christo colloquitur, quādo iam quadraginta propemodum dies à resurrectione Dominica effluxissent, & Christus paulò post cœlos petere vellet. Ante hunc dialogum Christus Petrum Ecclesiæ suæ pastorem summum præfecerat, eiq; curam omnem Dominici gregis, etiam præsentibus Apostolis, demandārat. Pasce, inquit, agnos meos; pasce oues meas: simulq; monuerat, illum suum in terris vicarium, vel sicut Eusebius Cæsarensis vocat, primum Christianorum Pontificem, etiam in morte crucis oppetenda sibi germanum sectatorem fore, vt per vitam eius ac mortem Deus glorificaretur, Cùm verò idem Petrus retrò spectaret, & carissimus illi collega Ioannes se præberet obuium, venit in mentem de illo ipso Ioāne interrogare, qua morte vitam suā clauderet, & quid de illo ex dispositione diuina futurum esset. Christus autem hoc quæstionis genus curiosum magis quàm necessarium reprehendit, iubens vt quæ sui muneris essent propria curaret, de alijs verò quid postremò futuri sint, minùs sollicitus foret. Sequitur altera Euangelij pars de cæteris Apostolis circa Christi sermonem auditum hallucinantibus, cùm ex eo colligerent, Ioannem discipulum è Christi sententia mortis debito non fore obnoxium. Verùm idem Ioānes hunc


Ioan. 21.

In Chroni-
co.

errorem corrigit, nihilq; tale à Christo dictū esse demonstrat: vocat & se discipulum quem peculiariter dilexerit Dominus, ac præterea scriptorem Euangelij, eumque socium, quo Christus sit vsus familiarius, præsertim cum in vltima cœna supra pectus magistri recumberet, & de futuro proditore solus sciscitaretur. His adijcienda sunt alia, quæ Ioanni obrigerunt priuilegia, vt p̄ore quod castitatem tota vita seruauerit illibatam, quod ipsi virgini Virgo mater de cruce Domini fuerit commendata, quod altissima de Christi diuinitate, ac beatissima Trinitate, deque statu noui Testamenti mysteria per illum, vti per nulum alium, siue Euangelistam, siue Prophetam, nobis manifestentur. Scribit de hoc Ioanne Hieronymus: Iesus Ioannem Euangelistam amabat plurimum, qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudæorum insidias non timebat, in tantum vt Petrum introduceret in ætrium, & staret solus Apostolorū ante crucem, matremque Saluatoris in sua reciperet: vt hæreditatem virginis Domini, Virginem matrem filius virgo susciperet. Et rursus alio loco sic Ioannem describit, quod vsus fuerit ex discipulis ætate minimus, & in virginitate perseverans, ac præ alijs amatus à Domino, vnde super pectus eius recubuerit. Tum ad Euangelium hoc nostrum propius accedens, hæc subiicit: Post auditam sententiam, quod ab alio cingendus esset Petrus, & ducendus quod nollet, & crucis fuisset illi passio prophetata, & ille diceret, Domine, quid iste? nolens deserere Ioannē, cum quo semper fuerat copulatus, dicit ei Dominus, Si eum volo sic esse, quid ad te? Vnde & sermo exiuit inter fratres, illum discipulum non moriturum.]

Epist. ad Principium.
Ioan. 18.

Lib. 1. cont.
Ioan.



EVANGELIVM IOAN-

nis XXI.

DIXIT IESVS Petro: *Sequere me. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit IESV, Domine hic autem quid? Dicit ei Iesus. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia ille discipulus non moritur. & non dixit ei Iesus, Non moritur, sed Sic eum volo manere donec veniam. quid ad te? Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius.*

NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
PRAESENS EVANGELIVM
& Festum.

Quid ad te? tu me sequere.

ADMIRABOR solum Deum ad eò natura bonum, iustum, sanctum & irreprehensibilem esse, in quem nulla vitij labes, vel cõtagio vel suspicio cadere possit, vt verè de illo prædicet Psaltes: *Non Deus volens iniquitatem tu es; neq; habitabit iuxta te malignus: neq; permanent iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Hanc eximiam*

Psalms.

laudem

Isai. 6.

1. Reg. 2.

Iob 4.

Isai. 14.

2. Pet. 2.

Ibidem.

Genes. 6.

Eccles. 44.

Genes. 9.

2. Pet. 2.

Genes. 19.

Exod. 33.

Num. 12.

Deutero. 32.

Aët. 13.

Psalm. 88.

2. Reg. 12.

& 11.

Luc. 1.

laudem sibi soli seruat Deus, & cum creatura nulla communicant siue in cælo, siue in terra, vt illi vni meritò cum Seraphin accinamus, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius. Non est sanctus vt est Dominus*, inquit mater Samuelis. Etenim in alijs creaturis à Deo conditis nihil tantæ puritatis atq; perfectionis extat. Siquidem etiam de Angelis fatendum est, quod Iob apertè testatur, *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles*, (nempe antequàm in gratia & gloria confirmarentur, & in angelis suis reperi prauitatem. Cui prauitati Angelorum cum suo capite Lucifero impiè superbientium, ingens pœna non defuit: quoniam, vt Petrus affirmat, *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciãdos*. Celebratur & Noë iustitiæ præco in sua generatione iustus atq; perfectus, qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, vt scripturæ verbis vramur. Sed næuus tanto viro non defuit, quoniam bibens vinum est inebriatus, & in tabernaculo suo nudus iacuit, vt filiorum vni causam præberet offendiculi & irrisiõnis. Laudatur & Loth iustus, qui tamen captus à vino, in eam turpitudinem incidit, vt suas etiam filias constuprãrit, ac grauidas reddiderit. Quis nescit eximium fuisse Prophetam Moysen, qui facie ad faciem Domino palàm loquebatur? sed quoniam idem in fide vacillauit, ab ingressu terræ promissæ vnà cum fratre suo Aaron fuit exclusus. De Dauid singulari amico testatur Deus: *Inueni Dauid filium Iesse, secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas*. Constat autem, quàm ille grauitè in adulterij & homicidij crimen sit prolapsus, indeq; castigatus. Demùm Zacharias Ioannis Baptistæ parens non vulgarem tenet suę iustitiæ laudem, vt indicat Lucas: sed qui suæ quoq; diffidentiæ pœnas exoluit, nõ leuiter multatus ab Angelo Gabriele iuxta illam sententiam: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hac fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis*. Quæ omnia me commonefacient, vt humanam imbecillitatē ad peccandum vtiq; procliuem, & æquè in bono inconstantem non solùm in alijs excellenti-

bus

tibus personis, verum etiam in meipso agnoscam atq; deplorem, Deo semper summo summam dans gloriam. Cum Apostolo fateri habeo: *Vanitati creatura subiecta est.* & Propheta verbum est: *Homo vanitati similis factus est.* Et clara Iob sancti est confessio: *Verè scio quod ita sit, & quid non iustificetur homo comparatus Deo.* sicut & in alio loco eiusdem libri legimus, *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stella non sunt munda in conspectu eius; quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?*

Minus igitur admirandum putabo, cum audio Apostolorum principem Petrum tot eximijs Christi promissis ornatum, & beneficijs cumulatum, aliquando reprehendi, & à Christo ipso inculari. Nota enim illa vox est, *Vade post me satana; scandalum es mihi.* Nec obscure in hoc Euangelio dicitur, *Quid ad te? tu me sequere.* Agebat enim rem suam Petrus feruentius, & culpa linguæ intemperantioris non vacabat, dum sui oblitus, ad aliena liberius euagatur. Non enim cogitat de iniuncto & suscepto ingenti munere & onere curæ pastoralis, neque de mortis genere in cruce sustinendo sollicitus est, ut suo se magistro conformet, quemadmodum proximè fuerat commonefactus. Tantum in collegam Ioannem respicit, de cuius ex hac vita discessu vanam admittit sollicitudinem, & præposteram instituit questionem, nimirum ut intelligat, non modo quid sibi, sed etiam quid Ioanni, ut charissimo suo collegæ, in vita & morte sit obuenturum, cum quo hactenus quidem coniunctissimè & suauissimè vixerat. Accedit ergo Christus ut peritissimus medicus, loquacioris linguæ vitium curaturus, ac velut equo non satis domito frenum in os inijcit, eumque ad se reuocans inquit, *Sic ego,* vel ut quidam legunt, *Sic sic eum volo manere donec veniam,* eumque de medio tollam, si ne cruce ac vulnere, quid ad te? meum est istud, cui iudicium omne dedit Pater, non tuum curare. Sedenim bone Deus, quoties meam mentem improvida lingua præuertit? An non Petro in sermone sum sæpè incautior ac reprehensibilior, &

Rom. 8.
Psal. 102.
Iob 9.

Iob 25.

Matth. 16.
Ioan. 21.

Ioan. 5.

si secundum Apostolicam regulam iudicandum est, vanè religiosus? *Si quis enim putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Iacobo Apostolo teste. Monet quoq; Salomon, cum qui inconsideratus est ad loquendum, mala sensurum. & Petri iam duce Spiritu sancto reformati præceptum est, *Si quis loquitur, tanquam sermones Dei.* Mirabor igitur tum curiositatis, tum loquacitatis vitium tam hodie multis vsitatū esse, quoniam Christus vitæ nostræ magister vtrumq; in suis carissimis discipulis sæpè & acriter incusauit. Siquidem & Martham, licet fidam & fauentem sibi hospitam, obiurgat, quòd domesticis distracta curis, de otiosa sorore quereretur, & in illa iudicanda atq; taxanda inutiliter laboraret. Perstringit & discipulos, qui sub extremum suum ad cœlos ascensum hoc vnum peruestigare & noscere cupiebant, *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Quamobrem hoc illi referūt responsum obiurgatorium, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta que Pater posuit in sua potestate.* Neq; ignota est duorum discipulorum Iacobi & Ioannis curiositas cum singulari vindictæ cupiditate coniuncta, quando aduersus Samaritanos ita stomachosè precantur: *Domine vis dicamus ut ignis descendat de cœlo & consumat illos?* Vbi conuersus increpauit illos, & dixit: *Nescitis cuius spiritus estis.* Quò magis ego in sermonibus meis obseruabo & fugiam hoc malè sanum, & apud sapientes quidem exosum vitium curiositatis, præsertim cum ex Euangelio sciam, de verbis etiam otiosè prolatis Christo iudici rationem reddi oportere. Cum sancto Iob, qui non peccauit labijs suis, dicere cōsuecam: *Non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* Exigit Paulus quoq; sermonē, qui sit bonus ad ædificationem Fidei, & gratiam det audientibus, neq; contristet Spiritum sanctum, semperq; sit sale cōditus. Quamobrem cubiculum mei cordis ingrediar sæpè, vbi audire mihi videbor illud quod scriptum est, *Medice cura te ipsum. Miserere anime tue placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate. Aliora te ne quæsieris,*

sieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. in superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: de ea re quæ te nõ molestat, ne certaueris. Tantò quæ minùs mihi sinam affricari morbum veterè Atheniensium, qui ad nihil aliud vacabant, sicut Lucas exponit, quàm dicere vel audire aliquid noui. Quanquam peius cum illis etiam nunc agitur, quos ingens desiderium, & inexplebilis ferè libido cepit nõ modò de rebus alienis, sed etiam de consilijs Principum & futuris mundi euentibus, temporumq; ac regionum mutationibus noua quædam cognoscendi, iudicandi & augurandi. Atqui abominatur Dominus eos, qui hæc vana studia persequuntur, qui quæ ariolos sciscitantur, & obseruant somnia atq; auguria, sicut & eos qui pythones ac diuinos consulunt, vel astrologiæ diuinatrici multum tribuunt ac innituntur. *A signis cæli nolite metuere quæ timent Gentes*, diuinum inquit oraculum. Ac rectè à Luca laudantur, qui cum curiosa sectati fuissent, libros suos contulerunt, & coram omnibus combusserunt. Valeat cõmunis quæ nũc passim obtinuit vulgi loquacitas, & loquax curiositas: redeat verò aurea simplicitas, vt multos Natanaëles & Iobos habeamus. Nam de Natanaële hoc Christi est iudicium: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* De Iob autem Deus ipse testatur, quòd sit *homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.*

Eccl. 11.

Actor. 17.

Deuter. 13.

Ierem. 10.

Actor. 19.

Ioan. 1.
Iob 1.

Sic eum volo manere donec veniam:

EGO mihi planè persuasum habeo, eam summi Dei esse prouidentiam, quæ sese cum ad res mundi etiam minutissimas, tum ad omnes homines certissimè porrigat, & singulis nobis inde ab æterno definita primordia, statosquæ progressus & fines assignet. De qua supremi numinis prouidètia scriptum est: *Attingit à sine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ac rursus legimus: *Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.* Id quod ad eò verum est, vt Christus etiam afferat: *Vestri & capilli capitis omnes numerati sunt.* Meri-

Sap. 8.

Sap. 11.

Matth. 10.

tò igi-

2. Reg. 2.
Sapien. 16.
Deuter. 32.

Eccles. 10.

Eccles. 16.

Exod. 14.
Vide Ioseph
& Niceph.
Pfal. 54.

Genes. 20.

Prou. 6.

Genes. 6.
& 19.

Genes. 6.

2. Pet. 2.

Exod. 22.

tò igitur hanc laudem & gloriam auctori omnium tribuam, quòd ipse viuificet & mortificet, vitæ ac nec is princeps, sicut & ipse palam de seipso testatur: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo.* Notabo interim peculiaria genera criminorum, quos iustus Deus subita vel horrenda morte plectere solet, vt naturalem vitæ periodum non attingant, sed abrumpant. Etenim illius ira superbos è medio tollit, sicut scriptum est: *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis Gentibus.* Hinc de superbis gigantibus omninò exterminatis legimus: *Non enim exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti; & non pepercit peregrinationi illorū, & execratus est eos præ superbia verbi eorum. non misertus est illis, gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis.* Simile iudicium in homicidis & tyrannis, præsertim Pharaone & Herode infanticida, Deus ostendit iuxta illam regulam: *Viri sanguinem & dolosi non dimidiebant dies suos.* Sed & adulteros Deus grauitè punit, vt hinc dicat regi Achimelee: *En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.* Vt enim Salomon comprobatur: *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Iam verò de impudicis & flagitiosis, quales tēpore Noë & apud Sodomam Gomorrhœamq; multi extiterunt, nefandis nempe libidinibus cooverti, euidenter pronuntiat Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Nec tacet Petrus Apostolus, ciuitates Sodomorum & Gomorrhœorum in cinerem à Deo redactas, & euerfione dānatas esse. Cuiusmodi scelera non solùm vindex criminum Deus in verbo suo execratur, atq; horribiliter punit, verum etiam per magistratum politicum puniri præcipit. *Maleficos, inquit, ne patiaris viuere; & idcirco ius gladij tradidit principibus, vt hi ferro armati, improbos tormentis afficiant, & complures à peccando reuocent deterreantq;. Est enim firmū quod Apostolus docet:*

Si malum feceris: time. non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.

Præterea Deum in amicis suis mirabilem agnoscam atq; colam, quandoquidē cū ipse solus sit dominus vitæ & mortis humanæ, Credentibus alijs laboriosum & difficilem, alijs lenem & placidum finem præstituit & assignat. Cuius rei certum videmus exemplū in vtroq; Apostolo Petro & Ioanne; quoniam ille crucis mortem sibi prædictam Romæ accepit: hic verò sine cruce, sine gladio, sine vulnere ex hac vita decessit, & in Domino suaviter apud Ephesum obdormiuit. De Petro perspicua Christi verba sunt: *Amen, amē dico tibi, cū esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. cū autem, senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.* In solum Ioannem illud competit: *Sic eum volo manere donec veniam.* Quia nempe post alios Apostolos omnes martyrij laurea coronatos illum assumā, ita vt leniore mortis genere vitæ suæ cursum absoluat. Etenim cū esset ille sacerdos, immò Ephesi Pontifex, *ἱερατεύων*, hoc est, auream laminam in fronte gestauit, vt vertit Hieronymus, & Ephesi obdormiuit, sicut Polycrates ab Eusebio citatus annotauit. Petrus autem cū ad extremum Romæ versaretur, capite deorsum situto, cruci affixus est, eodē Eusebio teste: typumq; gerit beatorum martyrū, ac omniū pro fide ac iustitia ad mortē vsq; decertantiū, de quibus ab angelo Ioanni dictum fuit: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Et de iisdem Christus pronuntiat: *Beati qui persecutionē patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ioanni autem, qui grauioris mortis tormentū euasit, conferri potest Abraham patriarcha, cui præstitit Deus quod promisit, nimirum: *Tu ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Ac de multis alijs patriarchis & moderatōribus Iiraëlitarum rectē affirmāris, quod scripsit Sirach: *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum uiuent in generationem & generationem.* Cū verò nesciam, quale mortis genus, quod nempe vel Martyri-

Sapient. 16.

Vide Nicephorum lib. 2. histor. c. 42.
Ioan. 21.

In catalogo Script. Eccl.

Euf. l. 3. c. 1. & 25.

Apocal. 7.

Matth. 5.

Genes. 15.

Eccl. 44.

- bus, vel, vt loquimur, Confessoribus congruit, mihi deputauerit Deus, ac difficillimū sit certum genus mortis deligere, mihi etiam atq; etiam curandū est, diuinam vt implorē gratiam ad benè beateq; viuendū simul & moriendū, vtq; animo interim prompto & expedito maneā, quo cum Psalmo-grapho testari possim: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Atque hic locū habet frequens & seria meditatio nouissimorum, de quibus præcepit Ecclesiasticus: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua; & in aeternum non peccabis.* Cum hac meditatione cōiungā sollicitā precationē, vt propitius mihi morienti Deus adesse dignetur, nec sinere velit, vt propter peccata siue occulta siue nota, quæ pœnarū omnium sunt scaturigines, ego forti eius gratia destituar aliquando. Hac enim egebo plurimū in supremo illo grauissimō-que conflictu, cum extremi dolores corporis acriter pungēt, & imminentis mortis horror sensus omnes obturbabit, & Serpens antiquus morientis hominis calcaneo, vt antea nunquam, hostiliter insidiabitur. Tum demū quisque nostrum experietur, quā verè scripserit Ecclesiastes, *Nescit homo finē suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo.* Nec minū verè dictum est: *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, virum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* Quò magis mihi cum regio Psalte precandum erit, *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Ac iterum: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Nec malè cum vetustis orthodoxis orabo, A subitanea, improuisa & mala morte libera nos Domine. Demū obseruatione dignum putabo, Ioannem in hoc Euangelio describi, qui de se suæque vitæ decursu & exitu nihil sit sollicitus, nec à Christo quidquam percūctetur, sed tantū Petro alijsq; collegis iudicandum sese permittat. Horum opiniones, qui immortalē ipsum fore coniectabant, audit ille quidem, sed vt parui facere videatur, quòd haud dubiè sciret esse scriptum: *Quid*

necesse


neceſſe eſt homini maiora ſe quaerere, cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuae, & tempore quod velut umbra præterit? Miſiſ igitur hominũ iudicijs, quibus multum ſe vanitatis admifcet, ad Chriſtũ refert omnia, & in illius prouidentia & voluntate acquieſcit, vbicunq; & quomodocunq; ſibi viuendum ac moriendum eſſet. Tantum enim fiducia ſimplex & ſincerus animus illi ſuggerebat, vt ſui curam omnem confidenter Chriſto relinqueret, perinde ac ſi cum Dauide diceret: *In manibus tuis ſortes meæ. vt iuſſum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.* O me felicem, ſi hominum perſuaſione & expectatione neglecta, ſeruem animum ad omnem euentũ liberum vt æquabilẽ, & quicquid muneris mihi Deus impoſuerit, libenter illud amplectar, & fideliter impleã. Proinde animo meo dictũ illud prorfus inſigam, *Fiat voluntas tua.* & præterea cor ſincerus conſeruabo, ne ab interiore doctore Spiritu ſancto reprehendatur. Vt enim ab eodẽ Ioanne docemur: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos: fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Præterea mihi cõmendatũ habebo, quod Spiritus ſanctus per Dauidẽ præcipit: *Delectare in Domino* (ſicut Ioannes vtique in Chriſto conſolationem omnem ſtatuebat) & *dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet.*

Pfal. 72. &
30.

Matth. 26.

1. Ioan. 3.

Pfal. 36.



DE BEATO IOANNE APOSTO-
LO ET EVANGELISTA.

IONGAËVO & decenti more confirmatum pu-
tato in Eccleſia, vt D. Ioannes in Natalitijs Chriſti
ferijs ſuum habeat locum, eiusquẽ memoria ſolen-
niter celebretur. Nullus enim eſt alius vel Apoſto-
lus vel Propheta, qui de Chriſti æterna generatione luculen-

Ioan. i.

Lib. de scri-
ptur. Eccle-
siast.

Matth. 4.

tius sublimiusque testetur, ac simul de spiritali Fidelium generatione, totoque fructu Natiuitatis Christi Domini commodiora producat. Hinc toties ex hoc ipso Ioanne nobis accinitur, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Cum hac ipsa Ecclesia constanter dicam & sentiam, Valde honorandus est beatus Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: beatus Apostolus, cui reuelata sunt secreta cœlestia. Verè hic discipulus quem diligebat Iesus, & insigniter diligebat, vt eo familiaritùs quàm alio quoquam, in mensa & conuictu externo vteretur. Delectatus enim videtur Dominus hoc suo nepote, adolescente sincero atque candido, benè nato, atque sic instituto, vt non absque singulari diuini numinis prouidentia Deum timens, & à carnis voluptatibus omnique impudicitia purus & integer degeret. Accedebat ætatis gratia, quod præ cæteris Apostolis esset iunior, futurus etiam Deiparæ custos, & post mortem Apostolorum omnium in Ecclesia ministraturus, grauesque congressus cum hæreticis impijs viua voce & scripto habiturus. Putant illum ad certissimum Christi nati annu peruenisse, quem sua morte concluderit, sub Traiano scilicet Cæsare. Etenim vt ex Hieronymo quoque colligimus, anno post passionem Domini sexagesimo octauo, ætatis autè suæ nonagesimonono mortuus est Ephesi, cum iamdiu Ecclesias Asiaticas gubernasset. Certè inter primos Apostolos vocauit illum Christus, vt non modò nauim & retia, sed senem quoque patrè relinqueret, eumque ex Apostolo primarium fecit Euangelistam, & in sublimi volantem aquilã inter Euangelistas omnes voluit apparere. Quis non miretur, Ioannem solam Magistro suo tam fuisse familiarem, vt supra pectus illius inter cœnandũ recumberet, & ex eodem pectore diuinæ sapientiæ hauriret aquas, & in omnes postea Ecclesias transfunderet? Solus audet de futuro traditore percunctari, Petro semper familiarissimus, & qui non modò scripsit Euangelium, vt fide dignissimus omninò testis, verumetiam Epistolas canonicas ita condidit, vt cunctos legentes ad ardentem rapiat charitatem. Nec solum

Apo-

Apostolus & Euangelista, nouique Testamenti scriptor designatur, sed & eximium Prophetam exhibet, atque de futuro rerum statu ad mundi finem vsque testimonium Ecclesiæ luculentissimum memoriæ prodit, diuinæ sapientiæ fulgore mirabiliter illustratus. Ergone in hoc sancto Ioanne summum Deum ego venerer, magnasque gratias agam, qui contra huius mundi tenebras vndique circumfusas tam præclarum & inextinguibile lumen accendit? Quis de illo non plena fide pronuntiet, *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimonium eius?*

Ioan. 21.

Ac varijs quidem de rebus non vulgaribus, sed salutaribus hic Ioannes admonet, ac in primis adolescentes, vt iuuentutis suæ florem castè conseruent, nec sibi vllò prohibitæ Veneris vsu vel contactu eripi patiantur, suamque virginitatem, velut incomparabilem thesaurum, per omnem vitam illibatè tueantur, & per eum diuinæ sapientiæ magis magisque participes fiant. *Incorruptio quippe facit proximum esse Deo. & qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem*, quemadmodum Daniel castus & sobrius diuinitus est illustratus, vt magna de rebus arcanis mysteria cognosceret ac explicaret. Prætereà Ecclesiastici homines ab hoc Ioanne monentur, sacra ministeria legitimè aggredi, semelque suscepta verbo & exemplo fideliter implere, vt iure ab Isaia sacerdotes Domini, & ministri Dei nostri, sed & à Christo ipso piscatores hominum, & sal terræ, luxque mundi appellentur. Non enim sat est, si illi sint sine crimine & irreprehensibiles, sed exemplum etiam præbere debent Fidelibus, sicut Apostolus tradidit, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Sed & Ioannes est, qui afflictis, ac religionis ergò impugnatis pijs non leuem suggerit consolationem, quoniam pauperem sibi vitam eligens, vt pauperi Christo seruiat, mundo se contemptibilem reddit. Apud Pontifices & Phariseos malam inuit gratiam suæ fidei constantia, & gaudet interim se dignum effici, qui pro Christi nomine contumelias, probra, vincula & verbera sustineat. Ad hæc apud Pathmon insulam triste

Sapien. 6.
Prouer. 22.Daniel 1. 2.
& 3.

Isa. 61.

Matth. 4.
& 5.

1. Tim. 1. & 4.

Act. 4. & 5.

Matth. 20.

Apoc. 3.

Apoc. 2.

1. Ioan. 3.

Ioan. 3.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 1.

Matth. 11.

subit exiliū, & in summis ærumnis diuinas maximè consolationes experitur. Romæ in vas feruentis olei plenum conijcitur, poculum veneno plenum sumit illæsus, & calicem ipsi à Christo prædictum sapè & fortiter bibit. Dulce demùm illi videbatur, quidquid ipse diligens pro Christo dilecto apud ethnicos & hæreticos ferret, quòd sciret Fideles capiti Christo in cruce vel maximè conformari. Rursus si aures habeant Orthodoxi, ex hoc Ioanne facilè percipient, quomodo Catholicam confirment fidem aduersus errores passim hodie grassantes, ac plurimos miserè illaqueantes. Alijs non placet liberum arbitriū hominis, quia nesciunt hoc dogma Simonianum & Manichæum à Ioāne prorsus euerti, qui & Deum ipsum ita loquentē inducit: *Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuā, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecū. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Ac iterum: *Memor esto, inquit, unde exieris, & age pœnitentiam. Qui vicerit, non ledetur à morte secunda.* Alijs placet suaue dogma de fide iustificante, eaq; sola se iustos & saluos fore glorientur. Sed longè aliam Ioannis esse sententiam hæc dicta probant: *Filioli nemo vos seducat: Qui facit iustitiam, iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est. Qui benè facit, ex Deo est: qui malè facit, non vidit Deum. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. In hoc scimus, quoniam cognouimus Deum, si mandata eius obseruamus. Si cor nostrum nõ reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniã mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus.* Complures peccatorum remissionē sibi pollicentur, etiam si illa nullo vnquam tēpore confiteantur. Sed non temerè scripto Ioānes: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Alij è præceptis Dei iugū non suaue, sed intolerabile cõficiūt, quod Christiani etiã duce Christo ferre nõ possint, diuina q̄ppe mādata nobis æquè ac Iudæis impossibilia esse cõtendūt. Reclamat autem Ioannes, & constanter asserit, *Hæc est chari-*

tas Dei, ut mandata eius custodiamus, & mandata eius graua nō sunt. & rursus: In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei: cum Deum diligamus. & mandata eius faciamus: sicut & Christus ipse apud Ioannē asserit: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Alij nihil ferē nisi quod scriptū est arridet, & quæ sunt religioni cōsentanea, è solo Dei verbo scripto peti volunt omnia. Ioānes verò doctrinā viuā voce traditā non minū quam scriptā cōmendans, & ex illa iudicari volens orthodoxū, hanc tradit regulā: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam (etiā sine scripto traditā & acceptā) non affert: nolite recipere eum in domū, nec aue ei dixeritis. Ac iterū: Qui habet aurē, audiat quid spiritus dicat Ecclesis. Tū alibi: Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sic vnctio eius docet vos de omnib. Alij ad mentionē bonorū operū tantū non nauseāt, velut ad salutem necessaria nō sint, & æterno præmio careāt. Sed in contrariū docet Ioannes inquis: Age penitentiā, & prima opera fac. Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenā accipiat. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, red dere vniciq. secundum opera sua. Procedent qui bona fecerunt in resurrectionē vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionē iudicij. Tantoperè fidē istī vrgent, ut charitatis propemodū obliuiscantur, quā Ioannes constanter inculcat, nihil vt æquē spiret ac exigat. De hac ipsa prædicat, quod nulli virtuti alij potest attribui: Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Nos ergo diligamus Deū, quoniā Deus prior dilexit nos. Qui nō diligit, manet in morte. Diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Hæc est charitas Dei, ut mandata eius custodiamus. Alij in dubiū vertunt, an Sancti sic dormiāt, ut eorū animæ in cælo requiescant, & visione diuina fruantur. Cōtrā Ioannes euidenter asserit, Sanctos post mortē stare ante thronum, & in cōspectu Agni amictos esse stolis albis, quæ singule singulis attribuantur: horū esse munus, vt requiescant donec fratrum illorū numerus impleat, qui præterea sui sanguinis vindictā à Deo expetāt. Alij demū cōiugiū vel exequāt, vel præponūt sacro cœlibatui. Ioānes autē, vt omnes fatētur, ppetuò cœ

1. Ioan. 5.
 Ibid.
 Ioan. 14.

2. Ioan. 1.

Apoc. 3.

1. Ioan. 2.

Apocal. 2.
 2. Ioan. 1.
 Apoc. 22.
 Ioan. 5.

1. Ioan. 4.

Ibidem.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 4. & 5.

Apoc. 7. & 6.

Matth. 19.

Apoc. 14.

1. Ioan. 2.

1. Cor. 3.

Apoc. 14.

Vide Euseb.
hist. eccl. lib.
7. c. 20.

lebs, ob singularē corporis castimoniā Christū habuit familiariorē, verus eunuchus qui seipsū castrauit ppter regnū cœlorū, & idcirco abundantiore sapiētiæ gratiāq; luce perfusus, q̄ excellēs virginū & meritū & præmiū fatis illa voce cōprobat: *Hi sunt qui cū mulierib. nō sunt coinquinati. virgines enim sunt: hi sequuntur Agnū quocunq; ierit.* Quæ omnia nō obscure demonstrāt, permultū à nobis deberi huic Euāgelistæ, fidē Catholicā tot modis astruēti, ac nouos hui⁹ sæculi errores haud sine diuino spiritu refutati, vt Catholicū pectus aduersus nouos Ecclesiæ hostes, siue, vt ipse Ioānes appellat, antichristos & seductores, corūq; fermētū sit solidē præmunitū. Etenim tā nobilis Apostolus & Euangelista Ioānes existit, qui nō solū viuēs ad Traiani vsq; tēpora, sed mortuus etiā in hūc vsq; diē incōparabile Christo & Christianæ veritati testimoniū perhibet, & velint nolint Sectarij, verū & efficax est eius testimoniū, omni exceptione maius, omniq; acceptione dignū, quo ætates Ecclesiæ omnes non solū in fide, sed etiam in omni pietate contra portas inferorum validissimē confirmantur.

Ego quidē in hoc totus elaborabo, vt vna cū Ioāne iacto se mel in Christo salutaris fidei fundamēto, gnauiter superstruā lapides, vt Paulus vocat, pretiosos, partēq; aliquā habeā in dilectione Dei & proximi, in pace & mansuetudine spiritus, in corporis animiq; integritate, in mūdi demū huius ac mei ipsius vero cōtēptu plenaq; victoria. Sic enim fiet, vt post multos grauesq; labores piē exātlatos, quos Ioānes alacriter deuorauit, ad illā felicē requiē transeā, de qua idē ille scriptū reliquit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. amodō iam dicit Spirit⁹, vt requiescāt à laborib. suis. opera. n. illorū sequuntur illos.* Quod verò cōplurib. Ioānis huius nomen de more videmus imponi, & ita nominari pleriq; gaudēt, eius rei causas aliquot reddit Dionysius Alexādrinus, nēpē ppter singularē amorē, quo erga illū Apostolū boni affecti sunt, tū ppter admirationē, quā de eo cōceptā habēt, sed & propter æmulationē, qua ad illū virtute præstātē imitādū flagrāt, ac demū quod cū ille Christo carissim⁹ fuerit, pari ratione à Dño diligi cupiāt.




DE PRECATIONIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt multos habeamus Ioannes in Ecclesia, qui oppugnatæ Catholica religioni verbo & opere testimoniū ferant, quale hæc quidem requirunt tempora, tam densis errorum tenebris ac vitiorum passim deprauata.

AD HÆC diuinam implorabo clementiam, vt Ecclesiasticis hominibus & alijs qui sancta continentia legem amplexi sunt, potenter assistat, efficiatque, vt illi à precioso castitatis dono non excidant, sed illud potius cum Ioanne purè conseruent, vereque sint vti esse debent, eunuchi Euangelici, simulq; Ioannis & Pauli in edomanda carne amulatores.

Matth. 19.
1. Cor. 9.

ORABO etiam pro Theologis & Prepositis Ecclesiarum, qui Ioannis instar ministerium suum probè impleant, illudque Apostolica sapientia, doctrina, charitate, & zelo commendent atque cohonestent. Sed & illos commendabo Deo, qui ad vitam contemplatiuam vocati prouidere debent, vt in illa sine periculo & securè cum Ioanne & Magdalena ritè versentur, cum & illorum opera non parum egeat Ecclesia Dei.



IN DIE FESTO SANCTORVM INNO- CENTVM.

Sequentis Euangelij Argumentum.

DVO quædam in hoc Euangelio tractantur, & considerationem feriam exigunt: alterum de fuga pueri in Aegyptum, quemadmodum Angelus admonet, & Do-

mini parentes sedulo exequuntur, qui vna cum puero patriam deserunt, & ex Iudæa in Aegyptum statim secedunt. Alterum est de Berthelemiticis infantibus, quorum matres, Rachelis nomine, quæ iuxta Bethlehem sepulta est, significantur. Hi ab Herode tyranno ad necem extremam questiti, & ad bimulos vsque Christi vice immaniter trucidati sunt. Cætorum numerus adeò ingens fuit, vt ad quatuordecim millia peruenerit, sicut ex Aethiopum liturgia & Græcorum calendario intelligimus. Prudenter notantur veteres, non vnum, sed multos infamis & infauti nominis Herodes extitisse, eosq; cognomine distinguendos esse. Primus Afcalonita, idemq; filius Antipatri Idu-mei, & nefarius infanticida fuit, cui postea successit in regno filius Archelaus. Alter Herodes Antipas dictus, Galilææ tetrarcha, adulter & vulpes, qui Ioannem baptistam in carcere inclusum propter suâ Herodiadem iugulauit, & in Christi quoque mortem consensit, eumq; irrisit cum suo exercitu. Alius fuit Herodes Agrippa, Archelai, vt putant, filius, qui ad emerendam Iudæorum gratiâ Iacobum Apostolum gladio interfecit, & Petrum in carcere vincum ad tempus tenuit. Verum prior ille cum esset alienigena, Iudææ regnum vi occupans, non solum in Dauidicam stirpem, quam funditus delere nitebatur, sed in suos etiam consanguineos tantoperè desæuijt, vt vxorem nobilissimam, socrum, amicos, filiosq; duos extinguere non vereretur. Cumq; rumore de Christo nato, ob Magos præfertim aduentantes, increbrescere, & Iudæos parum sibi fauere cerneret, odio & inuidia pessimis consultoribus inflammatus, ad Christum ipsum perdendum se furiosè conuertit, quòd mallet tot infantium millia ferro trucidare, quàm ex illis vnum regni sui heredem in regione illa superesse. De hoc Herode extat dictum Augusti Cæsaris apud Macrobiû: Melius est Herodis esse porcum quàm filium; quia scilicet Iudæi porcos non mactent. Nec est ignotû vetus Sedulij, immò & torius Ecclesiæ canticum, Hostis Herodes impie Christum venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Ac impunè quidè ille Tyrannus tantum scelus nõ patrauit, quandoquidem

Matth. 14.
Luc. 13.

Marc. 6.
Luc. 23.
Actor. 12.

Saturnal.
lib. 2. c. 4.

varijs excruciatu morbis, febri, dysenteria, scabie, podagra, verendorum putredine, vermiũ generatione, spirandi difficultate, ac tremore membrorum animam tandem infelicem efflauit. De huius Herodis exitu narrant ^a Iosephus, & ^b Eusebius, idemq; Herodis Agrippę funestum finem exponit. De fuga porrò Domini in Aegyptum locus extat apud ^c Isaiam non obscurus: Ecce, inquit, Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius. Vbi per nubem leuem, super quam ascendit Dominus, corpus sanctæ Mariæ virginis, quod nullo humani seminis pondere prægrauatum est, Hieronymo teste designatur. Quod autem adiungitur de idolis in Aegypto commouendis atq; conterendis, verè tunc accidit, cum Christus Aegyptum intrare, sicut Cyrillus Alexandrinus, & Nicephorus Callistus alijq; complures affirmant. Nequè tacet Ieremias propheta de cæde nefanda Bethlehemiticorum infantium, sicut & Matthæus indicat, ostendens lucum Rachelis siue matrum Bethlehemiticarum fuisse inconsolabilem, ob tristissimam liberorum suorum interneconem. Ita demùm Christus quantumuis tener ac innocens, diros ac infensos habuit persecutores, qui vt Angelus dixit, animam quærebant puèri, atque vt Ecclesiam Christianam cruci subiectam doceret, suos etiam dilectos parentes, & æquales tot infantes non vulgari afflictione probauit & exercuit, ac nos etiam multis magnisque de rebus commonefecit.

a Lib. 17. Iudaic. antiq. & lib. 1. de captiuit. c. 21.
b Lib. 1. hist. eccl. c. 8. & l. 2. c. 9.
c Isai. 19.

In Isai. 19. c. Nic. l. 1. eccl. histor. c. 18.

Matth. 2.



EVANGELIUM MAT- thæi 11.



*I*n illo tempore, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuga in Aegyptum: & esto ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim,

vt He-

vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt impleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem, Ex Aegypto vocaui filium meum. Tum Herodes videns quòd illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per prophetam dicentem, Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus. Rachel plorās filios suos, & noluit consolari, quia nō sunt.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM ET
FESTVM.

*Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge,
in Aegyptum, & esto ibi vsq; dum dicā tibi.*

A G A M imprimis gratias Christo innocētissimo puero, qui non contentus in summa paupertate nasci, suumque pro me sanguinem in ipsa circumcissione profundere, ac se Messiam Gentibus manifestare, in hac ipsa imbecilli etate immanes habere voluit persecutores, qui vite ipsius sanctissimæ hostiliter insidiarentur, & propter eū inno-
cuo tot mille puerorū sanguini nō parcerent. Tāta vis erat nequissimi & inuidissimi Satanæ, qui ad noui Messia regnū (hunc enim à Magis adoratum esse ferebat molestissimè) vel oppugnandum vel impediendum totus anhelabat. *Non est enim super terram potestas, si sancto Iob credimus, quæ compa-*

Iob 41.

retur

retur huic hosti, qui factus est ut nullum timeret, idemq; nō modo rex est super vniuersos filios superbix, sed etiam à Ioanne dicitur draco magnus & serpens antiquus, diabolus & fatanas, qui seducit orbem vniuersum. Satanicum erat planè consilium, quod sibi Herodes proposuerat, vt orientē mundi lucem Christum, si posset, extingueret, aut certè inaudita crudelitate pro vno in tot infantium millia defæuaret, eosq; omnes ferro aboleret. Quàm rectè autem dixit Salomon: *Non est sapientia, nō est prudentia, non est consilium contra Dominum?* Hac enim arte fauitiaq; sua Herodes Christi gloriam nō obscurat, sed magis illustrat, natiq; Messix memoriā passim celebriorem reddit, ac magnam præbet occasionem, vt flores martyrum consecrentur, & Christiani sanguinis primordia Deo viuo grata & odorifera fiant holocausta. Deinde huic puero vt nobilissimo, ita & tenerrimo est mihi compatendum, qui ne infantiles quidem annos in otio, quiete, & delicijs vllis duxit, qui sine amicis & cognatis, sine pecunia & suppellectile iter tam longum & asperum ingreditur, qui famē, sitim, lassitadinem, & alia peregrinationis incōmoda nocte & interdium in corpore sanctissimo perpetitur, qui demū tot annos, (quidam septem supputant) in tantis vixit ærumnis, & exilium tristissimum habuit. Vbi autem? Apud alienigenas, barbaros, & idololatrias, nimirū Aegyptios, Israëlitis quidem, id est, veri Dei cultoribus vehemēter infensos, & Hebræa gentis ad internecionem hostes aliquando cōiuratos. Agam'ne Christo gratias, qui hoc præclaro exemplo suo parentes plerofq; prudenter castigat, quoniam vt liberos suos amāt perditē, ita in educandis illis luxum omnem adhibent, suaq; indulgentia illorum animos & corpora eneruant atq; deprauant, vt illi à vitijs ad virtutes, ab otio ad negotium, à vanitate ad pietatem tardè vel nunquā consurgant perueniantq;? Sed & æquales pueros Christus hīc instruit, vt sciant, iuuenturem Christianam non molliter & delicatè nutrirī, sed duritie ac laboribus maturè assuescieri oportere. Etenim cūm diues erat, ac nullius egebat, propter nos pauper, despectus &

Apocal. 12.

Prouer. 21.

Exod. 1.

2. Cor. 7.

Pfalm. 87. abiectus esse voluit, vt merito ipse sibi sumat illud: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea*, vtq; nos vicissim illū verbis illis propheticis rectè compellemus, *Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non potest saluare?* Postremò agam ex animo gratias de mysterio pulchrè hic præfigurato, Gentes nimirum Christianæ gratiæ participes fore, quoniã Christus à Iudæis ad Aegyptios migrat, & nouissimos quasi primos collocat. Confirmat præterea Dominus illud quod in Euangelio disertè postea docuit, Fideles aliquando fugere, & de loco in locum furorem persequentium effugere posse.

Matth. 20. & 21. Verba illius, quæ ab Athanasio declarantur, habent in hunc modum: *Cum persequentur vos in ciuitate ista: fugite in aliam. Amen dico vobis, nō consummabitis ciuitates Israël donec veniat Filius hominis.* Vnde Paulus de seipso refert, quod è manib. aduersariorū nōnunquā elapsus, & per fenestrā in sporta demissus fuerit per murū, atq; sic effugerit manus persequentium.

Matth. 10. Ego verò inter alia discam Christi exemplum istud imitari, vt salutari fuga mihi meaq; saluti perpè consulam. Siquidem nisi mundum blandientem, & fucaram meretricem, ple namq; illecebris, & decepticē paruulorum, sicut Salomon astruit, omninò fugiam, in diuina illa præcepta peccabo: *Ne deleteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: fuge ab ea, nec transeas per illā, declina, & desere eam. Recedite, recedite*, inquit Isaias, *exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius.* Quod quidem Paulus ita breuiter dixit: *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus.* Nihil igitur mihi cum hoc mundo immundo commune sit, qui carcer electorum & habitatio dæmoniorum est, quando quidem *totus mundus in maligno positus est, &: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, sicut Ioannes apertè tradidit. Nec minore cura mihi prouidendū est, vt sicut ouis apprimè lupum timet, ita & ego mihi valde caueā à mundi principe Satana, eiusq; suggestionibus prauis. Est enim hic hostis tam uaser, versipellis, fallax & dolosus, vt etiam sese in lucis angelum transfiguret, serpēs nimirum ant-

tiquus,

tiquus, qui orbem fallit vniuersum, vti apud Ioannē legitur. Pulchrè autem idem nobis per Herodem exprimitur, quoniam is fuit insignis hypocrita, fastu, & inuidia & odio plenus, ex fraudibus, dolis mendacijsq; conflatus, humani & innocui sanguinis appetēs, bonis & selectis viris insidians, quietis & pacis publicæ perturbator, Deo demum ac Sanctis inuisus omnibus. De hoc verò dixeris cum Sapiente: *Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominū. Timeo*, inquit Paulus, *ne sicut serpens Euā seduxit astutia sua: ita corrūpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate qua est in Christo. Qui enim amat periculum, vt Sapiens dixit, in illo peribit.* Improvida fuit utique mater Eua, quoniā Satanæ familiaris nimium, & à versipelli statim seducta, se & virum, posterosq; omnes vnà perdidit. Deus bone, quàm hodie multi in omni ordinū genere sibi & alijs pessimè consulunt? quoniam consilia & tentationes Satanæ non intelligunt, neque cauent, & specie quadam virtutis sibi ab illo sinūt illudi. Non expendūt, quod *inuitia & tentatio est vita hominis super terram*, vti à Iob sancto scriptum accepimus, quòdque *nobis omnibus colluctatio sit aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in cælestibus*, sicut disertè Paulus expressit. An non idem Paulus affirmat: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet? Accipite armaturam Dei: vt possitis resistere in die malo?* Id verò sola fiducia nō conficitur, sed etiam prouida fuga: quoniam aliquando præstat tempestiuè fugere, quàm in acri pugna periclitari. Scriptum est enim: *Qui confidit in cogitationibus suis, impiè agit. qui confidit in corde suo, stultus est. Sapiens timet & declinat à malo: stultus transiit & confidit. Non tentabis Dominū Deum tuum.* Petrus quia gloriosè de se locutus est, & fugere noluit, sed sese in Caiaphæ domo prauis adiunxit, quàm turpiter Christū abnegauit? vt hinc etiā Chrysologus de illo dixerit. Petrus quia fugere noluit, abnegauit: Ioānes ne abnegaret aufugit. Nisi fugisset Ioseph, & oblatum à domina sua stuprum fortissimè recusasset, in quātum sese periculum coniecisset? *Quomodo,*

Ecclesi. 24.

2. Cor. 11.

Ecclesi. 3.

Genes. 3.

Iob 7.

Ephes. 6.

1. Cor. 9.

Ephes. 6.

Prou 12. 28.

& 14.

Deuter. 6.

Matth. 4.

Matth. 26.

Chrysol. de

hoc festo.

Genes. 39.

aiebat,

Tob. 1.

Exod. 12. 13.
& 19.

Genes. 19.

Lib. 7. in Lu
ca c. 1.

aiebat, *peccatum hoc malum facere, & peccare in dominum meum.* Magna & prudentiæ laus fuit in Tobia puero, qui contemptis alijs aureos vitulos impiè adorantibus, ad templum confugit Hierosolymitanum, & ibi adorauit Dominum Deum Israël, suaque dona obtulit reuerenter. Fugerunt ex Aegypto Israëlita, sicut iniunxerat Deus, vt nihil cum idololatriis haberent commune; sed suum sacrificium in deserto ab impijs separati offerret atq; sanctificari. Meminero semper Angeli sancti, quem in hoc misit Deus ad Loth eiusque domesticos, vt si salui esse cuperent, è peccatrice Sodoma profugerent, multisque modis illos ad fugam impulit. Vnde dictum est: *Salua animam tuam: noli respicere post tergum: nec stes in omni circa regione: sed in morte saluum te fac, ne & tu simul percas.* Huc demum referam quod apud Ambrosium legitur: Arbitr omnium dedit & virtuti præmium, & infirmitati remedium, vt præsentibus sustineatur infirmitas, virtus futuris. Si fortis es, contemne mortem: si imbecillis es, fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi vitam sequatur. Virtus tua Christus est, ipse est vita quæ mori nescit.]



DE BEATIS INNOCENTIBVS EORVMQVE FESTO.



ESTVM hoc tantò mihi bonisque omnibus charius ac religiosius reputabitur, quantò magis illud à veteris Ecclesiæ scriptoribus, nostrisque pijs maioribus commendatur, sed & longo piorum in Latina & Græca Ecclesia consensu publicè comprobatur. Ante mille annos agnouit & celebrauit hoc festum Augustinus, illud sacratissimum vocàs in illis homelijs, quas tunc apud populum habuit. Sic autem luculèter disserit: Inter cæteros Martyres, quos sub ara Dei consistere prædicamus (allusit enim ad verba Ioannis in Apocalypsi) etiam beatos illos infantum lactantium pro Christo primitias Martyrum laudemus, qui

Homel. 4. in
fest. Innoc.

Apoc. 6.

non

non loquendo, sed moriendo confessi coronas meruerunt. Neque enim dubitandum est, eos in martyrio plura præ cæteris exorare, qui in martyrio præ cæteris præcesserunt.] Et rursus, Dignè, inquit, natalèm illorū colimus, quos beatiùs beatæ vitæ mundus edidit, quàm quos maternorū viscerum paritatus effudit. Siquidem antè vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quàm vsuram præsentis acceperint.] Et Augustino quidem vetustior est Origenes, qui orthodoxorum fidem de hoc ipso festo explicat luculenter.] Non ergo falluntur, qui hoc festum vt antiquissimùm & receptissimùm, ad Ecclesiam referunt primitiuā, hosquè infantes verè beatos & sanctos cam Irenæo & Origene prædicant. Augustinus illos Martyrum flores pulchrè vocat, quos in medio frigore infidelitatis exortas, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis prima decoxit.] Et ideo dignū est, inquit, interfectis pro Christo infantibus honores impendere.] Postea verò, Oportet, inquit, quia primitias Martyrum hodierna festiuitate veneramur, vt de æterna quæ in cœlis est, festiuitate Martyrū sedulò cogitemus, eorumquè vestigia, in quantum possumus, sequendo, & ipsi eiusdem festiuitatis supernæ participes existere curemus.] De iisdem Innocentibus loquitur Cyprianus, aut certè author peruetustus, in hūc modum scribens: Ecce paruuli isti, quos hostis naturæ, pietatis inimicus, bestialis sæuitiæ, inauditæ crudelitatis monstrum Herodes occidit, subitò fiunt martyres: & dum vice Christi, & pro Christo auulsi à matrū vberibus detruncantur, testimonium quod nondum poterant sermone, perhibent passione, & suscipit causā testimonio, licet nondum eloquio distinguatur.] Vbi eos vocat secretorum diuinorum conscios, & in ordine sanctorum Protomartyres, qui primū habeant locum, Deiquè clementiam pro nostris exorent laboribus. Sed & Bernardi ea vox est: Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari.] Quid quòd sancti Patres nō solū infantes istos vt veros Christi martyres, nostrosquè apud

Homel. 3. de fest.

In 2. cap. Matth.

Homel. 3.

Serm. de festo la & Mag. & Innoc. nece.

Serm. in natali S.S. Innocen.

Serm. 3. de
hoc fest.

Serm. 10. de
sanctis.

Prou. 22.
Pfal. 150.

Pfal. 8.

Deum intercessores agnoscunt, sed & matres illorum sic extollunt, vt beatas reputari & celebrari posse sentiant? Vnde non satis est Chrysologo dicere de Innocentibus; Viuunt, viuunt, quia verè viuunt qui pro Christo merentur occidi.] Sed hoc præterea de matribus illorum adiungit, Beati ventres qui portauerunt tales: Beata vbera quæ se talibus infuderunt: beatæ lacrymæ, quæ pro talibus fusæ fluentibus gratiam baptismatis contulerunt.] Ex Augustino autem repetere supersedeo, quibus quantisque lamentis hæ matres & se & suos liberos in medijs gladijs atq; furoribus Herodianorum carnificum miserè deplorârint.

Quapropter nulla mihi pars erit cum profanis ac impijs nouatoribus adeò delirantibus, vt superbo Satana spiritum impellente Sanctorum ferijs libenter derogent, & ab illorum cultu populum licenter auocent. Hi præsens quidem festum, quantumuis solenne, receptum ac probatum fuerit maioribus, impudenter è medio tollunt, sicut & alia non exigui nominis suo arbitratu. Etenim quæ Sanctorum memoria in conspectu Dei pretiosa, & orthodoxis fructuosa est, istis Ecclesiæ aduersarijs non nisi bilem & nauseam concitat, ac prorsus scè de ab eis obscuratur & aboletur. Ego verò talem Ecclesiæ filium me præstare conabor, vt terminos à patribus præstitutos non transiliam, sicut & Salomon monuit, vtq; iussu Prophetæ Deum in Sanctis suis prædicem, ac peculiariter diuinam electionem ac prædestinationem lætus agnoscam, qua factum est, vt tot innocentium millia tanto mysterio destinarentur, qui recens nato Messia, eiusque aduentui & ortui præclarum ederent testimonium, & singuli quidem, vice Christi immaniter paterentur, suumque sanguinem profunderent. Ita demùm vnà cum Propheta Deo verè dixerimus: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.* Huiusmodi capitalis inimicus erat cumprimis Herodes, qui omnes iussit occidi paruulos propter suspectam vnus personam, vt dum omnes pereunt, ille saltem non effugeret, sed cõmuni internecone quo-

que

que deleteretur. Tanta verò crudelitas non obfuit, sed profuit maſtatis Innocentibus, eamquẽ illis prærogatiuam attulit, vt Eccleſiæ omniumquẽ Martyrũ noui Teſtamenti tanquam primitiæ, pergratũ Deo ſuauitatis odorem redderent. Ita videmus, quàm verè Paulus affirmãrit, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Et ſicut de Henoch ſcribitur, quod tranſtulit illum Deus, cui inprimis erat acceptus: ita de his etiam teſtari poſſumus, quod rapuerit eos Dominus, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio illorum animam deciperet aut deprauaret. Deinde agnoſcam hĩc typum & præludium futuræ perſecutionis, quam inde ab initio præſiniuit ac diſpoſuit Altiffimus, vt noui Teſtamenti Fideles præcipui per ſanguinem Chriſto capiti conformarentur, & ad ſingularem coronam præpararẽtur. Vnde Chriſtus, qui propter paſſionem mortis gloria & honore coronatus fuit, aperte prædixit, *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Ac iterum: *Calicem quidem meum bibetis.* Nec ſolùm adulti, ſed infantes etiam Chriſto in cruce, ſicut & in gloria conformes eſſe debuerũt, vt lauarent ſtolas ſuas, & dealbarent eas in ſanguine Agni: ideò ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, ſicut in Apocalypſi legimus. Cur igitur mihi ſit graue vnquam ac arduum, ſi Chriſtum amem, pro Chriſto quoquẽ in vita & morte decertare? vt ſemper illud memoria præſenti complectar: *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiftis, aduerſus peccatum repugnantes.* Non enim ſalutari aqua contentus, in ſolo Baptiſmatis ſacramento conquieſcam, ſed me quoque ad perfectiorem illum ſanguinis baptiſmum præparabo, qui maiorem gratiam & gloriam procreat. Hoc enim baptiſma, vt Cypriani verbis vtar, gratia eſt maius, in poteſtate ſublimum, in honore pretioſius, baptiſma in quo Angeli baptizant, in quo Deus & Chriſtus eius exultant, baptiſma poſt quod nemo iam peccat, baptiſma quod fidei noſtræ incrementa conſumat, baptiſma quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo percipitur peccatorum re-

Rom. 8.

Genef. 5.
Hebr. 11.
Sap. 4.Hebr. 2.
Ioan. 15.
Matth. 20.

Apoc. 7.

Heb. 12.

In libello de
exhortat.
martyrij.

Actor. 7.

Matth. 20.

Serm. in octava Pasch.

1. Pet. 2.

missa, in sanguinis corona virtutum.] Hinc insuper decor de vario genere Martyrum distinguendo, cum quidam sint voluntate pariter & actu martyres, sicut Stephanus à Iudæis publicè: lapidatus: alij voluntate tantum, non actu, quemadmodum Ioannes Apostolus, qui prædictum sibi à Domino calicem absq; læsione vlla bibere potuit: nonnulli verò actu duntaxat, & non voluntate, sicut Innocentibus accidit, quibus ad coronam obtinendam sat fuit, quòd voluntate Herodi non contradixerunt, licet hoc martyrium nõ elegissent aut approbassent. Etenim gloriam martyrij, quam in adultis voluntas sancta meretur, hi paruuli propter Christum occisi, per Dei gratiã obtinuerunt. Optabo igitur verum sacri martyrij spiritum in me quoque nutriri & maturescere, vt si non actu & opere, voluntate saltem & affectu Christo Domino me gratum ostendam, & qualecunque testimonium feram si non acerba morte, saltem quotidiana veteris hominis mortificatione. Est enim, sicut præclare docet Bernardus, martyrij genus, & effusio quædam sanguinis in quotidiana corporis sui afflictione, diurnitate quidem molestius, sed horrore mitius quàm in illis martyribus, quorũ membra ferro secantur, & sanguis aperte profunditur. Demum Innocentes nostri mihi sunt documento, qua ratione Christi ortum & aduentum mihi reddam maximè salutarem, si nempe prima illa ætas seu pueritia in me quodammodò reuireseat, & ego in innocentia Christo principi seruire & placere cõtendam. Bonorum autem puerorum est, non solum fœda vitia, quæ filijs Belial congruunt, ignorare, quoniam ethnici quoque illa in suis filijs detestantur: verum etiam innocuam ætatem illam pulchris & selectis exornare virtutibus, quæ & pueros Angelis sanctis commendant, & apud mortales omnes gratiam illis concilient singularem. In his virtutibus elucet puritas, virginitas, verecundia, simplicitas, candor, sinceritas, modestia, facilitas, amabiliras obedientiaq;. Nam & princeps Apostolorum ita Credentes omnes instituit, vt eos esse velit matritæ omnis expertes, & sicut modò genitos infantes, ratio-

nabiles,

nabiles, qui lac concupiscant. Nec dubium vllum est, quin Christus se puerorum speculum, & exemplar absolutū præbuerit, ac pueros sibi charos & commendatos esse re ipsa declararit. *Talium, inquit, est regnum cælorum. Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* Quare dolebo tam multa mihi deesse, quæ ad benè natos, & Euan gelicè institutos pueros pertinent, & posthac ad præclaram infantium & puerorum innocentiam me diligentius reuocabo, vt & istorum innocentium indolem rectius exprimam, & diuinæ gratiæ in baptismo perceptæ magis particeps fiam. Meritò interim displicebit, quòd baptismalis innocentia vestem tam pretiosam mihi traditam, tot sordibus conspurcârim, illamquæ expurgare non studeam accuratè. Scio enim quis dixerit: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cælorum.* Tum Apostolus grauitè monet: *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonū paratum.* Quoniam verò sanctorū Innocentum virtutes longè lateq; patent, nec satis laudari possunt, compendio quodam illas omnes complectar, & cum Ioannè de illis clarè pronuntiabo: *Hi sunt qui cum mulierib. non sunt coinquinati. virgines enim sunt. hi sequuntur Agnum quòcumq; ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitia Deo & Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium. sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Quam perfectæ innocentia laudem Martyribus istis iure largimur, qui circumcissionis sacramèto mundati, & in semine Abrahæ benedicti, mortalis culpæ labe prorsus caruerunt, & scienter quidem legem Dei nunquam violarunt, & quod longè est amplius, fuso pro Christo sanguine, vitæ suæ puritatem pulcherrimè cohonestarunt, multis sanè nominibus à Domino sanctificati. Optabo & mihi innocentia vestem nunquam satis laudatam obtingere, quandoquidem scriptum est, *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* siquidem & de sua innocentia ille gloriabatur, qui sine arrogantia nota dicebat: *Ego*

Matth. 19.
Marc. 10.

Matth. 18.

2. Timoth. 2.

Apocal. 14.

Psal. 17.

Pfal. 35.
Pfal. 7.
Pfal. 72.

2. Cor. 7.

Pfal. 50.

Pfal. 23.

Apoc. 21.

in innocentia mea ingressus sum. Ac iterum: Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Tum alibi: Laui inter innocentes manus meas. Vnde præceptum Apostolicum sæpè mihi proponam, quò dicitur: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus. & cum Propheta sancto precabor, Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quis enim ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mudo corde. Alioqui si Ioanni credimus, in cœlestem Ierusalem inquinatum nihil intrabit.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

Exod. 1.
1. Macch. 1.
2. Macch. 5.

1. Cor. 6.
Sapient. 5.

PRECANDVS est mihi Deus pro tyrannis & oppressoribus pauperum, qui subditos, domesticos vel proximos per vim & iniuriam spoliant, & similes Pharaoni ac Antiocho inferiores quosuis crudeliter ac indignè tractant discruciantq;. Vt enim Apostolica docet regula, iniqui regnum Dei non possidebunt: & stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

ORABO etiam Dominum pro pueritie Christiane fida institutione, quæ si unquã antea, nunc maximè optanda & procuranda videtur, vt ex hoc quasi seminario cunctis Ecclesia ordinibus probè consulatur.

Matth. 18.

DEVM insuper innocabo peculiariter, vt puerorum deprauatores & pestes, ipso etiam Herode nocentiores passim amoueat, ne simplex & innocua etas illa tot corruptorũ factis, dictis & exemplis grauiter offendatur, atq; vt frequenter accidit, omninò perdat. Non enim expendunt homines diuinam illam interminationem, Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in colle eius, & demergatur in profundum maris.



IN DIE FESTO CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI.

Sequentis Euangelij Argumentum.

SEDVLVM & attentum Euangelij auditorem exhibet Petrus, multum dissimilis diuiti adolescenti, qui ex percepto Euangelio paulo antè nullum cœperat fructum, cum mallet Christum deserere, & ab eo tristis abire, quàm iuxta eius consilium amplis renuntiare facultatibus, seque pauperem Christi discipulum profiteri. Vbi Dominus grauem & communem diuitum conditionem perstrinxerat, quòd illi de more pecunias immodicè ament, & idcirco ægrè salui esse possint. Petrus autem his auditis, in suo proposito factus est constantior, & suo simul & collegarum nomine de suscepta paupertate piè gloriatur, atq; fidenter inquit, quam sint remunerationem accepturi, qui contemptis & relictis omnibus, Christum ipsum sincerè sectantur. Respondet ergo ille, & iureiurando confirmat, hoc ipsorum institutum & sibi gratum, & ipsis voluntariæ paupertatis professoribus aded profutura esse, vt certa æternaq; præmia consequantur. Et Apostolis quidem promittitur ingens gloria, ad quam illi ob rerum humanarum despicientiam, Christiq; amorem sint prouehendi, ita vt cum summo mundi iudice Christo tandem velut assessores, mundiq; iudices publicè prodeant. Cæterum ne circa hoc Euangelium fallaris, triplex error in primis cauendus est. Prior, ne ob præsentem paupertatis commendationem damnari credas diuitias, quæ non obsunt, si diues eis, vt Abraham, Iob & Dauid, opulen-


Ad Sabin. de
seru. viduit.

Matth. 19.
Lib. de bo-
no. coniug.
c. 8.
Luc. 8.

Epist. 89.
ad Hilar.

Matth. 19.

tissimi simul & iustissimi homines, benè & conuenienter
vtaris. Sed nec egestas pauperem facit commendabilio-
rem, si inter sordes & inopiam peccata non caueat, Hiero-
nymo teste. Alter est error Vigilantium, qui putant
eos meliùs facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fru-
ctus possessionũ suarum pauperibus diuidunt, quàm il-
los, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiun-
tur. Et hanc falsam opinionẽ Christum ipse coarguit, cum
disertè testatur: Si vis esse perfectus, vade & vende om-
nia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me. Vn-
de scripsit etiam Augustinus: Bonum erat quod faciebãt
qui de substantia sua Christo ac discipulis necessaria ad-
ministrabant: sed melius, qui omnem substantiam suam
dimiserunt, vt expeditiores Dominum sequerentur.]
Postremus error fuerit, si putes Christum de solo affectu,
& non de effectu cuncta relinquendi hoc loco differere.
Nam & totum mundum dimiserũt Apostoli, qui & illud
quod habebant, & quod optare poterant, dimiserunt, vt
notat Augustinus, & Euangelicæ paupertatis est propriũ,
voluntariam plenamq; facultatum abdicationẽ præstare,
quarum nulla proprietate retineatur, vt homo ab omni ha-
bendi cupiditate liber, Christum Dominum, qui propter
nos egenus factus est, expeditiùs imiteretur. Vnde Barna-
bas, primi Christiani, Cyprianus, Antonius, Paulinus, a-
lijq; complures post Apostolos non modò terrena bona
contempserunt, sed etiam iuxta Christi consilium paupe-
ribus erogarunt, vt illorum iacturã cœlestem sibi thesau-
rum à Christo promissum compararent.



EVANGELIUM MATTH. XIX.



*I*n illo tempore respondens Petrus dixit IESVS:
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:
quid ergo erit nobis? IESVS autem dixit illis,
Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me,

in regeneratione cū sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Isrâel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. quid ergo erit nobis?

INGENTES Christo magni consilij angelo gratias agam, qui vt legem nouam veteri anteponeret, maiorem iustitiã à Christianis, quàm quæ à Iudæis præstaretur, perquàm sapienter exegit, ac simul paupertatis amorem & cultum singularem nouo suo populo commendauit. Etenim ore suo sacrosancto hæc prodidit, *Nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Ac iterum, *Si vis, inquit, perfectus esse, uade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni, sequere me.* Et certò mihi persuasum habebò, Christum hæc palàm traditurum nobis non fuisse, nisi præuidisset, suis Fidelibus, si uelint ac petant, ad futurum Spiritum ad hæc ipsa præstanda potentẽ ac efficacem. *Quicunq; enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, & accipiunt spiritum adoptionis, in quo clamant Abba, Pater, & qui adiuuat ipsorum infirmitatem, sicut ex Paulo intelligimus.* Iudæis illa olim promissio facta est: *Si uolueritis & audieritis me, bona ter-*

Isai. 9.

Matth. 5.

Matth. 19.

Rom. 8.

Isai. 1.

re comedetis. Vnde & Isaac Patriarcha, vt electo filio Iacob benediceret, & præclara ei polliceretur, ita dixit: *Det tibi Deus de rore cæli. & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.*
 Genes. 27.
 Christus autem proprium Abrahæ semen, in quo cuncti benedicuntur, cùm in hunc mundum venit, quãuis rex regum & dominus dominantium, tamen sanctam paupertatem statim elegit, & per omnes ætatis progressus tenuit cõtinenter, de se ipso palam affirmans: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.*
 Genes. 22.
 Apocal. 19.
 Matth. 8.
 Luc. 2.
 Matth. 4.
 Luc. 12.
 Luc. 6.
 Lib. 4. ad uer. Marcio.
 Iacob 2.
 Plat dial. 9. de legib.
 Luc. 12.
 Matth. 6.
 Qui neq; contentus egenis parentibus, paupertatem suis quoq; discipulis colendam proposuit atq; cõmendauit. Sed & legem Euangelicam in monte traditurus, rem ab illis verbis voluit exordiri: *Beati pauperes,* siue vt Tertullianus è Græco legendũ putat, *Beati mendici; quoniam illorum est regnum Dei.* Tùm Iacobi Apostoli verbum est; *Nõne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* quales profectò Apostoli, vtpote humiles, plebeij, abiectiq; piscatores extiterunt. Nec sua Euangelicæ paupertati laus & gloria constitit, cùm veteres & sublimes philosophi in hoc mundo florent. Nam Posidonius Stoicus, sicut Diogenes indicat in vita Zenonis, opes bonis felicitatis assignabat; & Plato, quem diuinum vocabant, tria bona, anime, corporis & fortunæ ad felicitatẽ referebat. Tùm princeps Peripateticorum Aristoteles, diuitias non contemnendas, vel relinquendas, quas ipse amauit plurimum, sed ad felicitatem comparandam necessarias esse censebat. Tantòq; Dei sapientiæ Christo gratias agam, qui cùm sciret, mundum totum in maligno versari, & pecuniæ obedire omnia, nihilq; vulgo videri difficilius atq; odiosius, quàm hominẽ abiectis opibus, & electa paupertate inglorium viuere, & cunctis siue præsentibus siue futuris facultatibus se totum abdicare, tantoperè laborauit, vt Christianæ paupertatis viam antè incognitam, & prorsus horridam, paulatim suis credentibus planiorem redderet atq; iucundiorẽ. Asperè quidẽ voces illę videbãtur: *Vendite quę possidetis, & date eleemosynam. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. thesaurizate autem vobis the-*
sauros

sauros in cælo. Nolite solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Sed rursus quàm pulchrè summus magister horum verborum condiuit austeritatem & acorem? Quomodo non tristitia dulcibus miscuit, cum adiecit & ista: Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Hec omnia (terrena scilicet & momentanea) Gentes inquirunt. scit Pater vester, quia his omnibus indigetis. Querite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adyicientur vobis. Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Demùm apud Lucam, & præsentem quidem Euangelio cõsentaneè, sic loquitur: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes aut fratres propter regnũ Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

Luc. 21.

Luc. 22.

Luc. 18.

QUAE omnia cum rectè mecum reputo, iustã sanè admirationem simulq; cõmiserationem in me concitari sentio, hoc præsertim iniquissimo sæculo, quando tam multi plenis quasi buccis meram Dei misericordiam, Christi merita, ac fidei iustitiã prædicant: perpauca autem propositũ Christi exemplũ, verumq; Christianorũ officium vrgent sedulò, multoq; pauciores de mundo relinquendo, de contēendis opibus, dequẽ Christo in paupertate & castitate sectãdo curam vllam suscipiũt. Tantũ abest, vt ex graui periculo quod Christus prædixit diuitibus, cõcipiant metum, & bona conscientia idem quod Petrus, ingenuè dicere possint: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te (Christe,) quid ergo erit nobis?* Etenim si verum, quod omnes norunt, fateri velimus, nõ sanè relinquimus, sed ardentè appetimus, & indefessè cumulamur, ac studiosè complectimur bona isthac terrena, quæ multi etiam ethnici cum Socrate & Crate Thebano magnanimiter contēpserunt. Adeò parum apud nos valet illa sententia: *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus.* Nec sequimur, sed fugimus præcedentem cum cruce dominũ & magistrum, qui ad crucẽ ferendam nunquam non suos euocat milites; illisque deman-

Matth. 19.

dat:

- Luc. 9. dat: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Iam verò nulla vel exigua nobis cura est de assignanda nobis mercede, per quã nostra vel vota vel opera sincerè facta, siue in hoc, siue in futuro sæculo cõpensentur. Vnde cum Propheta regio testari nõ possumus: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificaciones tuas in æternum propter retributionem.* Perinde ac si sit nefas ea quæ agendo vel omittendo instituimus, futurę remunerationis intuitu ordiri atq; complere: cùm tamen Moysen Paulus extollat, quòd ille temporalis peccati noluerit habere iucunditatem, & aspexerit in remunerationẽ. Dolebo igitur & ipse, me à Petri Apostoli perfectione sanctaq; fiducia multum abesse, qui vt graue discrimen diuitibus prædictũ deuitet, deq; salute sua fiat certior, de fide sua iam antè à Christo laudata non est sollicitus amplius, sed vniuerso mundo remittit nuntium, rem domesticam & vxoriam deserit, habendi cupiditatem omnẽ exiit, in Christo amãdo & sectando accuratè versatur, & futuris cœlestis vitę præmijs consequendis inhiat, mirum vt sibi thesauros in cœlo recondat. Nec vllum est dubium, quin idem affectus in alijs etiam Apostolis reperiretur, quorum nomine isthęc Petrus disseruit, quosquẽ Christus ex hoc mundo selectos, nõ modò principes populorũ, sed etiã, vt sic dicam, patriarchas pauperum inde ab æterno constituerat. Ergone ab Euangelicæ philosophiẽ vestigijs nunc est longè discessum, postquã nos Apostolicæ vocationis & paupertatis obliti, omne ferè meritum & pretium sanctæ paupertatis & castitatis amisimus, & præsentibus opibus atq; delicijs tanto ardore incübimus, quanto Iudæi ac ethnici rebus perituris affixi facere consueuerunt? Surdas profectò habemus aures, qui Christi sententias in diuites terribiliter intonãtes non audimus. *Va, inquit, vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Va vobis qui saturati estis, quia esurietis. Facilius est camelum per foramen acus transire quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Hinc & diuitias vocat fallaces, & spinas quæ dominicum semen suffocant, planequẽ infrugiferũ reddunt.
- Pfal. 118.
- Heb. 11.
- Matth. 16.
- Matth. 6.
- Luc. 6.
- Matth. 19.
- Matth. 13.
- Luc. 3.

Pròh pudor; sic nūc à Christianis iudicatur ac viuitur, perinde ac si nullum onus paupertate grauius, nulla vita iucūdiore foret, quàm re nulla indigere, & in magnis opib. suauiter viuere. Nec obseruamus, quàm verè in nos dicta illa cōpetant:

A minore usq. ad maiorem omnes auaritia student. Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Erunt homines seipfos amantes. Quod scelus quæso minoris hodie quàm auaritiæ, à mortalibus ducitur? cū tameu scriptum esse videamus: *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim ex animã suam venalem habet. Auaro nihil est scelestius.* De hac ipsa malorū omnium radice, quæ & idololatræ facit, Doctor gentium ita pronuntiat: *Qui volunt diuites fieri, (vt nunc sanè omnes cupiunt vehementer) incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ò homo Dei hac fuge. Quis verò nisi infanus, non miretur', tam multa & magna de opibus contemnendis, deq; paupertate complectenda in sacris litteris repeti, ac nihilominus in tā exiguo haberi pretio, perinde ac si nullam illis, vti fabulis vel comœdijs, fidem habeamus.*

Postremò ex responso Christi colligam, Petrum Apostolum hīc rogantem extra omnē esse noxam, & à Sectarijs nostris falsò accusari, quod per ambitionē aut vanam gloriã pecarēt, & suam ipse iactarit iustitiam more Pharisæorū, quòd q; de futuris bonorum operum præmijs curiosius voluerit percunctari. Habuit sanè causam, cur ille Corypheus tū suo tum collegarum nomine quæreret, maximè vt certius intelligeret, satis' ne ipsis esset bona sua propter Dominum reliquissè, quando quidem Christus adolescenti diuiti cœlestem thesaurum hac lege promiserat: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Reliquerant quidem Apostoli nauim & retia, sed fieri poterat, vt illi distractis rebus cuncta in pauperes nō contulissent. Meretur & Petrus in eo laudem, quòd se reliquissè omnia profiteatur, cū tamen pauca & exigua pauper ipse

reli

Ierem. 6.
Philipp. 2.
2. Tim. 3.

Eccl. 10.

Ephes. 5.
1. Tim. 6.

Luc. 18.

Matth. 19.
Matth. 4.

Epistola 89.
ad Hilar.

Homel. 5. in
Euang.

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Hebr. 10.

reliquisset. Sciebat enim vir prudens, Deum clementem ac liberalem, non tam oblatis muneris tenuitate, quam offerentis affectum & promptitudinē ponderare atq; compensare, vt hinc etiam dixerit Augustinus: Totum mundum dimittit, qui & illud quod nō habet, & quod optat habere, dimittit.] Et Gregorij magni verbum est, Cor & non substantiam pensat Deus, nec perpendit quantū in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multū reliquit, qui quamlibet parum, totum deseruit.] Habeo insuper, quod ab hoc Petro discam, verbum Dei & sacras cōcionēs conuenienter audire, ita vt non modò credam vera esse quæ dicuntur, sed & fidem cum pio timore coniūgam, ex aliorum periculo atq; damno sapiam, meā in Christum fiduciam augeam, & ea quæ nescio à scientibus studiosè perquiram, & insup de futuris piorum præmijs curam gerā, meumq; excitem subinde animū ad cœlestes illas retributiones, quas Deus electis suis amplissimas præparauit atque largiturus est. Sic enim Apostolus prædicat, *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus his qui diligunt illum. Non sunt condigne passionēs huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Teneamus igitur spei nostre confessionē indeclinabilem, & consideremus inuicem in proocationem charitatis & bonorum operum. non amittamus confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Patientia interim nobis necessaria est. vt voluntatem Dei facientes, reportemus promissionem, sicut idem Apostolus tradidit.*

I E S V S autem dixit illis: *Amen dico vobis quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israhel.*

I N superioribus Petri Apostoli verbis, quæ nōnulli insulsi Momi audent hodie carpere, Christus quem latere nihil poterat,

terat, respondendo nihil reprehēdit, sicut alibi nōnunquam factum legimus: sed blando & munifico sermone propositam quæstionem excipit, ipsumquē rogantem ornare videtur. Vbi ego primū Christo redemptori & iudici gratias agam, qui hoc irreuocabile pactum vel fœdus vñā cum suis fidelibus iniit, nullum vt ab illis bonum conficiatur, quod maneat irremuneratum, quodquē ipse vel toto mundo spectante suo tempore non agnoscat, nō prædicet, neq; compenset præmijs sempiternis. *Filius enim hominis venturus est, sicut ipse promisit, in gloria Patris cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua.* Ac alibi rursus: *Ecce venio cito, ait, & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua.* An multis opus exile non videtur, si nomen Christi publicè confiteantur? & tamē stat verbum Domini in æternum: *Omnes qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego cum coram patre meo qui in cælis est.* Quid magni fuerit, si egeno & sitienti fratri aquam porrigam? Sed Christi vocē audio: *Quicumq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigide tantum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Vile opus iudicatur, si puerum aliquem comiter exceperim, ac piè tractarim, quod nisi permagnum esset officium & propria mercede dignum, Christus idem non affirmaret: *Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.* Ac iterum alibi: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quis diues non suos amat consanguineos & æquales, eosquē non potiùs quàm pauperes & mendicos ad mensam inuitat? Sed quòd aliud Christi quàm mundi sit iudicium, hæc Euangelica verba declarant: *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neque cognatos, neq; vicinos diuites: ne fortè te & ipsi reinuitēt, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione iustorum.* O nos præpostere sapientes, qui vanis ac fallacibus, sæpè & pœnitendis huius mundi promissis ac illecebris credimus, infallibili autem ve-

Matth. 16.
& 26.
Ioan. 21.

Matth. 16.
Apocal. 22.

Matth. 10.

Matth. 10.

Matth. 18.
Matth. 25.

Luc. 14.

ritati

Psal. 4.

Quæst. 1. ad
Hedibiam.Luc. 12. & 22.
Apoc. 21.In Euāg. Ec-
ce nos reli-
quimus.
Iacobi.

Roman. 8.

Roman. 8.

Luc. 12.

ritati certa & æterna promittenti nō credimus, vt idcirco iustè voce Prophetica corripiamur: *Filij hominum*, inquit, *vsque quò graui corde? vt quid diligitis vanitatē, & queritis mendacium?* O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debitorem? vt verbis vtat Hieronymianis. Quàm verò felices illi, quos Christus dominus dominatium non solùm ex hoc exilio in patriam cœlestē benignè vocabit, sed ad suam quoquē mensam iubebit accumbere, & quorū gratia se ipse præcinget, vt transiens omnibus singulisquē ministret, ab illorum oculis omnē lacrymam abstersurus? Quod autem ad præsentē attinet locum, suam quoquē munificentiam & liberalitatē satis in eo Christus declarat Apostolis & cæteris electis omnibus, qui se suis abdicant facultatibus, & voluntate seu spiritu paupertatē sincerè complectuntur. Perinde ac si dicat: *Qui terrena hæc bona, quibus nihil est instabilius, propter nomen meum reliquerit, me fidissimum sentiet remuneratorem, vt post hoc sæculum vitam longè felicissimam assequatur, & dum nunc viuatur in exilio, centuplo plus accipiat quàm antè dimisit.* Sed omissis alijs interpretibus, qui hunc locum explanāt, vnum citabo Bernardum hoc modo apertè differentem: *Datum optimum est centuplum hoc, de sursum descendit à Patre luminum. An non omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? an non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? nisi quòd longè plus quàm centuplum est visitatio paraleti spiritus & præsentia Christi.] Et paulò post: Hoc centuplum adoptio filiorum est, libertas & primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non vtique esca vel potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Gaudium sanè non modò in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis quem voluit Christus vehementer accendi: hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem.*

nem. Hæc illa pax quam suis reliquit Christus, quando dedit & suam. Siquidem donum & pax est electis Dei; pax utique præsentis, & donum futuræ.] Simplicius autem fuerit prædicta Christi verba sic accipere, ut discamus eos qui propter Christum suos vel sua relinquunt, centuplum, hoc est multò plura etiam in hac vita, & in futuro quidem sæculo cœlestem beatitudinem recepturos esse. Nam apud Marcum sic se ipsum Dominus explicat: *Nemo est qui reliquerit donum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium: qui non accipiet centies tantum nunc, in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.* Apud Lucam succinctiùs ita dicitur: *Nemo est qui reliquerit donum, aut parentes, &c. propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.* Hieronymus breuiter ita rem omnem comprehendit. Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet: quæ compensatione & merito sui ita erunt, quasi si paruo numero centenarius numerus cõparetur. Vnde dicit Apostolus, qui ynam tantum domum, & vnus prouinciæ paruos agros dimiserat: *Quasi nihil habentes, & omnia possidentes.*]

EGO verò sanctis gratulabor Apostolis tam Christo charis atque commendatis, ut eosdem non solum suos in terris vicarios, piscatores hominum, pastores ouium, principes populorum, sal terræ, mundi quæ lucem præ Patriarchis & Prophetis constituerit, verum etiam post hoc sæculum peculiariter ornandos mirum in modum susceperit. Etenim propterea quòd illi ex his qui relictis omnibus Christum secuti sunt, primi extiterunt, primores illos ac principes in regno suo longè clarissimos fore decreuit. Cur eos pœniteat voluntariæ paupertatis, ob quam vulgo quidem abiecti videbantur, sed qui tandem inter electos ad vitam æternam prædestinatos, & in carne resurrekturos primas obtinebunt, qui quæ ad summam summi iudicis dignitatem & maiestatem nunc hominibus occultam, tunc autem toti orbi manifestam propè accedent, ut non modò velut potiora Christi capitis membra in resurre-

Ioan. 14.
Sapient. 3.

Marci 10.

Luc. 18.

In cap. 19.
Matth.

2. Cor. 6.

ctione iustorum mirabiliter fulgeant, sed etiam super sedes
 duodecim sedeant, in sua sede singuli collocandi, & quod lon-
 gè amplius est, iudiciariâ cum Christo potestatè administra-
 turi, supremamq; Christi sententiam comprobaturi, haud si-
 ne autoritate & potestate quadam præcedenti. Ita demùm il-
 la Scripturæ testimonia complebuntur: *iudicabunt iusti na-
 tiones, & dominabuntur populis.* Nescitis, inquit Paulus, *quo-
 niam Angelos, malos nempe spiritus, iudicabimus?* Væ igitur
 insipientiæ meæ, si hosce Apostolos, velut lectissimos Chri-
 sti iudicis assessores, mihi fauere non cupiam atq; procurem.
 Quæ potestas ac dignitas in Cæsaribus ac Regib. maior vn-
 quam eluxit, aut elucere potest toto orbe terrarū? Stabunt
 autem illi, sicut nulli Sanctorum alij, nō solūm Christo testi-
 monium amplissimum coram toto hominum cœtu exhibi-
 turi, sed etiam infidelibus, prauisq; Christianis suas tene-
 bras terribiliter exprobraturi, nec minūs in magna cōstantia
 se opposituri diris ac rebellib. piorū persecutoribus, qui tum
 poenitentiam seram agent, & præ angustia spiritus gementes,
 vel inuiti fatebuntur: *Hi sunt quos habuimus aliquando in de-
 risum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illo-
 rum assumabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce
 quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illo-
 rum est?* Nec dissimilis erit ratio aliorum pauperum, quos
 Christi amor, & Euangelicæ perfectionis studium verè pau-
 peres fecit, & in cœlesti patria tam potentes ac opulentos fa-
 ciet, vt de suis amicis diuitibus non solūm benè mererit, sed et-
 tiam eos in æterna sua tabernacula recipere velint ac possint.
 Tunc Petrus & Paulus Christiani exercitus duces, vt eos Hie-
 ronimus vocat, in Sanctorum choro stabunt inter primos,
 ac velut splendidissimæ lampades, mirificum lumen suum in
 orbem longè lateq; diffundent, quemadmodum Chryso-
 stomus notat. Tunc iusti, vt Daniel præmonuit, sicut stellæ
 fulgebunt, & intelligentes siue docti, quasi firmamentum.
 Tunc ineffabilis eorū apparebit maiestas & gloria, qui quan-
 tō se magis ad Christi humilitatem, & Apostolorum pauper-
 tatem

Sapient. 3.

1. Cor. 2.

Sap. 5.

Luc. 16.
 In Epistol.
 Paulæ & Eu-
 rochij ad
 Marcellam.

In epistolam
 ad Rom.
 Daniel 12.

tatem

tatem demiserunt, tantò sublimiùs ad iudiciaria potestatis consortium mirantibus omnibus euehentur. Scimus quidem Christum nobis vitam & resurrectionem esse, qui cum apparuerit in gloria, similes ei erimus, vt Ioannes affirmat: quoniam reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, Apostolo teste: Verùm non omnes ad æqualem cœlestis glorię statum perueniemus, sed re ipsa experiemur, in domo Patris multas & diuersas esse mansiones, variasquę retributiones, & electos meritorum diuersitate fulgere, sicut loquitur Augustinus. Vt enim idem Paulus notat, *Stella differt à stella in claritate: sic & resurrectio mortuorum*. Longè igitur tunc potior erit Apostolorum, quàm cæterorum Fidelium decor & splendor. Lazarus mendicus & alij verè pauperes, diuitis epulonis ac aliorum etiam vulgariter Credentium conditionem obscurabunt. Tunc verè & plenè mundus intelliget diuinam illam promissionem: *Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; quodquę Propheta est vaticinatus, fore, vt inopes ac pauperes erigantur, & cum principibus electi populi collocentur. O me scœlicem, si altissimæ paupertatis Domini mei portem vel stigmata, vel insignia, sicut Paulus sanè portauit. O si cum Euangelicis pauperibus, quorum est regnum cœlorum, partem habeam aliquam in terra viuentium. Interim verò curare pergam, vt promissum à Christo centuplum mihi benignè communicetur, nimirum vt abiecto amore proprio, & solutis cupiditatis omnis vinculis, veram filiorum Dei libertatem mihi vendicem, & toties commendatæ paupertatis iugū, quod alijs graue & intolerabile videtur, mihi lene ac suaue reddam, magnaquę voluptate complectar. Hac ratione, si mea qualicunquę sorte contentus ero, & cor meum omne iactabo in Dominum, longè quidem ditior futurus sum, quàm si mille possideam hæreditates. nihil enim ero sollicitus in crastinum, & spe tota fixus in Christum, cum Apostolo Paulo fidenter dicere potero: *Ego didici in quibus sum, sufficiens esse. scio & humiliari, scio & abundare (vbique & in omni-*

Ioan. 11.
1. Ioan. 3.

Philipp 3.

Ioan. 14.
Serm 59. de
verb. Domi.

1. Cor. 15.

Luc. 16.

Luc. 6.


Psal. 112.

Galat. 6.

Matth. 5.

Philipp 4.

bus institutus sum.) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.



DE S. PAULI APOSTOLI CONVERSIONE.

i. Tim. i.

Probabo in primis pium illorū institutū, qui hunc diem iampridem religiosè celebrarūt, & adhuc celebrare contendunt, vt sapientissimi & ornatissimi Apostoli conuersionem reddant illustriorem. Est enim hoc ingens, rarum & stupendum Dei summi beneficium, quod satis cōmendari non potest, & Paulus ipse nobis cōmendatum reliquit, cū scriberet: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, & ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus IESVS omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Vbi satis ille significauit, hanc suam conuersionem non sibi tantū, sed nobis etiā & fidelibus cunctis vtilem esse, & ad communem salutē mortalium referri oportere. Quæ conuersio tantò mihi ac bonis omnibus charior, magisque colenda iure videatur, quòd in sacris litteris nulla extet alia euidentior, admirabilior, pluribusque Dei miraculis insignita, & maiore cum totius Ecclesiæ fructu peracta. Gaudebo igitur de hoc sublimi & excellenti Dei munere, qui præter morem & præpotenter ex immani persecutore incōparabilem ecclesiasten, ex lupo sæuiente mansuetum agnum, & ex filio perditionis vas solidum electionis effecit, & hunc vnum virum à re Christiana prius alienissimum, tam facilè & perfectè in maximū doctore Gentiū, cumque noui Testamenti ministrum lectissimū trāsformauit, ac sicut perfectū orbis oratore constituit ad portandum nomen suum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israël, quemadmodum Christus ipse palam Ananiæ prædixit, & consequens rerum euentus clarissimè demonstrauit. An quæso Christus in cœlum assumptus vlli mortalium, perinde ac Paulo huic apparuit, tantumque gra-

Actor. 9.

tia & beneficij obtulit, plenaque, vt sic dicam, manu imper-
 tiuit: Primùm quidem vt apertum hostem terruit, increpa-
 uit & humiliavit, quẽ deinde per triduum orationi ieiunioq;
 vacantem, ad tertium vsque cœlum rapuit, & cœlesti pror-
 fus illustratione sic instruxit, vt subitam in illo neophyto mu-
 rationem ac sapientiã cuncti admirarentur, & nos hodie pro
 dignitate satis nõ possimus admirari. Cur igitur & ego eius-
 modi conuersionem non ex animo celebrem, & ab alijs cele-
 brandam non putem, quoniam in illa præpotentẽ Dei dexte-
 ram relucere, & incredibilem lætitiã inde apud Angelos ex-
 citari, totquẽ myriadas hominũ ad amplectendam Euange-
 lij gratiam conuerti certissimè constat. Vnde meritò gratu-
 lari ac dicere possumus: *Vbi abundauit delictum, superabun-
 dauit & gratia.* Qualis verò gratia: quæ in illo semel conuer-
 so vacua non fuit, sed semper cum fecit Dei cooperatorem,
 ministrumque fidelem, per quam & abundantius quàm reli-
 qui omnes Apostoli, in amplissima Christi vinea laborauit,
 tantumque fructum passim attulit, vt ab vrbe Ierusalẽ & per
 circuitum vsque ad Illyricum cuncta Christi Euangelio re-
 pleret, & efferatæ Gentes multæ in Paulo vti patre suo, Chri-
 stum glorificarent. Quàm rectè Vas electionis dicitur, in quo
 dulcissimus gratiæ liquor magna cum abundantia, vt Augu-
 stinus exponit, repositus fuit, qui quẽ secundum Hieronymũ
 vas fuit Legis & sanctarum Scripturarum armarium. Pruden-
 ter & Ioannes Chrysostomus monet. Vide, quanta sit digni-
 tas Pauli, qui non per alios Apostolos vocatus est, sed per ip-
 sum Christum, & à Christo eruditus est ac informatus. Vn-
 de ad Galatas ipse scribit: *Paulus Apostolus non ab hominibus,
 neq; per hominem, sed per IESVM Christum, Ecclesiis Galatia.*

EGO verò ex hac memorabili historia meipsum ac alios
 multos pusillanimes ac desperabundos consolabor, præser-
 tim si superiorum peccatorũ multitudo vel magnitudo men-
 tem prægrauet ac opprimat, aut certè tristitiam immodicam
 ingerat. Bonum enim Dominum habemus, & de illo in bo-
 nitate sentire debemus, cuius misericordiæ non est numerus,

Luc. 15.

Rom. 5.
1. Cor. 15. &
1. Cor. 3.

Rom. 15.

Act. 9.

Serm. 2. in fe-
sto Ap. Paul.
Ep. ad Paul.
Homel. 20.
in Act. Ap.

Galat. 1.

Sap. 1.

2. Reg. 12.

Matth. 26.

Heb. 4.

Ioël 2.

Ezech. 18.

2. Pet. 3.

Ose. 13.

Thren. 5.

Ecccl. 1.

qui Saulo adhuc spiranti minarum & cædis in discipulos Domini, præter expectationem omnem tam propitius fuit, ut filium perditionis in vas electionis subito conuerteret, & ex crudeli persecutore, præcellentem faceret Gentium prædicatorem. Cur dubitem de summa summi Dei bonitate, qui Dauid adultero & homicidæ pepercit, & pœnitentem loco suo restituit? quæadmodum nec Petrum deseruit, cum is Christum tertio abnegasset, sed Ecclesiæ primatum illi saluū manere voluit. Cur igitur, ut Paulus ipse tradidit, cum fiducia non adeamus ad thronū gratiæ Christi, ut misericordiam consequamur, quoniam *Deus est benignus & misericors, patiens & multa misericordia, & super malitia præstabilis*, sicut Ioël Prophetam disertè pronuntiat, *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non ut conuertatur à vijs suis, & viuat?* Consonat & illa Petri sententia; *Patienter propter nos agit Deus, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et si verò Deus nouo stupendoque modo Paulum conuerterit, ut a hibi nusquam factum legimus; tamen hîc multa notabo velut in typo depicta de his rebus, quæ circa peccatoris conuersionem secundum legem cõmunem sese offerunt rectè cogitanti. Vnde Saulus quæso conuersionis suæ initium ducit? nimirum à Deo vocante, & subito immensoque lumine circumfulgente, ac per verbum etiã suum increpante, terrificante, ac prosternente, cum illa verba ingerebatur: *Saule, Saule quid me persequeris?* quod hostem nempe capitalem te præbeas meis Fidelibus, quibus tam diras minas & cruentas cædes intentas. Quam tu perniciem membris meis adferre studes, eam ad me veluti caput redundare, & à me iustè vindicari certò intellige. Ita demum elucescit, quàm verè per Oseam dixerit Deus: *Perditio tua ex te Israël; tantummodo in me auxilium tuum. Conuerte nos Domine ad te, inquit ille, & conuertemur.* Præterea confirmatur dictum hoc Sapientis: *Initium sapientiæ timor Domini. Timor Domini expellit peccatum. Qui sine timore est, non potest iustificari.* Quid autem est quòd Saulus diuinitus admonitus atque

correptus, tremet ac stupet, ac præterea in illam vocē humili-
tatis & pœnitentiæ plenam erumpit: *Domine quid me vis fa-
cere?* Illuste hoc argumentum est, ad veram hominis impij
conuersionem spectare, vt oblatam gratiã non excutiat, sed
promptè amplectatur. Ita enim scriptũ est: *Conuertimini ad
me, ait Dominus exercituum, & conuertar ad vos.* Ac iterum:
*Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu &
in plãctu. Dei enim sumus adiutores & cooperatores* ex Pauli sen-
tentia. Nec sine certo ministro Saulus conuertitur ad Chris-
tianismum, sed mittitur à Deo Ananias, vnus nimirũ ex se-
ptuaginta discipulis, de quo Christus ipse huic Saulo præci-
pit: *Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat
facere.* quemadmodum idem Ananias officio suo in monen-
do fideliter functus fuit. Ita me rursus monet historia, diui-
nam ordinationem esse, vt qui rectè conuertuntur, Ecclesiã
ministris pareant, iuxta illud: *Presbytero humilia animã tuam:
honorifica sacerdotes, da illis partes sicut mandatum est tibi.* Hos
magistros & ministros qui audit, Christum audit: qui verò
spernit, Christum ipsum spernit, indignus animi morbis libe-
rari, quia spirituales medicos excludit vel negligit, de quibus
tamen dictum est: *Ite & ostendite vos sacerdotibus.* Neque sat
habet Saulus se totum subijcere Ananiã, nisi ex illius præscri-
pto baptismi etiam sacramento initietur, & salutari aqua per-
fundatur. Quarè princeps Apostolorũ non contentus fidem
in Christum prædicare, & à suis auditoribus exigere, hoc etiã
addidit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum
in nomine IESV Christi in remissionem peccatorum.* Nam con-
temptor visibilis Sacramenti, vt rectè tradidit Augustinus, in-
uisibiliter sanctificari nullo modo potest. Accedit, quòd Pau-
lus noster ad hoc viuificum sacramentum se quodammodò
præparat ac disponit, quoniam & orat in domo Iudæ, & tri-
duanum adhibet ieiunium, nihil omninò manducans atque
bibens, vt Lucas exponit. Nec dissimilis erat Euangelicus pu-
blicanus, qui vt se magis ad iustificationem excitaret, idcirco
à Christo laudatur, quòd etiã iniussus templum adiret, pec-

Zach. 1.

1. Corin. 3.

Act. 9.

Eccl. 4.

Luc. 10. &
17.

Act. 2.

Lib. 3 quæst
in Leuit. c.
84.Act. 9.
Luc. 18.

Luc. 7.

Prouer. 16.

Roman. 13.

Apoc. 22.

Eccl. 18.

Actor. 9.

1. Cor. 4.

2. Cor. 1.

2. Cor. 10.
& 9.

2. Cor. 12.

2. Cor. 11.

cata sua confiteretur, pectus malè sibi conscium tunderet, ac veniam à Deo suppliciter peteret. Prætereo Magdalene peccantis opera, quæ Christus & sibi grata, & illi ad perfectam reconciliationem conducibilia esse non obscure monstrauit. *Homini enim est animam præparare*, teste Salomone. Quæ omnia perspicuè docent, quòd licet Deus fidei & conuersionis nostræ sit autor simul & consummator, tamen non sine quibusdam medijs agat cum peccatore iustificando. nam *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*. quodquæ iustificatum & conuersum paulatim ad maiora & meliora excitet prouehatquæ charismata, sequens historia liquidò manifestat. Hinc illa Dei sententia: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*. Cum quo conuenit vox egregia Sapientis: *Non impediaris orare semper, & ne veteris usq; ad mortem iustificari*.

DE INDE baptizatus hic Saulus, qui gratiosius Pauli nomen accepit postea, & eo ipso vitæ gratiæquæ suæ nouitatem ostendit, quàm ille pulchrè nos admonet de Fide palam ac liberè in omni genere certaminis profitenda? Hic enim per Ananiam in Christo renatus, *continuo in synagogas ingressus, predicabat IESVM, quoniam hic est filius Dei*, sicut Lucas indicat, & *confundebat Iudæos qui habitabant Damasci*. Neque verò contentus Christianæ fidei præclara confessione, ob quã se Iudæis simul & Gentibus tam exosum reddidit, vt eius vitæ insidiarentur, ingentè sanè curam habuit acceptæ iustitiæ & conferuandæ & augendæ, vt hinc sincerè testetur: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ, quoniam in simplicitate & sinceritate Dei conuersati sumus*. Nec minore studio laborauit, vt alios sibi conciliaret, sequè illorum ingenijs accommodaret, & voluntati ex animo inferuiret. *Ego, inquit, per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quòd multis, vt salui fiant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar. Quis infirmatur, &*

ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus, qui sunt cognati mei secundum carnem. Quanta verò Pauli constantia & fortitudo enituit tum in corpore suo edomando, tum in multis ac facinosis hostibus perferendis? Ego, inquit, sic curro non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo (Irenæus legit liuidum reddo) corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar. Semper mortificatione Iesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita IESU manifestetur in corporibus nostris. semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter IESUM. Quos verò agones hic athleta non exantlauit? quæ non superauit certamina ille, de quo prædixerat Christus Ananiæ: Ego ostendam illi, quanta oporteat illum pro nomine meo pati, quemadmodum idem Paulus longū de his perpeffionibus texit catalogum. Et cum iam diu in illis incredibilibus angorib. & cruciatibus esset versatus, ac mortē sibi imminentē cerneret, fidenti dixit pectore: Bonum certamen certauī, cursum consummavi, fidem seruavi. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Vtinam & mihi contingat, hoc firmum bonæ conscientiæ testimoniū atq; præsidium in rebus aduersis assequi, & maximè sub mortem ipsam perferenscere. Bone Deus, quantoperè à Paulinæ vitæ absun vestigijs, ut neque in prosperis, neq; in aduersis rebus Paulinā præstem mediocritatē neq; cum eodem Apostolo dicere possim: Libenter gloriabor in infirmitatib. meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in psecutionibus, in angustijs pro Christo. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESU Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Quoties in mea vocatione cesso, & quæ saluti meæ viciniora sunt, non æmulor charismata, sicut ille semper fuit æmulatus? Qui licet diuino spiritu plenus, & in via Domini planè perfectus esset, tamen de seipso profiteri non dubitauit: Quæ retrò sunt, obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatū per-

Rom. 9.

1. Cor. 9.
Lib. 5. cont.
heres.

2. Cor. 4.

A. Cor. 9.
2. Cor. 11.

2. Tim. 4.

2. Cor. 11.

Galat. 6.

Philipp. 3.

sequor, ad brauium supernæ uocationis Dei in Christo IESU.
 Cur non vaco conuertendis ad meliorem frugem proximis: quod sanctissimū Deoque gratissimum est negotium, & Pauli conuersi maximè proprium fuit, vt idcirco se pro alijs vel millies sacrificaret. Quarè Sanctorum fauorē & preces non ambio, illorumque præsidijs imbecillitatem meam non fulcio? cū Saulus Dei gratiam, & conuersionis suæ initium obtinuerit beati Stephani intercessione, quēadmodū Chrysostomus & Augustinus attestantur. Cur insuper maiore studio & amore sacrum cælibatum non prosequor? quem Apostolus hic non solū apertè scribendo suauis, sed integrum quoque tota vita conseruauit, ac suo exemplo alijs siue uirginibus, siue uiduis commendauit, sicut ex ipsius epistolis Hieronymus non leuiter sanè probat. Docet me Ioannes Chrysostomus, hunc Paulum summoperè venerari, cumque patronum ac intercessorem mihi facere familiarem, quem ille libenter tot magnificis ornat titulis, quod sit nempe ex nouissimis primus, ex abortiuus uir perfectus, per excellentiam Apostolus, totius sapientiæ magister, tuba cœlestis, mundi piscator, magister orbis, Ecclesiæ patronus, magnus præco ueritatis, & incomparabilis Ecclesiastes, idemque laboris & ærumnarum patientissimus. Cur in pretio non habeam uenerandas Diuorum reliquias? cū eiusdem Pauli sudaria, semicinctia & vestes tanta potestate pollerent, si Lucæ credimus, vt solo tactu morbos ægrotorum curarent, ac Demones profligarent. Veteris Ecclesiæ scriptor est Eusebius Cæsariensis, cuius ætate, Christi, Petri & Pauli statuę ac imagines in usu ac honore habebantur. Scribit & Gregorius Nazianzenus, magni nominis theologus, de Apostolis & Martyribus, quod his præclari honores & festa constituta fuerint, à quibus demones propellerentur, & mortui excitarentur. Quorū uel sola corpora, inquit, idem possunt quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur: quorum uel solæ sanguinis guttæ, atque exigua pafsionis signa idem possunt quod corpora. Sed nos alibi de D. Paulo plura proponemus.

In homel. de
conuersione
Pauli.

1. Cor. 7.
Lib. 1. conu.
Iouinian.
Vide octo
homelias e-
ius in laudē
Pauli, & frag-
mentum de
Pauli con-
uersi.

Actor. 16.

Lib. 7. eccl.
hist. c. 14.
Orat. 3. ad-
uers. Iulian.



DE PRECATIONIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, ut perfectioris vitæ desiderium, quale in Apostolis Petro & Paulo extitit, in multis oriatur & crescat ad temporalia isthac contemnenda, Christumq; Dominum sincere sectandum & unice cõplectendum, ut eò certius illi voluntarie paupertatis fructum eximium assequantur.

ORABO etiam, ut cõplures diuinis promissis illecti atq; prouocati, mundi retia & carnis affectus, quibus à perfectioris vitæ studio retardantur, non animo solum, sed & re ipsa ob Christi amorem deserant, seq; totos cum Paulo diuina subiiciant & conforment voluntati, illud sæpè precantes ex animo: Domine quid me vis facere? Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiã: quoniam ipsi saturabuntur.

Actor. 9.

Matth. 5.

NEQVE minùs diuinam implorabo clementiã pro seuis Ecclesie persecutoribus, alijsq; Catholicorum hostibus manifestis, qui Christũ in membris Fidelibus, & in lectissima sponsa Ecclesia crudeliter hodie vulnerare pergunt ascendere, nimirum ut è Saulis & ipsi Pauli, & ex persecutoribus fidei propugnatores ac promotores fiant Catholice religionis, atq; ad eò, ut velinuiti ad mentem saniozem redire cogantur.

SED & peculiarem illorum conuersionem commendabo Domino, qui suis peccatis Deum ac proximum grauiter offendunt, ac in peccatis obstinati, velut in Diaboli potestate persissũt, ut & ipsi ad gratiam Dei conuertantur, & alijs sese ad pœnitentiã conuertendi præbeant occasionem. Scriptum est enim: Qui conuertit fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

2. Tim. 2.

Iacob 5.



IN DIE FESTO PURIFICATIONIS

DEIPARÆ VIR-
GINIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

QUI parentes infantis IESU vulgò sunt habitì, so-
lam enim virginem Mariam illi parentè fuisse sci-
mus, vt erant spectatæ pietatis homines, ita legi vereri ac-
curatè obsequuntur. Vnde ad tēpus durantis puerperij ab
ingressu templi Hierosolymirani abstinēt, & quadrage-
simo à partu die templum idem ingressi, puerū suum of-
ferunt, vt ritui Mosaico de purificatione puerperarum: &
adiuncto sacrificio ad vnguem satisfaciant. Constat verò
fatis, Deiparam virginè non de virili semine, sed de Spi-
ritu sancto puerum hunc concepisse & peperisse, ideoque
à communi puerperarum lege & expiatione profus im-
munem extitisse: quæ tamen suo & filij sui exemplo præ-
clarum obedientiæ specimen nobis commendauit. Ha-
bet suam quoq; laudem in hoc Euangelio Simeon senex
excellenti in Christum fide præditus, vitæque sanctitate
commendatus, cui peculiariter concessum est, vt iam pri-
dem expectatum Messiam nò modò clarè in templo co-
gnosceret, sed etiam publicè magnificèq; omnibus Israë-
litis prædicaret, ac illum summa cum voluptate & lauda-
tione complecteretur. De hoc Simeone ita scribit Nice-
phorus: Hunc Simeonè fama est ex eis fuisse vnū, qui vir-
tute, dignitate, vitæq; sanctitate excelluerunt. Qui cū
aliquando illi Prophetæ Isaia oraculo legens incumbere-
ret, quod ait: Ecce virgo vterum gestabit, & concipiet fi-


lium:

Lib. i. eccl.
hist. c. 12.

Isai. 7.

7/3

lium: & de diuini eius responsi fide ambigeret, Angelum ita fluctuanti ei astitisse ferūt, cum oraculo eiusmodi: Non illum prius vitę huius vinculis solutū iri, quā id de quo credendum addubitasset, pro foribus primo quoque tempore appropinquans, & oculis ipse suis conspectum, testimonio suo confirmaret. Quam ob causam ad tantum senium prouectus, cū Christū Domini oculis suis conspexisset, eundemq; in vlnis gestasset, carnis mole protinus solutus atq; liberatus est.]




E V A N G E L I V M

Lucę II.

POST QUAM impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum (Iesum) parentes in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, (sicut scriptū est in Lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur) & vt darent hostiam secundum quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israhel: & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortē, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cū inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit eum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderūt oculi mei salutare tuū, quod pa-

rasti.

*raſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem
Centium, & gloriam plebis tuae Iſraël.*



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM ET
FESTVM.

*Tulerunt puerum IESVM in Ierusalem, vt siste-
rent eum Domino, sicut scriptum est in Lege
Domini.*

DERMAGNI ego faciam lætèquæ cõplectar festum
hunc diem simul amabilem ac venerabilem, qui pe-
culiaribus ritibus, & solèni processione in tota Ec-
clesia decoratur, nec modò Mariæ Virginis, sed e-
tiam Christi redemptoris nostri gratia percelebris ducitur, a-
liaquæ festa omnia, quæ hæctenus à natalitijs ferijs de Christi
pueritia solenniter habita præcesserunt, quasi venusta coro-
nide quadam absoluit. Et Christi quidem Domini festū hoc
iure censetur, qui inde ab ortu suo se nunquam tam multis,
tamquæ euidenter nostrum salutare, nostrū lumen & decus
in carne manifestauit, qui præterea cū à peccato peccandi-
quæ facultate prorsus esset immunis, & absolutè sanctus, siue
vt Danieli dictum est, sanctus sanctorū, Legis ipse dominus,
cui nihil omninò debebat, tamen infans etiam domū sui pa-
tris egregiè honorauit, veteriquæ legi sese subiecit, vt Prophe-
tæ vaticinio satisfaceret, quo Iudæis prædixerat Malachias:
*Statim adueniet ad templum suum Dominator quem vos queri-
tis, & Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Do-
minus exercituum.* Tūm per Aggæum Prophetā promiserat
Deus: *Veniet desideratus cunctis genibus, & implebo domum is-
tam gloria, dicit Dominus exercituum.* Ac iterum: *Magna erit*

Daniel 9.

Mal. 3.

Agg. 2.

gloria

gloria domus istius nouissime plus quàm prima, dicit Dominus exercituum. Sed & Isaias de Messia prædixerat fore: *Oblatus est quia voluit.* oblatu in quã, nõ solum extra ingratã ciuitatẽ in cruce, sed nunc etiam in templo inter brachia Simeonis, vt immenso in nos amoru suo satisfaceret, ac pro salute nostra pretiosam offerret hostiam, immò se ipsum, quo nihil maius ac melius offerre poterat, atq; ita iure suo diceret: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Quapropter meo & Fidelium omnium nomine de hoc tanto beneficio gratias agam clementissimo Patri, qui sua promissa compleuit, cum lectissimũ filium suum nobis nõ minùs quàm Israëlitis donare dignatus est, videlicet expectatum illud ex Abraham Patribusq; procreatum semen, in quo gentes omnes benedicuntur, ac lumen illud illustre, de quo prædictum erat: *Ambulabunt gẽtes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* sicut & Deus ipse in mãdatis Filio dederat dicẽs: *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea usq; ad extremũ terra.* Sed & Christo Domino, vt luci veræ, quæ illuminat omnem hominem, reuerenter agam gratias, quòd cum ipse summus esset ac incomparabilis, inter pauperum filios, & Israëlitarum primogenitos, pauper & primogenitus, ab egenis parẽtibus hodie voluit in templum inferri, & quinq; siclis redimi, ac insus per à iusto Simeone gestari, ac publicè prædicari. Vnde iustã habeo causam Hierosolymitanis congratulandi, simulquẽ cum Isaiã Propheta lætẽ concinendi: *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Cur itidem cum Propheta regio perfusus nouo gaudio, palam nõ cõfitear: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Vt enim cum Bernardo loquar: Suscepit hanc misericordiam Domini Dauid, suscepit Simeon, suscepimus & nos, & quicunq; sunt præordinati ad vitã, siquidem Christus heri & hodie & in æternum. Eramus nos quidem natura filij iræ, filij ignorantie, ignauie & captiuitatis: sed misericordiam consecuti sumus per Christũ, qui Paulo teste *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio,*

Isai. 55.

Psal. 53.

Genes. 22.
Galat. 3.Isa. 60.
Isai. 49.

Ioan. 1.

Isa. 60.

Psal. 47.
Serm. 1. de
fest. purif.

Hebr. 13.

1. Cor. 1.

quid;

Ioan. 1.

Philipp. 2.

Marc. 11.

Matth. 21.

Ioan. 2.

Isai. 56.

1. Cor. 11.

Luc. 24.

Act. 2.

Serm. 1. de
purificat.

quiq; copiosè præuenit nos in benedictionibus dulcedinis.]
 Docebit me interim hic beatissimus puer, vt quantumuis gra-
 tia, diuitijs vel honore alios excellere videar, tamen relicta o-
 mni arrogantia & iactantia, me submissè & obedienter geram,
 meq; illius discipulum & membrum esse semper cogitè, qui
 cum plenus esset gratia & veritate, idemq; fons bonorū om-
 nium, à cuius plenitudine omnes accipimus, tamē hisce dua-
 bus virtutibus, humilitate & obedientia, mirum in modum
 semper excelluit, ac suos etiā excellere postulauit. Vnde vox
 illa Paulina deprōpta est: *Hoc sentite in vobis, quod & in Chri-
 sto Iesu, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, factus
 obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Deinde nō vul-
 garem eorum locorum, quæ Deo diuinoq; cultui consecran-
 tur, rationem habebō, quoniā Christus etiam infans, nec ho-
 die tantum, sed etiam deinceps quotannis in templum Hie-
 rosolymitanum voluit adduci, illudq; sua præsentia, sicut &
 doctrina, crebrò illustrauit, eiusq; receptis ferijs ac cærimo-
 nijs sese lubens accommodauit, nihil ferens molestius, quā do-
 mum Dei terrenis euentium atq; vendentiū negotijs pollui
 atq; profanari. Sed & illud tam reuerendum habuit, vt ne vas
 quidem per hoc transferri pateretur, quod & ardēti zelo ita
 defendit, vt negotiatores omnes vi quadam exturbārit, ac in
 illa verba proruperit: *Scriptum est: Domus mea domus oratio-
 nis vocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Qua-
 rē nihil me commouebit improborum exemplum, qui inter
 templum & stabulum, inter aram & haram nihil ferè distin-
 guunt, & quibus meritò cum Paulo dixeris: *An Ecclesiam
 Dei contemnitis?* Apostolos mihi imitandos proponam, qui
 Luca teste, post acceptum etiam Spiritum sanctum *semper e-
 rant in templo laudantes & benedicentes Deum*, quorumq; pri-
 mi discipuli quotidie & vnanimiter in templo perdurāunt.
 Atq; hætenus de Christi festo, Græcis *ἑορτή* dicto, hoc est
 Obuiationis vel Occursus, quandoquidē admonet de mul-
 tis Israëlitis, qui Christo puero in templum venienti se ob-
 uios exhibuerunt, sicut Idelphonus interpretatur. Alij non

malè

malè Domini Præsentationem appellant, vt ad historiam al-
ludant Euangelicam.

Quoniam verò vñtatius Festi nomen est, vt Purificatio Ma-
riæ dicatur, ego illud etiã cum pijs religiosè colam, & in pri-
mis de perfecta perpetuaquè Virginis matris puritate dubita-
tionem omnem excludam. Etenim certum & firmum habe-
bo, hanc Virginẽ inde ab initio inter mulieres omnes bene-
dictam, ab omni peccati labe semper integram & gratia ple-
nam, vt alibi docuimus, extitisse, nullamquè aliam adeò san-
ctam & felicem inueniri posse, quã de summo cælo Pater æ-
ternus lætioribus vnquam oculis aspexerit, quæ legẽ omnem
diuinam exactius in terris obseruãrit, quæ suum præterea pri-
mogenitũ cum ardentiore pietatis affectu aliquando in tem-
plum sacrũ intulerit, tum pro se & alijs munus excellentius,
Deoq; summo acceptius consecrãrit, & quæ demũm autho-
rem omnium maiore fide, spe & charitate, tamq; reuerenter
ac purè in terra coluerit & adorãrit. Quod illa in Zachariæ
domo iam antea cecinerat, in templo etiam repetere suo iure
potuit inquitens: *Magnificat anima mea Dominum: & exulta-
uit spiritus meus in Deo salutari meo: quia fecit mihi magna qui
potense est.* Longè quidem præstitit veteri Annæ matri Samue-
lis, licet & illa cõmendetur ab orandi instantia & feruore spi-
ritus, ab oblato suo filio, & hostia simul immolata, sed & à Sa-
cerdotis Heli accepta benedictione, simulquè à cantico gra-
tulatorio recitato. An non miranda fuit huius puerperæ mo-
destia simul & obedientia, quando quidẽ pura semper & im-
maculata, sese vltro alijs Israëlitis & immundis admiscuit pu-
erperis: nihil de se sublime vel sentit velloquitur, sed perinde
ac fortis extremæ & abiectissimæ conditionis quædã, à tem-
pli sacri ingressu abstinet, suiquè puerperij præscriptos dies
expectat, ac deinde velut immunda & æqualis alijs, legem pu-
rificationis ad vnguem obseruat? Tulerat quidem hanc le-
gem Propheta Moyses: *Mulier si suscepto semine* (Maria verò
sine semine, & quidem de Spiritu sancto virgo conceperat)
masculum pepererit, immunda erit septem diebus; vt reliqua præ-

Luc. 1.

113.

1. Reg. 1.
& 2.Leuit. 12.
Matth. 1.
Luc. 1.

K

termit-

termittam. Neq; tamen illam pudet aut piget stato tempore in templum prodire, & egenis puerperis adhærescere, quòd in facultatibus tantum non haberet, vt agnum anniculum in holocaustum offerre, suoque munere filiū redimere posset, & idcirco duos turtures, aut duos pullos columbarū adduxit, animo interim parata & cupida nullis parcere sumptibus, quos honorandis tēpli ministris, seruandisq; cerimonijs impendere liceret. Meminero autem perpetuam Deiparæ nostræ puritatem contra impuros hæreticos in animo retinere atque defendere, quoniam & Moyses illam à mulieribus alijs immundis quæ suscepto semine filios concipiunt & pariunt, significanter exclusit, & per Ieremiā vatem prædictum habemus, quòd nouum faciet Dominus super terrā, vt mulier circumdet virum. Nec minùs confirmat Propheta Ezechiel fore, vt intrante & exeunte Domino, porta orientalis clausa iugiter perseueret. Tantum abest vt aliquid in Mariæ conceptu vel partu fuerit impurum aut purgandum, sicut etiam Hidelfonsus & Bernardus disertè testantur. Extat canon Lateranensis Cōcilij sub Martino I. celebrati, & huc planè pertinet, quia Deiparæ Virginis honorē ita vindicat: Si quis secundum sanctos Patres non confitetur, propriè & secundum veritatem Dei Gentricem sanctam semperq; Virginē, & immaculatam Mariam, vtpote ipsum Deum Verbum specialiter & veraciter, qui à Deō Patre ante omnia secula natus est, in vltimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanēte & post partum eiusdem Virginitate, condēnatus sit.] Addam & Sophronium Patriarcham Constantinopolitanū præclare scribentem, quòd Christus Deus Verbū ex inuiolabili & virginali sanguine sanctæ ac immaculatæ Virginis Mariæ veraciter homo prodierit, quodq; Virginem generantem conseruârit, & *ἁγίας* eam propriè & veraciter demonstrârit. Hanc Virginē Matrem ille vocat præclaram, quæ Dei sunt sapientē, ab omni contagione corpōris, animæ & intellectus liberam, in anima corporeq; sanctam, mundam, castam, ac incontaminatam.]

Leuit. 12.

Ierem 31.

Ezech. 44.

In sermone.
de hoc festo.
Canone 3.Sext. Synod.
Constanti
nopolit. a-
ctio. II.

CUM verò Maria suapte spòte eligit subijci, omnesq; ritus veteris Legis diligèter obseruat, docet eo ipso singularè aliorum, præsertim imbecilliorum fratrum rationem habendam esse, ne Christiana libertate, cum cuiusquam offensione, vnuquam preposterè abutamur. Vnde monuit & doctor Gentium baptizatos: *Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem.* Ac alibi rursus: *Quæ pacis sunt scètemur, & quæ edificationis sunt, inuicem custodiamus.* Discã igitur hoc loco, officiosam Mariæ charitatem æmulari, vt de meo etiam iure aliquando cedam, meoq; incòmodo si possim, alienum còmodum proueham. Adhæc Maria nos admonet cum laude nonnulla præstare, & in diuino cultu rectè adhibere, quæ alioqui diuinitus præcepta, & in sacris litteris expressa non sunt, potissimum vt publicum Ecclesiæ ministeriũ honoretur, sacri cœtus & ritus piorum conseruentur, ac demùm sacerdotes cæteri, ministri nostro sumptu alantur atq; foueantur. Sic enim scriptum legimus: *In tota anima tua time Dominum: & sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas.* Ad hunc modũ Tobia fecisse constat, qui non solũ in Ierusalẽ Dei templũ libenter adibat, vt Dominũ adoraret, sed etiam omnia primitiua sua decimasq; suas quæ sacerdotibus inseruiebant, fideliter offerebat. Postremò Virgo sacrosancta me admonet, vt si mundus coram Deo esse cupiam, spiritualis purificationis legem mihi habeam cõmendatam. Nam & Scripturæ verbis crudimur, cum qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam, in Dei tabernaculo habitaturum, nihilq; coinquinatum in cœlestem Ierusalem ingressurum esse. Ac prudenter scribit Augustinus, certa quædam pœnitentiæ tempora ab his qui Ecclesiæ præsumunt, rectè cõstitui, vt Fideles ad maius agenda pœnitentiæ studium excitentur. Nam vt idem affirmat, non sufficit mores in melius cõmutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitũ, per contriti cordis sacrificium

Galat. 5.

Rom. 14.

Eccl. 7.

Tob. 1.

Psal. 14.

Apoc. 21.

Enchirid. c. 65.

Lib. 1. de pœnitentiæ medic. c. 5.

Luc. 18.

cooperantibus eleemosynis.] Optabo demùm & enitar, cum Maria pietatis omnis amante, sicut & cum Anna vidua diuino cultui semper intenta, in templo ritè ac piè versari, magnamquè diuini cultus rationem habere, præsertim vt è templo purificatus, & cum Euangelico publicano iustificatus possim discedere.

Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël.

Isai. 6.
Matth. 13.
Actor. vlt.
Luc. 2.

Ierem. 8.

Matth. 22.
Luc. 14. &
19.

Luc. 2.

BE NE ac præclarè cum Israëlitis agi putabo, si præsentì Simeoni tam venerando seni, & irrefutabili testi, simul & illustri Propheta fidem adhiberent, suæquè visitationis tempus gratiosum agnoscerent, gratisquè animis amplecterentur. Verùm illi, vti solent, oculos habentes non vident, & audientes non intelligunt, quid Maria in templum offerat, quænam Simeon senex omni exceptione maior de nato Messia testeretur, aut Anna vidua religiosissima de illo ipso publicè confiteatur. Surdis enim planè canitur, & cæci in tenebris obstinatiquè persistunt, nullam vt rationem habeant oblata & cõmendata ipsi gratiæ, cum audiunt suum Salutare, Lumenquè nouum ad reuelationem Gentium, ac suæ insuper gentis gloriam & decus à summo Deo paratum ac missum, adesse. Sunt enim brutis pecudibus quodammodò stupidiore, quos meritò Deus illo Prophetico dicto perstringit: *Miluis in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Quare Christus etiam Iudæis hoc obiecit, quòd rebus terrenis dediti, visitationis suæ tẽpus minimè cognoscerent. Verùm hic infelix populus, qui suæ perfidiæ graues pœnas iam pridem dedit, nunc me cõmonefaciet, quàm verè noster Simeon Prophetico spiritu afflatus hodierno die asseruerit, hunc puerum natum, & in templum adductum, multis in Israël ad ruinam, & in signum contradictionis esse constitutum. Tum res ipsa non obscurè comprobatur, nulli nostrum ad sa-

lutem

litem proficere, si vel diuinis fidat promissis, vel acceptis Dei beneficijs cumuletur, aut sancto eruditoque doctore quolibet gloriatur. Etenim isthæc omnia, & alia plura externa præsidia nihil profuere Iudæis, adeoque illos damnabiliores effecerunt, quandoquidem Messiaë venientis gratiâ repudiârunt, & eam fidem, quæ per charitatem operatur, amplecti recusarunt, vt per Christum scilicet illustrati, gratum & obsequentẽ Deo populum exhiberent. Neq; Iudæorũ tantũ, ex quibus pauci dignè suũ receperunt Messiam, sed & Pseudochristianorum, qui Deum factis negant, innumerabilis multitudo perpetuò perit, quoniã venit lux quidem in mundum, sed dilexerunt & diligunt homines magis tenebras quàm lucem, sequẽ tenebrarum operibus, vt Paulus appellat, assuefaciunt, & securè peccant. Ego verò propositũ in Euangelio Simeonem ita spectabo, ac si verè fidelis hominis clarissimũ in eo speculum esset expressum, meque ad illius exemplar, quoad licebit, nitar effingere. Primũ ille sic à Luca depingitur, vt sit in Ierusalem, hoc est, veræ Ecclesiæ cuius minimè otiosus, nec politicè ac ciuilitè tantũ honestus, sed etiã verè pius, siue, vt Zacharias loquitur, in iustitia & sanctitate seruiens Deo. Vocatur ille quidem homo iustus, sed non ratione iustitię, vti vocant, imputatiuæ, ob solam Dei misericordiam fide apprehensam: at quoniã iustitiæ præstandis officijs dat operam, suum cuique ius tribuens. Hæc enim generalis iustitię acceptio frequens est in scripturis, ob quam & Ioseph Mariæ coniunx, & Abel, & Ioannis Baptistæ parentes iusti prædicantur. *Qui enim facit iustitiam*, si nempè primũ crediderit, *iustus est*, Ioanne Apostolo teste, & ppiã iustitiæ mercedẽ scriptura frequenter assignat. Nec solũ Simeon iustus in proximum, sed etiam in Deum timoratus describitur, quia difficile est iustitiã sine timore seruare integrã, & quantò impensius Deum fidelis diligit, tantò solertiũ eundem cauet offendere, ab omni Pharisæico fastu & supercilio semper alienus. Rursus ad præstantis iustitiæ laudem pertinet, hunc Simeonem non minũ alienæ & publicæ, quàm priuatæ ac propriæ

Galat. 5.

Tit. 1.
Ioan. 3.

Rom. 13.

Luc. 1.

Matth. 1.
Matth. 23.
Luc. 1.
1. Ioan. 3.
Psal. 17.
Isai. 3.
Matth. 25.
Sap. 5.

salutis curam gerere non vulgarem, quoniã consolationem Israël cum desiderio expectabat, suis nempe cõmodis ac solatijs cõmunem totius Ecclesiã pacẽ ac vtilitatẽ, quã à Messia pendebat aduentu, longẽ anteponebat. Erat demũm homo verẽ spiritualis, in quo sicut mundo & electo vase, Spiritus sanctus habitabat, per quem ille futura prãscire ac prãdicere, bonos consolari, malos reprehendere, seque ac alios in magnis etiam ærumnis & persecutionibus rectẽ confirmare nouerat. O senem admirabilẽ, magnumq; virtutis ac iustitiã amatorẽ atq; professorẽ, in quo prãpotenter agebat Spiritus sanctus. Ab hoc quippe magistro perspicaces receperat oculos ad Christum puerũ verisimẽ cognoscendũ. Ab eodem duce illis brachijs erat instructus, vt maximũ Dei donum, ipsũq; Dei filium amanter amplecteret, publicẽq; prãdicaret, vt si licuisset, ad eiusdem Messie fidem & amorẽ cũctos pertraheret auditores. Erat ille deniq; sicut & Ioannes Baptista, lucerna ardens & lucens, vt de illius fide, doctrina, vita & moribus nullus meritò ambigere possit,

Ioan. 5.

Dolebo interim, tot tantarumq; virtutũ fructus à me procul abesse, quoniam huius optimi senis & Spiritus & ardor in me frigent, egoq; tali hospite, quẽ ille familiarẽ habebat, destitutor, & idcirco diuina illa verba, responsa & promissa non percipio, neq; cũ illo in Christo salutari, rebusq; sacris exulto, neq; ad beatum moriendi desiderium totus aspiro. Permulta in me desiderantur, quã in hoc Euangelico viro cumulata reperiebantur. Fuit ille non modò ciuis, sed etiam ornamentũ Ecclesiã, iustus non solũ fide, sed etiam operibus, Deum cognoscens & amans, verbo efficax, nec minũs vita moribusq; constans, vt pijs alijs prælucet, fidus Dei Ecclesiãq; minister, ac deniq; pauperũ consolator. Vbi nouis non credam Sectarijs (Sacerdotũ coniuratos hostes eos nõ vanẽ dixeris) qui hunc Simeonẽ Sacerdotem legis agnoscere dedignantur, quẽadmodũ tamen ^a Epiphanius, & ^b Cyrillus Hierosolymitanus, & plures alij veteres astruũt. An non Sacerdotis est propriũ ea prãstare munia, quã noster Simeon

a Lib. de Prophetar. vita & inter.
b Orat. de occurſu Domini.

graniter in templo præstitit, nempe non humana, sed diuina seriò tractās, fidem in Deum & præsentē Mesiām ardentè exercens, Dei laudes publicè celebrans & decantans, diuinis de rebus pro concione differens, cum infantis IESU parentibus piè colloquēs, & benedictionem illis impudēs. Nam & sacerdotes Mosaici conceptis verbis, quorum in purificanda puerpera, & in benedicendo populo solennis erat mos, ex lege Moyſi utebantur. Tum ex veterum Iudæorum libris animaduertimus, hunc Dauidicæ familiæ senem, Hillelis filium, ex nobilissimis & doctissimis fuisse viris, quorū consilio annis ferè centum synagoga utebatur. Augustinus quidem licet sacerdotem illum non exprimat, tamen senem famosum, annosum, probatum & coronatum appellat, qui Christum coram non modò cognouerit, sed etiam adorarit, cum illa verba diuina proferreret: *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* quæ sanè dulcissimā & cygneam planè cantionē continent. Ego quoties ad sacram Eucharistiā sumendam accedam, libenter huius magni viri meminero, vt ad eius exemplum me componā rectiùs. Abiectis igitur curis & cogitationibus alijs in spiritu templum adire conabor, & Christum illic mihi verè præsentem statuam, quem non modò desideranter, sed & humiliter ac reuerenter adorem atq; contingā. Præterea me totum in laudes diuinas effundā, & admirabundus hoc tantū lumen aspiciā, meumq; salutare ardenti quodā affectu complectar amantissimè, ita vt humana despicere, & duntaxat in spiritualibus æternisq; rebus versari videat. Huc referam illa Scripturæ dicta: *Apprehendite disciplinam,* siue vt alij vertunt, *Osculamini filiū. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Mihi mori lacrum est, & viuere Christus. Exaltate Dominum Deum nostrū, & adorare scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Postremò illis fidelibus ex animo gratulabor, qui Iudaicæ ingratitude ac infidelitatis fugitantes, verè se Simeones exhibent, vt non modò præsens exhibitæ gratiæ tēpus agnoscant, sed & Chri

Leuit. 12.
Numeri 6.
Vide Rabbi
Mosen Aegy
ptium & R.
Abraham.
Sermone 9.
de natiuit.
Christ.

Pfal. 2.
Pfal. 33.
1. Cor. 6.
Pfal. 83.
Philipp. 1.

Pfal. 98.

Philipp. 1.

Philipp. 3.

Psal. 41.

In oratione
39.

stum ipsum, tanquā pretiosissimum thesaurū ardentibus grati-
tisq; animis cōplectantur, in illo consolationē ac pacem inti-
mam sentientes, adeoquē mundi rebus & voluptatibus re-
nuntiātes, vt mortē ipsam ex vero Christi amore subire con-
cupiscant. Nam & illi cum Paulo dicere consuecunt, *Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo. Saluatorem exspecto Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Nec dissimilis Prophetæ vox est: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem & iuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Quòd si Nicetam Gregorij Nazianzeni scholiasten antiquū sequimur, Simeon cōmodè dici poterit, quisquis piē ac religiosē diuinum, & de Deo pertractantem sermonem complectitur, purisquē animæ oculis Deum agnoscit.]

De Festi huius recepto vsu externoq; cultu, qui in templis Catholicis de more veteri exercetur.

Matth. 16.
Marc. 8.

Matth. 7.

Matth. 18.

Hebr. 13.
1. Cor. 6.

VALDE mihi cauebo non solū à veteri Iudæorum, sed etiam à nouo Sectariorum fermento, temerarioquē supercilio, quando quidem hi venerandam matrē, Christi quē sponsam Ecclesiam hodie prorsus indignē conuellunt atq; contemnunt, vt eam etiam in sacro cultu ethnicae ac superstitiosae vanitatis audeant infimulare. Ego verò vt legitimū filium Ecclesiae decet, in primis meminero diuini verbi, quo sancitū habemus: *Nolite iudicare, vt non iudicemini: nolite condemnare, vt non condemnemini. in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Qui Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Obedite p̄positis vestris, & subiacete eis. Maledici regnū Dei non possidebunt.* Quantò autem crassior istorum est petulantia, & procacior calumnia in hoc festo, veterisquē Ecclesiae instituto arrodendo, tantò mihi studiosius contendendū est, vt meam & Catholicam fidem solidē confirmē ac liberē profitear, nihil vt remittam de officio Christiano in sanctae fidei aperta cōfessione, & in autoritate Ecclesiae ingenuē con-

seruanda.

seruanda. Est enim firma & irreuocabilis Domini sententia: *Omnis qui me confitebitur corā hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Qui autē me erubuerit & meos sermones* (sicut & veram Ecclesiam) *hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Quarè nec me pigebit sanctum eximiumque Prophetam Dauid regem imitari, qui à superba vxore Michol irrisus, ad eò ab instituto suo in arca Dei solenniter deportanda non destitit, vt suum etiam pium studium ac propositum inde auerit, planèque dixerit: *Vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Præterea ego Patres maioresque nostros grauisissimos sapientissimosque viros, quorū terminos transilire Salomō vetat, in eò laudandos putabo, quòd ex hodierno Euangelio collegerint formā aliquam seruandæ, vt vocamus, processionsis, quæ in hunc diem vsque obtinet. Etenim sicut Bernardus rectè dixit, offerunt Ioseph & Maria sacrificiū laudis, sacrificium matutinū, Simeon & Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solennibus hodie gaudijs ad memoriam reuocatur.] His adiungit Catholicum ritum, quo bini & bini solent procedere, & candelas habere in manibus, easque succēsas igne, qui prius in Ecclesia sacerdotali benedictione sit cōsecratus. Tum ex Bedæ, Idelphonfi, & aliorū veterum homilijs de hoc festo habitis conuinci facilè potest, hūc processionsis morem ante nongentos annos passim à Catholicis receptum probatumque durasse. Cur igitur ego ab optimis Patrū institutis, & maiorum vestigijs leuiter degenerē, si nomen retinere Catholicum, & secundum diuinam ac naturalem legem honorem parentibus præstare debitum velim? Neque verò inutilis ac vana isthæc ceremonia videri potest, quāuis nemo per illam se iustificandum esse credit, quoniam historiā Euangelicam nobis quodāmodo repræsēntat, & eò spectantes pro-uocat, vt aliqua ex parte iusti Simeonis exēplo conformentur. Qua de re suo seculo Rupertus Tuitiensis in hunc modum scripsit: In purificatione sanctæ Mariæ id eò candelas

Math. 10.

Luc. 9.

2. Reg. 6.

Prou. 22.

Serm. 2. de
purificat.
Virgin.Exod. 20.
Ephes. 6.Lib. 3. de di-
uinis offic.
c. vltim.

Ioan..1.

portamus, vt felici gaudio iusti Simeonis aliquatenus participemur, qui Christum infantem gestans in vlnis, agnouit & confessus est paratum ante faciem omnium populorū, lumen ad reuelationē gentium. Hoc enim signo cōmioniti exterius, ipsum verum lumen, quod illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum, in mente nostra fidei vlnis arctius attingimus, & absentia eius corporalē, sursum tendentibus desiderijs gementes quærimus, quærentes gemimus.] Rursus hic ritus externus confert ad veræ fidei doctrinam retinendam & confirmandam, quæ & iam olim, & hoc tempore à multis impuris oppugnatur, nimirum de Mariæ virginitate integrè conseruata, & nullo vnquam tempore ante partum, in partu & post partum violata. Etenim quemadmodū apes non sine opere virginali ceram & mella producant, sic nos monet præfens cerimonia, Mariam semper purissimam, salua vteri sui virginitate, illum nobis concepisse & genuisse, qui mundi saluator est, idemque Dei & hominis filius. Accedit quòd eodem ritu quiuis facillè commonetur Euangelicæ doctrinæ, quam Christus ore suo sacro tradidit de prudentibus virginibus, quæ non sine lampadibus accensis ad felices sponsi nuptias prodierunt. Nec ignotus est Euangelij locus: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quòd si sapio, hæc mysticè intelligā, & diuini verbi memoriam in me confirmabo, & per eundem cultū externum de illa quoque Christi sententia cogitabo: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Quidquid igitur garriant calumniatores, hæc qualiscunq; cerimonia, si pius accedat animus, à verbo Dei nullum abducit, sed ad scriptum Dei verbum recolendum excitat, & quasi manu ducit.

Matth. 25.

Luc. 12.

Matth. 5.

EO QUÆ MAGIS dolebo ex animo, furiosum huius mundi ac tenebrarū principem, qui nunc regnat maximè, in spargendis & cōfirmandis erroribus ad eò passim inualescere, ac simul in plurimis conceptum veteris Ecclesiæ odium augere. vt nihil propemodū de illa ipsa candidè sentire, & honori-

ficè

ficè proloqui velint ac possint. Non illis est iam Ecclesia, quã turpiter deseruerūt, id quod à Paulo dicitur, domus Dei viui, colūna & firmamentū veritatis, & sicut sæpè Patres vocant, arca vnica electorū. Neg; hanc illi agnoscunt, vt Christus sæpè testatur, pro regno cœlorū, neque Salomoni credunt, hãc castrorum aciem esse ordinatã, sed immane chaos, & Babylo- nicam nescio quam meretricẽ, quæ omnem veteris habitus & decoris speciẽ amiserit, ex vera Ecclesia nobis extruere mo- liuntur. O cæcos ac ridiculos rerū aestimatores, qui pro sua libidine fingunt Ecclesiam, qualis nunquã in Oriente & Oc- cidente visã vel audita est, Ecclesiã inquam, quæ suo Episco- po, Sacerdote & sacrificio careat, & in qua nec altare, nec lu- mē, nec signum sanctæ Crucis appareat, & Crucis quidē ini- micis plena sint omnia, vbi denique ad Dei gloriã, & sacrorū reuerentiam pijquẽ cultus maiestatem non honestè & secun- dū ordinem, sicut Paulus præcepit, sed confusè, perturbatè ac tumultuanter cuncta peragantur. Offenduntur interim isti cum suo damnato duce & magistro Vigilantio, quod ce- reorum & luminarium vsū Catholici retineamus. Quid ni veròr cū sine luminaribus nunquam fuerit Ecclesia, vt po- te quorum antiquissimã consuetudinem scriptores veteres, sicut ^a Eusebius, ^b Nazianzenus & ^c Hieronymus, abundè confirmant, vt rem clarissimã ne ipsi quidem aduersarij pos- sint inficiari. Porrò vrit eos Sacerdotum mos in benedicen- do fertratus, qui ad eò receptus ac probatus in Ecclesia durat, vt à ^d Basilio magno ad Apostolicam traditionem referatur, & à ^e Clemente Petri discipulo non obscure stabiliatur. Nec est sanè inanis & irrita Ecclesiæ precatio, quam sacerdos ad- hibet, vt ipsã creaturã quæ benedicuntur & sanctificantur, sa- cris mysterijs seruiant, diuinãq; gratiã ad salutes credentiū vsus sumant effectum, vt quẽ salubritas per inuocationẽ diui- ni nominis expectata, ab omnibus impugnationibus sit defen- sa per Christum Dominum nostrum. Ecclesia certè Christo charissima sponsa, maiorem benedictionem, maioraquẽ do- na Dei expectat & percipit ex hoc Sacerdotum ministerio,

quã

1. Tim. 3.

Matth. 13.
22. & 25.
Cantic. 6.

1. Cor. 14.

a Lib. 6. eccl.
histor.
b Monod
Basil.
c Lib. con.
Vigilan.
d Lib. de Spi-
ritu sancto.
c. 37.
e Lib. 8. Con-
stit. c. 34. 35.
& 36.

Num. 5.

Epist. 86. ad
Casulan.

1. Cor. 11.

2. Theff. 2.
Matth. 18.
Philipp. 4.Marc. 6.
Iacob 5.

quàm vetus & sterilis illa synagoga percepit: ideoquē Christi-
 stiani sacerdotes, quando cōmuni Ecclesiā, adeoque Christi
 nomine benedicunt, rebus ipsis quæ benedicuntur, longè am-
 pliorem & efficaciorē quàm legis antiquæ ministri, gratiam à
 Deo impetrant applicantquē. Verūmenimverò aduersarij
 nostri semper eundem nobis garrītū occinunt, & identidem
 clamant, Vbi scriptum est in nouo Testamento? Respondet
 cum Catholicis omnibus Augustinus: In his rebus, de qui-
bus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & in-
stitutā maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut præuaricato-
res diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarū con-
suetudinū coercendi sunt.] Friuolo igitur fundamento ni-
 tuntur, qui contendunt, nos expresso Dei verbo sic alligari,
 vt sit nefas præter scripta in Biblijs quicquam vel credere, vel
 docere, vel seruare in Ecclesia. Nobis quippe Catholicis est
 satis, ea quæ sunt rectæ fidei & religioni consentanea, licet a-
 pertè in sacris litteris conscripta non extent, tamē in ipso Dei
 verbo scripto nō prohiberi, sed ea vel ad Apostolicas tradi-
 tiones, quas cōmendat & Paulus, vel ad inuiolabilem Eccle-
 siæ autoritatem, quam Christus quoq; cōfirmat, referri pos-
 se, vel cum honestate & vtilitate publica cōgruere. Huc enim
 spectat Apostolica regula, *Quæcunq; sunt vera, quæcunq; pud-*
ica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq;
bonæ fame, si qua virtus, si qua laus discipline, hæc cogitate. Cæ-
 terū habēt isti cum impijs Arianis hoc quoque ibi cōmū-
 ne, vt in disputatione ad solas prouocēt Scripturas cōfiden-
 ter, ac interim contra Dei verbum expressum sibi multa pas-
 sim arrogare, atq; Ecclesiæ derogare nō erubescant. Cur e-
 nim, vt obiter hoc addamus, nō ipsi sabbatinum cum Iudæis,
 sed nobiscum Dominicum celebrāt diem? Qua de causa exte-
 remæ vnditionis quam vocamus, vsū omnem abijciunt, de
 qua luculenter in Scriptura legimus? Cur baptismum sacra-
 mentum appellant? Quis nescit, quod nouos ritus, atque
 nouam politiam Ecclesiasticam in suas inuehant synagogas,
 nec solū in ritibus, sed in ipsa etiā doctrina persæpè dissens-
 tiant,

tiant, & circa Eucharistiam sine fine pugnent? Quam igitur fidem nos illis tribuamus, qui nō solum pios huius diei ritus, verum etiam sacra ferē omnia, & quæcunque à Sacerdotibus consecrantur, more suo vt Iudei, deridēt & cōspuunt? Consulant porrò, si velint, solennes Ecclesiæ preces, quibus in benedicendo sacerdotes vtuntur: nihil sanè illic superstitionis aut vanitatis inuenient, sed præpotētis Dei gratiam & opē implorari, veramque fidē exerceri sentient, nimirum vt, sicut doctor Gentium loquitur, creatura per verbum & orationem sanctificetur. Quæ verba tractans Chrysostomus, notat signū crucis cum prece cōiunctum, vim habere sanctificandi siue benedicendi, vt quod sanctificatur, sicut Gregorius Nazianzenus & Hilarion panem & oleum sanctificauerunt & cruce cōsignauerunt, per implorationem auxilij, quæ sit in verbo Dei, virtutem quādam accipiat spiritualem, qua nobis in hac vita miserè laborātib; & nūquam in eodem statu permanentibus, rectius prospiciatur. Siquidem & Scriptura diuina, & rerū magister vsus perspicue docēt, terram & mundum hunc inferiorem post primi hominis lapsum Dei maledicto subesse, mūdiq; principem Satanā in hominis perniciē continēter intentum huc tendere, vt rerum etiam bonarum vsus credentibus interuertatur, nobisq; detrimentum, vel perniciem adferat. Tum singulari Dei virtute accidere comperimus, vt aquæ, sicut vocāt, benedictæ, quæ nō computrescit, & cereorū aliarumque rerum quæ à sacerdote Catholico benedicuntur, aduenticulis, artes diabolicæ frangantur atq; dissipentur, sæpèque credētes aduersus magicas incantationes, & veneficarum præstigias atq; machinationes mirum in modum defendantur, ac illæsi præmuniuntur. Despiciant isti, ac prore magica ducant signum sanctæ Crucis, quod sicut alibi mōstrabimus, præsentem & efficacem cōtra dæmones armaturā esse vniuersā profitetur antiquitas, & Ecclesia semper venerata est. Nos cum Augustino cōstāter asserimus, omnia quæcunq; sanctificantur, nimirum à Sacerdotibus, hoc signo Dominicæ crucis, cum inuocatione diuini nominis cōsecrari Et

sicut

1. Tim. 4. &
ibidē Chry-
sostomus.

Orat. 19.
Vide Hiero-
nym. in vita
Hilarion.

Job 14.

Genes. 3.

1. Pet. 5.
Ephes. 6.

Serm. 19. de
Sanctis, &
Tract. 118.
in Ioan.

Serm. de baptismo Christi.

a Lib. 4. epistol. 7.
b In 1. ad Corinthin. caput 15.
c Lib. 1. de symbolo c. 1.

sicut Cyprianus asserit, sine hoc signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum.] Demum ex cōcordi Patrum sensu atque cōsensu, quem omnium nouatorū figmentis & opinionibus præferimus, certum & indubitatum habemus, Deum publico Ecclesiæ suæ Catholicæ ministerio semper & clemēter adesse, qui per legitimos ministros in Sacramentis, atque ut appellāt, in Sacramentalibus operetur, & nunc quidem longè ampliùs & efficacius, quàm olim sub veteri lege factū fuit, orando, benedicēdo, adiurādo, atque, ut vocāt, exorcizando. Proinde tum Græca tum Latina Ecclesia sicut benedicēdi, ita & exorcizandi proprias semper formulas habuit, & proprios illarum effectus vel inuitis dæmonibus passim experta est, quemadmodum ^a Cyprianus, ^b Chrysostomus & ^c Augustinus luculenter ostendunt. Verum de his agere pluribus, nimis longum videatur.

DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro Iudæis & incredulis, ut Christiana fidei luce vera donati, intus purificentur, atque ad sanctum Ecclesiæ Catholicæ templum veniant, ibique nostro Messia debitam testentur obedientiam, sicut Simeon hodierno die testatus est.

PRECABOR & pro fidelibus in Ecclesiæ templo versantibus, ut Christi redemptoris & Deiparæ virginis sanctam humilitatem ac obedientiam sibi frequenter ob oculos ponant, ac præterea usum spiritualis purificationis, quo indigemus omnes, haudquam intermittant. Ita enim scriptum est: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

2. Cor. 7.

ORABO & pro ministris Ecclesiæ, ac Sacramentorum dispensatoribus, ut cum Simeone insitiam induant, sintque timorasti, diuini honoris ac boni communis amantes, & in templo maxi-


me

mè spirituales, qui suum ministerium fideliter impleant, non querentes quæ sua sunt, sed quæ aliorum, & maximè quæ sunt IESU CHRISTI.

Philip. 2.

PETAM & mihi à Deo gratiam dari, ut Spiritus sancti gratia magis ac magis illustratus, omni vitiorum caligine caream, mihiq; Christus lumen sit verè illuminans, per quem purgato mentis oculo, verè diuina cognoscam, & reuerenter sacramentem aut venerer mysteria.

COMMENDABO & alios, præsertim amicos & familiares, Domino, ut illi hoc anno ex viuis migraturi, non nisi probè parati, & Ecclesiæ sacramentis muniti, in pace dimittantur.



IN DIE FESTO

B. MATTHIAE

APOSTOLI.

Sequentis Euangelij Argumentum.

RARA quædam & eximia sunt, quæ Christus in hoc tractat Euangelio. Exultat & diuina gestit læticia in Spiritu sancto, Patrem æternum cœli terræque dominum confiterur ac laudat, præsertim ob admiranda eius iudicia, inter Iudæos & Gentes, inter electos paruulos & reiectos mundi sapientes sese offerentia. Ad Dei voluntatem porrò refert omnia, seq; illi facit æqualem, quandoquidem tam exactè & perfectè Patrem nouit, sicut Pater ipse nouit Filium, & omnium rerum potestatem ac dispensationem tradit eidem filio, & per eundem reuelat paruulis, sicut & illis Filius seipsum reuelat, non excluso in-

terim,

Collation.
24. c. 23.

2. Cor. 12.

Philip. 3.

Matth. 16.

1. Timoth. 6.

Matth. 10.
2. Cor. 12.

terim, sed in cluso Spiritu sancto. Adhæc Christus ad se, tanquam ad bonorum omnium fontem ac largitorẽ, amanter inuitat omnes, cuiuscunque conditionis & ætatis homines, siue legis Mosaicæ, siue vitiorum pondere grauatos, & quocunq; afflictionum, miseriarum & curarum huius vitæ onere pressos, quibus partim certum promittit refrigerium atq; remedium, partim Euangelicæ legis iugum imponit, & à quibus etiam magnarum virtutum (manluetudinis & humilitatis) officium exigit, quas illi à se magistro peculiariter discant. Quod autem iugum suum non molestum & asperum, sed suauẽ & commodum, & præterea onus suum non graue, sed leue ac portatu facile hoc loco facit, id apud Calsianum quibusdam exemplis sic legitur explicatum. Quid graue poterit esse, quid durum ei, qui iugum Christi tota mente susceperit, qui vera humilitate fundatus, semper ad Dominum respiciens, in omnibus quæ sibi fuerint irrogatæ, lætatur iniurijs, dicens, Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, in passionibus, in angustijs pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum? Quo, inquam, familiaris rei cruciabitur damno, qui perfecta humilitate gloriosus, voluntariè pro Christo vniuersas huius mundi respuit facultates, omnesq; eius concupiscentias generaliter arbitratur vt stercorea, vt Christum lucrifaciat, Euangelici illius præcepti meditatione, cunctorum dispendiorum æstus despiciens & excludens? Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Super cuius rei priuatione tristabitur, qui omnia quæ ab alijs auferri possunt, sua non esse cognoscit, illud inuicta virtute proclamans: Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quia nec auferre quid possumus? Cuius autem inopiæ necessitate, eius superabitur fortitudo, qui peram in via, æs in zona, vestem in tempora habere non nouit, sed cum Apostolo gloriatur: In ieiunijs multis, in fame & siti, in frigore & nuditate? Quis labor, quodue tam arduum senioris præceptum, tranquillitatem pectoris eius poterit perturbare, qui nullam habens propriam vo-

luntatem, omnibus quæ sibi fuerint imperata, non solum patienter, sed etiam grater occurrit, nostriq; Saluatoris exemplo, non quærit suam, sed Patris facere voluntatem, dicens & ipse ad Patrem suum: Veruntamē non sicut ego volo, sed sicut tu? Quibus etiam iniurijs, qua persecutione terretur, immò quod ei non etiam iucundum potest esse supplicium, qui in omnibus plagis cum Apostolis semper exultans, optat vt dignus habeatur pro nomine Christi contumeliam pati?] Quæ omnia demùm hoc pacto concludit: Vt autem nobis econtrariò iugum Christi non leue nec suaue videatur, contumaciæ nostræ est iustius adscribendum.] Atque huc refert dictum illud Ecclesiastæ: Labor stultorum affliget eos, qui nõ cognouerunt ire in ciuitatem, illam scilicet Ierusalem cœlestem, quæ est mater omnium nostrum.

Ioann. 4.

Matth. 26.

A& 5.

Cassian. ibi-
dem c. 24.

Eccles. 10.

Galat. 4.




EVANGELIUM MAT-
thæi XI.



IN illo tempore respondens IESVS dixit, Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. ita Pater: quoniam sic fuit placitū ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit Filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.





NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Confiteor tibi Pater domine cœli & terræ, quia
abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus,
& reuclasti ea paruulis.*



NON parum lucis mihi attulerit, si quo tempore, & quamobrem Christus hoc Euangelium pronuntiauerit, primùm in memoriam reuocauero. Dixit isthæc sanè, postquam discipuli ex Euagelica prædicatione redierunt, & gloriari visi sunt, quòd nò solùm docere, sed etiam demones abigere & patrare miracula possent. *In ipsa hora, inquit Lucas, exultauit IESVS spiritu, & dixit, Confiteor tibi Pater, domine cœli & terræ.* Discipulis verò dixit: *In hoc, nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Tam prudenter Dominus illorum hulus attigit, quos ne læto rerum successu inflarentur, submonitos voluit, ac immoderatum gaudij affectum ad maiorem modestiam, ne sic gloriari pergerèt, reuocauit. Moxquæ conuersus ad Patrem, non solùm gratias egit, sed etiam ab illis agēdas esse, proposito exemplo suo nò obscure monstrauit. Gratias autem agit ob sparsi Euangelij primordia feliciter cœpta, in quibus diuina voluntas ac virtus per paucos paruulos magis, quàm per omnes mundi sapientes & proceres, iam operaretur. Perinde ac si dicat: *Qui gloriatur, non in se ipso, vel in carne, vel in miraculis, sed mecum in Domino gloriatur.* Vnde discam & ego, sublimes oculos, sicut Salomon loquitur, fugere, & cum arrogātia elationeque Pharisæica nihil habere cōmune: ac proinde mea benefacta nec prædicabo, neq; iactabo, vt & totum & partē eo-

Luc. 10.

i. Cor. 1.

Ierem. 9.

Prou. 6.

rum,

rum, quæ rectè gerere videor, illi vni, à quo bonum omne descendit, clam palamque adscribam & tribuam. Non enim temerè scriptum legimus: *Regi seculorum immortalì, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum.* Ac iterum: *Magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur.* Quod si fortassis, vt fieri solet, arrogantia, præsumptionis, vanæ gloriæ ventulus afflauerit, paruulos ad petram allidam, Deo suam gloriam tribuens, & cum Psalmographo dicens: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Omnis enim qui se exaltauerit, humiliabitur. Abominatio enim Domini est omnis arrogans,* teste Sapiente.

Potest & alia ratio à Iudæis accepta reddi, quare Christus hoc loco & rarò aliàs, lætam gratiarum actionem Patri offerat suo. Nam ille paulo antè, sicut Matthæus meminit, tribus populis seu ciuitatibus, Corozaim, Bethsaida & Capharnaï, atq; in illis ipsis omni Iudaismo, scdam incredulitatem ac apertam impietatem exprobrauerat, quòd suæ visitationis, & oblatae per Euangeliū salutis tempus minimè cognouissent. Cùm ergo præuideret, obstinatos Israëlitas, quātumlibet sibi prudentes viderētur, iusto Dei iudicio obcæcandos atq; condemnandos, & Christianum populum Iudaico breui successurum esse, ita vt sub nouo rege & Euangelio in melius cuncta conuerterētur, æterno Patri lætissimè gratulatur, & sanctam eius voluntatem atq; iustitiam in relinquēdis Iudæis, & Gentibus assumendis comprobatur. Hinc discam & ego, nō curiosè scrutari, sed piè cōmendare arcana iudicia Dei, & futuros rerum euentus fidenter illi cōmittere, meamq; voluntatem cum Dei volūtate semper tenere coniūctam, & in bonam partem accipere omnia, siue læta siue tristia, & qualiacunq; demum in fidelibus & infidelibus offerāt sese. Etenim cor firmum & spiritum inuictum, cum Iob patienti & longanimo viro præstabo, & ad omnem euentum Deo confisus dicam: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. sit nomen Domini benedictum.* Sed & Prophetam Dauid secutus, repetam illud: *Si consistant aduersum me castra, non*

Iacob 1.

1. Tim. 1.

Eccl. 3.

Psal. 137.

Psal. 113.

Luc. 18.

Prouer. 16.

Matth. 11.

Iob 1.

Psal. 26.

*timebit cor meum. si exurgat aduersus me praelium, in hoc ego sperabo. Quod si veras causas diuinæ voluntatis assequi nō possumus, (Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestre, nec via vestre via meæ, dicit Dominus) admirari certè possumus, & laudando Deum vnà cum Paulo dicere debemus: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Vt enim idem affirmat Apostolus, Voluntas Dei quis resistet? O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorè: aliud verò in contumeliã? Peculiariter autem hic Euangelij locus admonet, quãti Christus nō potentes & sapientes huius mundi, sed suos paruulos faciat: horum enim nomine ingentem capit lætitiã, & singulares Deo Patri gratias agit; illis ipsis arcana, & reliquis abscondita mysteria cum beneuolentia summa reuelat, atq; manifestat. Vbi ego quosdam ætate, & alios animi simplicitate, humilitatè ac innocentia paruulos esse distinctè perpendam. Idem enim Christus mirum quàm tenerè paruulos amet, studiosè curet, ac paternè benedicat, quibus & contra murmurantes discipulos fideliter patrocinatur, inquit: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere, ad me venire, talium enim est regnum Dei.* Parem verò ac fortassè maiorem curam eorum sustinet, qui sunt, vt Paulus vocat, malitia paruuli, quoniam nihil mali cuiquã inferunt, & sua humilitate ac innocentia contenti, modestè viuunt, vt Christi oues electæ & spiritu pauperes possint appellari. De his in Christi persona dixit Zacharias: *Conuertam manum meam ad paruulos.* Ac Paulus de seipso dicere nō veretur: *Facti sumus sicut paruuli in medio vestri.* Ardenter igitur desiderabo, his Euangelicis paruulis aggregari, qui in Christi Ecclesiæq; schola instituti, nihil habent antiquius sinceræ fidei simplicitate, ac suum intellectum omnem in Christi captiuat obsequium, illosq; canones obseruant Apostolicos: *Idipsum inuicem sentientes. non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.**

Isai. 55.

Rom. 11.

Rom. 9.

Matth. 19.

Marci 10.

1. Cor. 14.

Ioan. 10.

Matth. 5.

Zach. 13.

1. Theil. 2.

2. Cor. 11.

Roman. 12.

metipsos.

metipfos. Ex hisce paruulis erat nobilis ille piscator, qui à Christo audire meruit: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in caelis est.* Sed & primi, maximè què paruuli per Christum ipsum edocti fuerunt, quibus dicitur: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Horum propria est cōfessio: *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Ac eiusmodi paruuli etiam nū efficiuntur, Deique verbum præ alijs intelligunt, qui secundum Salomonem neque ad dexteram neque ad sinistram declinant, sed velut inter medios errores & abusus regiam tenent viam orthodoxæ fidei ac sinceræ vitæ, illamquè in offenso pede perambulant. Norunt etenim quod scriptum est: *Cauete ab hominibus. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulentè incedet.* Rectè autem & præclare Salomon tradidit: *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia. Qui communicauerit superbo, inquit Sapiens, induet superbiam.* Quare cogitabo, me Christi paruulum esse non posse, nisi tempestiuè ac studiose ab eorū cōmercio abstinuero, quos Christus hinc mundi sapiētes ac prudentes, Paulus verò animales appellat. In his primas tenent fastuosi Pharisei & Scribæ, Iudæorum Rabbini, Christo autem & Apostolis hostes infestissimi. Illis proximi sunt Ethnicorum philosophi, suis opinionibus & sectis licet fallacibus ac impijs, vanè gloriantes, quos Hieronymus gloriæ animalia, & popularis vitæ mancipia non iniuria vocat. Succedunt illis omnibus hæretici, sensu suæ carnis inflati, zelum habentes & æmulationem Dei, sed nō secundum scientiam, scientia præditi quæ inflat, sed charitate quæ viuificat, destituti, qui non sapiunt ad sobrietatem, sed plus quàm oportet sapiunt, quoniã perinde ac Gnostici, sese sapiētiores ac doctiores esse confidunt quàm cæteros, immò Ecclesiam vniuersam. De his meritò illud Apostolicum vsurpamus, *Dis*

Matth. 16.

Luc. 8.

1. Cor. 2.

Prou. 4.

Matth. 10.

Jerem. 9.

Prou. 11.

1. Cor. 3.

Epist. ad Iulian.

Coloff. 2.

Rom. 10.

1. Cor. 8.

Rom. 12.

Rom. 1.

Jerem. 8.

2. Pet. 3.

2. Cor. 2.

Hierem. 23.

Matth. 23.

Matth. 23.

2. Tim. 2.

2. Tim. 2.

Matth. 21.

Eccl. 10.

Ibid.

Luc. 11.

centes se sapientes esse, stulti facti sunt. Illudque Propheticum: *Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.* Quid enim est projicere verbum Dei, nisi hoc ipsum depravare, adulterare, ac furari, & in sensum alienum rapere, ut ex verbo Dei fiat toxicum diaboli? Prohibet sane Christus plures fieri magistros, quoniam unus magister noster in caelis est; is vero suos magistros & doctores nunquam non ponit & conseruat in Ecclesia, ut ab illis veram & salutarem discant sapientiam filij Dei, atque Christum in illis loquentem ex ipso doctrinae consensu cognoscant. *Ecce, inquit, ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & scribas.*

Postremo satis mihi non erit Christum Dominum in Spiritu sancto exultasse, & sicut ob reiectos Iudaeos, ita etiam propter gentes assumptas aeterno Patri gratias persoluisse. Conabor & ipse, quoad licet, hoc supremi Domini & magistri mei exemplum imitari, ut letitiam spiritualem meis precibus adiungam, & siue ad rempub. Christianam certis in locis accessio, siue diminutio fiat, magnam Dei sapientiam iustitiamque commendem. Etenim *Dei verbum non est alligatum*, sed ab alijs provincijs ac gentibus ad alias subinde transfertur, mirabili quidem & nobis inscrutabili, sed iusto tamen semper iudicio Dei, *qui cognouit qui sunt sui.* Quare Iudaeis Christus id praedixit fore, quod nos factum cernimus: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius:* satisque iam comprobatum habemus quod scripsit Ecclesiasticus: *Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diversos dolos.* Ac rursus: *Exhonoravit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos usque in finem, sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Proinde non leuem causam habeo me ipsum accusandi, quod in laudando Deo sim parum exercitatus, quodque maiorem spiritum in me non excitem ad diuina beneficia pie meditanda, ut hinc confletur ignis quidam deuotionis, qui cor meum frigidum calefaciat, & ad authorem suum amandum atque in omnibus celebrandum inflamet. Ita enim a me quoque dici posset: *Spiritus meus*

exul-

*exultauit in Deo salutari meo. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum uiuum. Quem admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum. Est sanè Christiani officij proprium, Deo Patri, sicut Paulus hortatur, propter Christū semper & pro omnibus agere gratias, & ardenti pectore laudes celebrare diuinas, vt verè vnusquisque testari possit: *Benedicam Dominum in omni tempore. semper laus eius in ore meo.* Id verò cum facimus, munus Angelicū exercemus, nosque Deo deuotos & sanctorū ciues esse testamur. *Beati enim qui habitāt in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.**

Pfal. 83.

Pfal. 41.

Ephes. 6.

Pfal. 33.

Pfal. 83.

*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,
& ego reficiam vos.*

VERE dignum & iustum est, me Christo Dominò gratias agere, qui tanta cunctos Adæ filios charitate cōplectitur, vt eos à se suaque gratia vt merebantur, non submoueat, sed vltro etiā illos ad te clementer inuitet, sui que copiam illis amanter faciat, quādo cunq; ipsis libet summā Redemptoris sui gratiā experiri. An quicquam dulcius & optabilius fingi potest, quā quod summus ille cœli terræque Monarcha ore sacro deprompsit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Nec dissimilia sunt quæ alibi nobis idem salutis nostræ auidissimus Mediator inculcat: *Omnes sitientes venite ad aquas. Ego sum panis vite. Qui venit ad me, non esuriat, & qui credit in me non sitiet vnquam. Eum qui venit ad me, nō eijciam foras. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, nō sitiet in aeternum. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui sitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vita gratis.* Hæc varijs quidem modis exprimentur, sed idem ferè complectuntur, ac eodem planè spectant, vt nullus ignoret, ob isthæc ampla promissa, quæ satis explicari nequeunt, Christum liberalem, munificum, nostri amantē ac profusum esse bonorū omnium largitorē, & fontem, qui omnibus omnium mortalium votis ac desiderijs ho-

Isai. 55.

Ioan. 6.

Ioan. 4. & 7.

Apoc. vlt.

Rom. 10.

Deuter. 1.

Deuter. 20.

Isai. 25.

Isa. 40.

nestis ac pijs velit possit quæ satisfacere. Et ne quisquam liberi arbitrij impotentiam aut debilitatem excuset, neque sese propter exiguitatem ac indignitatem ab hac gratia suspicetur excludi: *Venite, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis, sine villo nempe discrimine gentis, ætatis vel conditionis. Ut enim Paulus euidenter affirmat: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque, inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quis vnquam fuit aut esse potest ditior, liberalior ac fidelior princeps, herus, paterfamilias, pater, amicus tutor & custos, qui magis cuperet ac gauderet esurientem pascere, sitibundum reficere, lassum subleuare, depressum erigere, vincitum liberare, afflictum consolari, pauperem locupletare, vulneratum sanare, ac demum quibuslibet periculis, ærumnis ac molestijs diuexato libentius compatari, & efficacius opitulari? Quæ omnia Christus non multis quidem verbis amplificat, sed vno refectiois vel refrigerij & quietis nomine cõplectitur, & Prophetæ quidem, cum futuram noui Testamenti gratiam prænuntiant, fusiùs explicat. Huc enim spectant & illa Moysei verba: *Portauit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam ambulastis. Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra omnes aduersarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Isaias habet in hunc modum: *Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, umbraculum ab aestu. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, cõuiuium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defecate.* Ac rursum alibi: *Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.**

Mihi verò has mirè suaues, planèquæ mellifluas vtriusque Testamenti sententias recolenti, iustus mœror oborietur, quòd illas ipsas dulcissimas voces, quæ vel cor ferreum emollire possent, (nam & beneficijs nostris feræ mitescunt) intimo pectore non complectar, ac fructum earum efficacem in me

rarò persentiam. Hinc fieri solet, vt ad fontem ipsum bonorum omnium, qui se nobis totum offert, atq; ad thronū gratiæ eius, vt Paulus loquitur, non accedam, nec properē cum fiducia; tūm promissæ affluentis gratiæ aquas tam pretiosas in me & alios deriuare non studeam ac procurem. Quid verò Isaias? *Haurietis*, inquit, *aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Vbi ergo mea quæso fides, spes, charitas & quibus virtutibus ad Christum ire, & gratiam eius haurire oportebat. Magno certè luctu digna res est, sic humana & terrena isthæc à nobis tractari, vt à Christo tam humaniter nos inuitante oculos & animos auertamus, ac rusticitate & ingratitude nostra iustitiam illius contra nos iracundiam prouocemus. Cū enim quotidie opes, honorem, voluptates tam studiosè sectamur, & pro ipsius iugo suauis durum, laboriosum, & asperum huius mundi iugunt amplectimur, non solum incomparabili eius bonitate abutimur, sed merito etiā illū grauiter de nobis querentē audire cogimur: *Me dereliquerūt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ cōtinere nō valent aquas.* Ac iterum: *Dereliquerunt legem meam quā dedi eis, & nō audierunt vocē meā, & non ambulauerūt in ea, & abierūt post prauit atē cordis sui.* O miserandū, cunctisque deplorandū hominem, Christiano indignū nomine, qui perituras huius mūdi opes, ac fallaces voluptatū illecebras sanctissimo Christi amori, eiusque suauissimo iugo præponit, atq; ad æternam gloriam comparandam ferre dedignatur partem decimam eorum laborum ac sumptuum, quos insani seculi amatores ad vana sua, & sæpè noxia desideria explenda indefatigabiliter adhibent, dum nihil non sibi permittunt ac tentāt, vt ob insanam cupiditatem se viresque suas exhaurire videantur. Quam rectè in istos competit quod Psalmographus canit: *Contritio & infelicitas in vjs eorum: & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum:* quodque Salomon illo celebri sermone complexus est: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quin & illi ipsi qui nunc ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, sicut à Iob scriptum

Heb. 4.

Isai. 12.

Ierem. 2.

Ierem. 9.

Psal. 13.

Eccl. 1.

Iob 21.

Sap. 5.

est, vno tandē ore tristissimi fatebuntur: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Transferunt omnia illa tanquā vmbra, & tanquam nuntius præcurrens.* Demūm quod iugū intolerabilius, quæ durior seruitus, quod onus grauius fingi potest, quàm vulgaribus curis & malè sanis cupiditatibus breue hoc vitæ tempus conterere, carnis affectibus obsequi, mundi sordibus adherere, ac perpetuā interim circūferre carnificinam, malè scilicet sibi consciū pectus? *Etenim seu a præsumit semper, vt Sapiens dixit, perturbata conscientia, nec est pax impijs, dicit Dominus, sed multa flagella peccatoris, in præsentī videlicet ac futuro sæculo: quia vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Sap. 17.

Psal. 31.

Marc. 9.

Matth. 26.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

Psal. 21.

Ego autē huius Euangelicæ sententiæ, qua Christus ad se omnes reficiendos inuitat, tunc maximè meminero, cū ad mensam Dominicā fuerit accedendū, vt me ipsum per illam excitem cōmoneamquē. Nota sunt verba, quibus alibi Christus hortatur: *Accipite & manducate. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitā.* Cū his magnam habet cognationem sententia: *Venite ad me omnes, & ego reficiam vos*, sicut reuera Christus reficit eos, qui ad sacrosanctam Eucharistiam sumendam conuenienter accedunt. Et est sanè inter alios vsus & fructus venerabilis Eucharistiæ hic quoque vberimus, quòd Christus illic spiritu & carne nobis præsens, tanquam hospes dulcissimus, credentes suos vt inuitat humanissimè, ita & liberalissimè pascit, suum nempe corpus & sanguinē, quo nihil maius habet in vita mortali, impertiens, atque hoc cœlesti manna cōuiuas reficiens, planèquē illi veteri vaticinio satisfaciens: *Edent pauperes & saturabuntur; & laudabunt Dominum qui requirunt eum; viuent corda eorum in sæculum sæculi.* Cæterū hanc clementissimā Domini vocationē, & cōpiosissimā refectiōnem negligunt, qui ob res leuiusculas, nonnunquā & propter segnitiam, sese ab hac lautissima cœna & nobilissima refectio-

ne deduci & abstrahi patiuntur. Quid autem isthuc est aliud, nisi oblata Regis maximi beneficentia turpiter abuti, suamq; vel stupiditatem vel ingratitude in amplectendo munere quod exhibetur, certo indicio declarare? Atque huc spectat Evangelica parabola, quæ cōiuitas ab homine diuite inuitatos reijcit, quando quidem terrenis impediti negotijs, ad magnam cœnam venire cessarent.

Verumenimuerò multò magis illorum cæcitas mihi deploranda est, qui præsentem optimi Redemptoris inuitationem eò detorquent, vt se ad Christum venire, ac per illum apud Deum iustificari confidant, quando suã in Mediatorem illū fidem conijciunt, ac ei securè cōmittunt suarū cōscientiarum onera, licet nullam interim pœnitentiã & confessio- nem in votis habeant, neq; Sacramentū ac ministrū Eccle- siæ legitimū velint adhibere. Satis enim esse putant, Christo credere atq; confidere, vt laborantes ac onerati ab ipso rele- uentur, ac perfectè reficiantur simul & iustificētur. Sedenim cæci non vident eodem loco à Christo statim adiungi: *Tol- lite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & hu- milis corde.* Requirit ergo non modò fidem intellectus atque fiduciam, verum etiam obedientiam voluntatis, quæ se legi Evangelicæ conformet, ita vt homo iustificandus non modò suum redemptorē agnoscat, sed illi etiam legislatori ac magi- stro suo pareat, eiusq; iugum portet continenter, & sciens præcepta eius non transgrediatur. Hic enim Christus est, de quo mandat Pater cœlestis, vt ipsum obedienter audiamus, siue de fide, siue de vita & moribus doceat. Mandat & Chri- stus ipse Apostolis, vt gentes omnes baptizatas iubeãt serua- re omnia quæcunq; ipse præcepit. Mandat per illos ipsos re- mitti peccata in nomine suo, sed pœnitētibus. Mandat otio- sis ire in vineam ad laborandum, & laborantibus promissam reddi mercedem. Est ipse causa æternæ salutis, sed sicut Pau- lus admonet, sibi obedientibus. Obediunt autem, qui doctri- nam eius & exemplum sequuntur, Ioanne testante: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.*

Luc. 14.

Matth. II.

Matth. 17.

Matth. 28.

Luc. 24.
Matth. 20.

Hebr. 5.

1. Ioan. 2.

Vt

Homel. 3. ad
monach.

Ioan. 13.
Ioan. 14.

Matth. 19.
Ioan. 15.

Ioan. 13.
Matth. 7.

1. Cor. 6.

Pfal. 26.

Ephes. 4.

Ut hinc etiam scribat Eusebius Emiffenus : Ad hoc Christus ad nos è cælo descendit, vt non solum nos redimeret mortis pretio, sed etiam vt vitæ ædificaret exemplo. Quare Christus ipse pronuntiat : *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis* : ideo quæ se viam, veritatem & vitam appellat. Quid igitur insulsius, & à Christi mente magis remotum fingi potest, quàm quòd isti talem Christum nobis inducunt, populo quæ proponunt, qui tantum blandiri & suos consolari velit, atq; ad iustitiam homini comparandam nihil nisi fidem ac fiduciam exigat, neque vllum præceptorum iugum imponat? Quid enim expressius ab illo dici possit? *Si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego precipio vobis. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Proinde cum nouo Christo suo valeant, qui à verò Christi corpore, quod est Ecclesia, alieni, in suis haberent tenebris, ac Diaboli potius quàm Christi sustinent iugum, quamdiu contra euidens Christi præceptum, Christianæ mansuetudinis, humilitatis, obedientiæ quæ iugum excutiunt & relinquunt. Hocine verò est Christum adire, à Christo discere, Christi quæ iugum tollere, vel illi dicto Apostoli parere: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro*; & Prophetæ vocem amplecti: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum?* Sed fingant isti de sua fide & iustitia imputatiua quæcunque libuerit: ego verum Christum in vera Ecclesia perpetuò prædicatum cõplectar vnice, illi vt Redemptori nostro confidam, vt legislatori parebo, eius quæ iugo & Ecclesiæ me totum subiiciam. Ad hæc primarias huius magistri virtutes, mansuetudinem & humilitatem, in quibus addiscendis nulli vnquam cessandum est, sedulo consecretabor. hæc quippe, sicut caput ipsum, ita & viua eius membra mirum in modum illustant, ac fidelium conscientias, quæ ipsi per charitatem inhaerent, in placidissima tranquillitate locant atq; conseruant. Proinde monet etiã fideles Apostolus, vt Christiani vocatione sua dignè ambulent cum omni humilitate, man-

suetu-

suetudine & patientia, supportantes inuicem in charitate. Tum Judith vidua tam religiosa, quam generosa victrix inter precandum non frustra meminit: *Humilium & mansuetorum* *semper tibi placuit deprecatio.*

Judith. 9.

Demum valde me consolabitur, atque ad gratias Christo reddendas incitabit, quod praecepta sua omnia iugi suavis, & oneris leuis nomine complectatur, eoque designet, nihil se maius & grauius à nobis exigere, quam comode ferri & obseruari queat. *Nullus enim illi est similis*, vt scriptum legimus, *in legislatoribus*, qui cum populo suo agat clementius, suasque leges ad infirmos subditorum humeros prudentius attemperet, qui etiam ad ferenda praeceptorum onera spiritum & gratiam subditis tribuat efficaciorē. Idem sanè eiusmodi legem tulit, quae maximis tumultibus, fluctibus & angoribus eximit conscientiam, eamque in quiete placidissima collocat, ac diuinis virtutibus imbuit, nouamque prorsus, vt Paulus vocat, creaturam efficit. Is ipse est, de quo Ioannes praedicat, legem quidem per Moysen datam, gratiam verò & veritatē per Iesum Christum factam esse. De illo canit & Propheta: *Benedictionem dabit legislator. ibunt de virtute in virtutem. videbitur Deus deorum in Sion.* Is ipse de se quoque blandissimè pollicetur; *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in praeceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Etenim quem ille Spiritum sanctum ac dulcissimū paracletū tot laboribus afflictionibusque susceptis promeruit, eundem & copiosè fidelibus distribuere gaudet, & vbertim impertit, vt verè illi dicere possint ac debeant: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Qua charitate donati & instructi (primariū autem hoc donum est Spiritus) suaue Domini sui iugū & leue onus Ionè magis quam hic mundus intelligere potest, in summis etiā pœnis experiuntur. Ea verò charitas quid est aliud quæso, nisi legis plenitudo, praeceptorū finis, vinculum perfectionis, & thesaurus noster in vasis licet fictilib. asseruatus, ex Pauli defi-

Iob 36.

Galat. 6.

Ioan. 1.

Psal. 83.

Ezech. 36.

Ierem. 31.

Rom. 5.

Rom. 13.

1. Tim. 1.

Coloss. 3.

1. Cor. 4.

nitios

Homel. 79.
in Matth.

In vita D.
Antonij.

1. Cor. 15.

1. Ioan. 5.

Pfal. 118.

nitione; quam virtutem omnium principem & reginam quisquis obtinet, suaue Christi iugum, & leue onus in vita & morte gestat. Atque huc spectat quod à Chrysofomo rectè traditur: Adiuuat infirmitatem nostram Christi spiritus, & ad omnia nos fortes ac validos reddit, simul vt ignem sui amoris in mentibus nostris accenderit.] Cuius rei præclarum exemplum in Antonio magno licet cernere, qui cum in sua eremo Euangelicè philosopharetur, & secundum Christi legem perfectè viueret, ipsius etiam diabolis fortior fuit, quoniam, vt Athanasij verbis utar, adiuuabat seruum suum Dominus, qui nostri gratia carnem suscipiens, victoriam corpori contra diabolum largitus est, vt singulis ita certantibus, Apostolicum liceat proferre sermonem: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Dolebo igitur vehementer, multos in hoc tam graui quam pernicioso errore versari, qui vt virtutem omnem eneruent, atque bonos conatus ad Christi legem implendam destinatos impediunt, iugum Christi durum & acerbum, ac onus importabile, ipsaque præcepta credentibus impossibilia esse, non sine blasphemiae spiritu publicè blaterant. Qui Ioanni Apostolo planè contradicunt: *Hæc est enim charitas Dei, inquit, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauiam non sunt.* Sed & vanitatis Prophetam coarguunt de seipso testantem: *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam. particeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua. Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. seruauim mandata tua, & testimonia tua: quia omnes via mee in conspectu tuo.* Quod enim mundi huius filijs vsu venit, si amorē adhibeant vehementem, vt maxima & difficillima quæque vincant atque conficiant, & ex praua etiam consuetudine delectentur, idem & electis Dei filijs hætenus obtingere solet, vt Christi amore flagrantibus, ea quæ permolesta arduaque videntur, sine negotio, & ingenti cum voluptate transigant sustineantque. Quocirca veteres ita sapè dixisse legimus: Nihil est tam durum ac arduum, quod non amoris igne vincatur. Nihil est quod non superet amor cum desiderio. Amanti nihil difficile. Omnia facilia sunt charita-

ti, cui

ti, cui vni Christi sarcina leuis est, teste Augustino. Quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Quicquid diligitur, cum magna deuotione portatur. Quare scriptum habemus in Canticis: Fortis vt mors dilectio; immò & morte illa fortior, modò Christus ametur, aut potiùs redametur, qui non sine amore incomparabili bonos & malos, amicos & hostes ad acerbam vsq; mortem est profecutus.

Quæ cum ita sint, ipse mihi succensere habeo, qui cum in Christi sanctissimã legem iurauerim, & ad eam implendam omne studium conferre debeam, tam subinde frigidus ac tepidus reperior, vt diuini amoris ignem in me nullum vel exiguum sentiam. Et scriptum est tamen atq; præceptum: *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subijciens ligna.* Et veritas ipsa Christus pronuntiat: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur?* Vtinam porrò hic celestis amoris ignis in meis hæreret visceribus, omneque frigus depelleret, & sanctæ obedientiæ vim ac vigorem ad legē absolueudam Euangelicam subministraret. Verè ardebat hæc flamma in venerandis illis Apostolis, generosis Martyribus, primisque fidelibus, postquam primitias spiritus acceperant, tantumque in multorū effecit animis, vt non solum ab vxorum complexu, & opum cupiditate abstinerēt, verum etiam acceptis pro Christi nomine contumelijs, verberibus atque supplicijs ex animo lætarentur. Siquidem dicta hæc Apostolica penitus imbiberant: *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incidēritis. Si benē facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum.* Neque patienter illi tantum, verum desideranter etiam Domini sui calicem biberunt, tantumque fidei & charitatis æstus in illis efferbuit, vt quidquid Christi nomine ad cruentam vsque mortē sustinerent, id leue ac iucundū arbitrarentur. Ardebat hoc igne Doctor gentium, & veteris hominis rubiginē omnē abstergebat, vt licet mille periculis & hostium agminibus esset circumuallatus, tamen non trepidaret, sed confidenter in cruce gloriaretur, verèq; diceret: *Viuo iam nõ ego: viuit verò in me Christus. Omnia*

possum

Cantic. 8.

Leuit. 6.


Luc. 12.

Jacob. 1.
1. Pet. 2.

Galat. 6.
Galat. 2.
Philipp. 4.

Rom. 8.
Serm. 14. de
cena Dom.

possum in eo qui me confortat. Quis nos separabit à charitate Christi? Quarè cum Bernardo fateri non dubitabo: Dulcis & suauius Dominus dulce & suaue mandatum proponit. Dulce & suaue illud esse videtur quod præcipit dilectio, & allicit amor. Nam nulla ibi apparet difficultas, vbi est charitas: nullus ibi labor est, vbi verus amor est.]



DE DIVO MATTHIA APOSTOLO.



VE MADMODVM in hoc Euangelio Christus ob suos paruulos diuina sapientia instructos, mundiq; sapientibus omnibus præpositos exultat in Spiritu sancto, vt hinc suo Patri lætus agat gratias: ita muneris erit, hoc die noui & spirituale gaudium præ me ferre, ac diuinã prædicare virtutẽ, quæ in præclaro Christi discipulo Matthia mirũ in modum elucet, vt & ipse ex primis paruulis à Deo ad plenum edoctis illuminaretur, & per illum ipsam Ecclesia de multis doceretur mysterijs, quæ Iudæi ac Ethnici, quamlibet sapientes, nec scire nec tradere alijs vquam potuerunt. Ita Pater, quoniam sic fuit placitũ ante te, vt Matthias, sicut putant, Bethlechemites, ex obscuro genere, ad Apostolicam illam gloriam emergeret, suoque splendore tot Iudæorum myriades obscuraret. Magna certè huius viri laus est, quòd inde ab initio Christo magistro, eiusque Euangelio se discipulum adiunxerit, illis meritò annumerandus, quos Dominus verbis illis exornauit: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Audierunt & viderunt sanè Christum innumeri, sed sine desiderio & fructu discẽdæ veritatis, ac plerumque ob vitium vanæ curiositatis, vt hinc Dominum quoque tentarint. Audierunt eundem & Capharnaitæ, qui verbis eius offensi murmurarunt, atque ab illo penitus diuerterunt. Sic enim aiebant: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Quantò laudabilior noster fuit Matthias, ad perpetuò audiendum Christũ eiusque Euangeliũ audis, firmus & con-

Luc. 10.

Luc. 11.
Ioan. 6.

stans,

stans, & ex illis quidem, qui cum Apostolis congregati fuerunt ex eo tempore, quo Dominus IESVS à Ioannis baptismo vsque in caelos ascensionem inter discipulos intrauit & exiuit, quæadmodum Apostoli Petri verba nos cõmonefaciunt. Probabilis est prorsus eorum sententia, qui hunc Matthiam vnum faciunt ex septuaginta duobus discipulis, quos Christus velut iam planè probatos singulari iudicio designauit. Vnde magni referre arbitror, si veræ ac spectatæ fidei testem ac assertorem quærimus, non recentiores, sed antiquiores consulere, ac illorū obseruare sententias. Ita enim in verbo Dei legimus: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis quæ sūt viæ bonæ, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Tum sapientissimi regis dictum est: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerūt patres tui.* Est enim ita, quæadmodum Iob sanctus memorauit: *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Quocirca vetat & Paulus, neophytum ad episcopatum vel dignitatem Ecclesiasticam eligi, ne quis, vt ait Hieronymus, miles antequam tyro, & magister prius quàm discipulus efficiatur. Visum est namq; & Christo puero duodenni, vt cum sederet in templo, non nisi in medio Doctorum ac Seniorum inueniretur, eosq; audiret ac interrogaret. Deinde discam ab Apostolis prudentiã, quandoquidem vt illi collegium suum conferuent ac augeant, peculiarem magnumq; delectum eius habent, quem velint ludæ loco subrogare: idcirco suas cõferunt sententiã, ac Deum consulendum atque inuocandum esse definiunt, sicut illis suggesserat princeps Apostolorum. Cur igitur non laudem atque confirmem morem veterem, qui inde à temporibus Apostolorum receptus ac probatus in Ecclesia exigit, vt sacris ordinibus initiandi, nõ leuiter, sed magno cum iudicio deligantur atque instituãtur, vtq; illorum nemini manus episcopales, sicut Paulus loquitur, citò imponãtur? *Hi probentur primum, inquit, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Ordinãrunt & Apostoli quosdam Ecclesiæ ministros, quemadmodum Paulum & Barnabam, ac

Actor. 1.

Luc. 9.

Ierem 6.

Prouer. 22.

Iob 12.

1. Tim. 3.

Luc. 2.

Vide Canones 8. quest. 2. & distinct. 61. Miramur.

1. Timoth. 3.

Actor. 13.

Matth. 9.

Distin. 7. 6.
& cap. Solēt
de cōsecrat.
Distin. 1.2. Paral. 20.
Iudith 4. &
5.

Actor. 12.

Astor. 1.

a De ecclef.
hierarch.
b Homel. 24.
in Iosue, &
in 12. c. Le-
uit.
c Serm. 2. in
Psal. 30.

manus illis imposuerūt, sed facta prius precatōne, nec omisso ieiunio, atque addito etiam sacrificio, vt Lucas clarissimē scripsit. Et notum est Christi præceptū saculis omnibus necessarium: *Rogate Dominum messis, vt emittat operarios in messem suam.* Nec vlla ferè fuit atas, quæ maiorem ac diligentiorē præcepti huius vsū postularet, ac tum quidē maximè, cū sacri ordines ab Episcopis solenniter conferuntur: ad quam rem quatuor anni tēpora iam pridem definita seruantur. Vtinā verò singularis precandi, ac simul ieiunandi ratio, quā à nobis postulat Ecclesia, tunc saltem à toto populo adhiberetur, quēadmodū veteres quidem canones disertè flagitant. Præterea si quando Episcopus vel Magistratus Ecclesiasticus aut Princeps eligendus, si grauis momenti negotiū aggrediendum, vel insignis quædam calamitas depellenda se offerat, quid quæso consultius ac efficacius, quàm si credentium cœtus colligatur, atq; gratia necessaria multorum precibus Deo cōmendetur, vt ille successum optatum precantibus largiatur? Eiusmodi precatōnis vim experti sunt rex Iosaphat & Bethulienses, quos à sæuis hostibus Deus mirabiliter liberauit. Communis & precatō effecit, vt Petrus Herodiano carcere clausus, & vinculis solutus omnibus precanti Ecclesiæ restitueretur. Vt enim Lucas exponit, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Orarunt & Apostoli cum præsentē tota Ecclesia, suam vt voluntatem patēfaceret Deus, quem vellet è duobus in demortui Iudæ locum subrogari, & vicem tenere Apostoli scēdissimè lapsi. Vbi clementer votis precantiū annuit Deus, prætermisso illo qui nomine & cognomine conspicuus erat, Iosue nempè Barfabas & Iustus nuncupatus, & Matthia designato, licet is obscurioris esset nominis, & ad munus tantum suscipiendū minus habilis fortè videretur. Ea electio splendore & irradiante claritate quadam, quam per sortes quidam, vt ^a Dionysius, ^b Origenes & ^c Augustinus intelligunt, declarata est. Quis verò prudens ambigat, amplissimū hoc munus Matthiæ nec ambienti, neq; expectati obrigisse, vt si licuisset, libenter illud

fue-

fuerit refutaturus? Honos enim sequitur fugientē. Est pro-
sus verò simile, pium concurriffe metum, qui nouū hunc A-
postolum inuasērit & corripuerit sæpè, ob Iudā nempe suum
decessorem. Cur enim vir sapiens nō cogitaret de horrendo
illius exitu, qui antea inter primos Domini discipulos cōstitu-
tus, sacrum docebat Euangeliū, & miracula patrabat ingen-
tia, Christo etiam valde familiaris, & totius Apostolici colle-
gij quasi procurator? Is ipse ex loco tam sublimes tam turpi-
ter excidit, factus fur sacrilegus, impudens magistri proditor,
dux & caput impiorum latronum qui Christū in horto cœ-
perunt, sui etiam carnifex, immò diabolus, vt Christus illum
vocat, vel diaboli certè mancipium, gehennæ filius, ac totius
orbis probrum execrabile. An non veniret Matthiæ in men-
tem, Cogita te mortalem hominē esse, qui cum Iuda in eun-
dem ingratitude lapidē possēs impingere, quando & subli-
mes Angeli peccauerunt, ac de cœlo detrusi, irreparabiliter
perierunt? An non posteriora prioribus aliquādo, & sæpè de-
teriora redduntur? Vide ne tuum etiā Episcopatum acci-
piat alter. *Tene, si sapis, quod habes, vt nemo accipiat coronam
tuam.* Quò gradus altior, qui tibi iam immerēti ex gratia con-
tigit, eò casus & lapsus grauior consequi potest atque solet.
Hæc aliaquē sicut Matthiam piè cōmouere, & ad acuendum
officium incitare potuerunt: ita nobis etiam in gratia mini-
mè confirmatis, metum ac sollicitudinem debent incutere,
vt secundum doctrinam Apostolicam cum timore & tremo-
re salutem nostram operemur, nosquē sub potenti manu Dei
humiliemus. *Nescit enim homo, vtrum amore an odio dignus sit.*
Qui stat, videat ne cadat. Etiā sancti hominis propria est con-
fessio: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delin-
quenti. Beatus homo qui semper est pauidus.*

Et quoniam Iudæ proditoris à sua vocatione deficientis
facta est mentio, notatione dignum putabo, quàm funesta &
infelix eorū sit conditio, qui suum deserunt locum, & à prio-
re vocatione discedunt, nōnunquam si non à capite Christo,
at certè quidem à mystico eius corpore, sanctaq; cōgregatio-

Matth. 26.
Ioan. 6.

Iud. 1.
2. Pet. 2.
Isa. 14.
2. Pet. 2.
Psalm. 108.
Apocal. 3.

Philip. 2.
1. Pet. 5.

Ecl. 9.
1. Cor. 10.
Iob 9.
Prouerb. 18.

1. Cor. 7.

Isa. 14.

Iudæ 1.

1. Reg. 31.

3. Reg. 11.
Eccl. 47.Actor. 6.
Apoc. 2.

Galat. 5.

Galat. 1.

Iud. 1.

1. Ioan. 2.

Hebr. 13.

Ephes. 4.

Heb. 13.

ne sacrilegam faciunt secessionem. Hi sanè cum Iuda suum Episcopatum seu priorem dignitatem amittunt, de ore Domini euomuntur, ex primis fiunt nouissimi, sapè que cōtemp-tissimi, vt in grauem plurimorū reprehensionem incurrant, quia non obseruant canonem illum Apostolicum: *Vnusquisque in qua uocatione uocatus est: in ea permanceat*. Non mansit in sua uocatione primus & nefandus apostata Lucifer, & quoniam altissimo Deo similis esse contendit, de summo cœlo ad inferni abyssum detrahi meruit, sicut & Isaias ostendit. Huic superbix principi alij quodque spiritus nequam adhæserunt, quia vt Iudæ verbis vtamur, *non seruaerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium*, vt idcirco in iudicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reseruentur. Electus à Deo fuit Saul, vt rex primus esset Israëlitarum, sed & idem reiectus, ob suam superbiam miserè periit. Quam infeliciter successit Salomoni sapientissimo regi? qui relictus à Deo, quod suam negligeret uocationem, vitam gloriosam insano mulierum amore, ac fœdo idolorum cultu tandem absoluit. Nihil profuit Nicolao, quod inter primos Diaconos ab Apostolis assumptus esset & approbatus, sed suæ fortis oblitus, Nicolaitarum caput euasit & hæresiarcha. In fidei negotio benè currere cœperant Galatæ, sed iidem nouæ falsæque doctrinæ fermento corrupti, ab Apostolo illud audire meruerunt: *Miror quod sic tam citò transferimini ab eo qui uos uocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium*. Dolebo igitur multorū vicem, qui teste Iuda segregāt semetipfos, nec in ea permanent Ecclesia & uocatione, quam cum laude prius tenuerant: *qui si fuissent ex nobis, vt Ioannes loquitur, permansissent utiq; nobiscum*, in doctrina fidei cōsentientes, & à doctrinis varijs ac peregrinis abstinentes. Ab his falsis fratribus Iudæque socijs, qui castra Ecclesiæ turpiter deserunt, valde mihi & Catholicis omnibus cauendū est, ne simus alioqui, sicut Paulus ait, instar paruulorum fluctuantium, qui se omni uento doctrinæ in nequitia hominū circumagi patiuntur, & Apostolicam illam regulam violant: *Doctrinis varijs & peregrinis nolite*

nolite abduci. Est sanè hoc genus hominū vt vagum & incons-
 stans, ita factiosum & pestilens, operante in illis potenter Sa-
 tana, vt electa eius membra sint ad impietatē omnem inue-
 hendam atq; confirmandā, qui veluti perfidi transfugæ, cum
 Iuliano Apostata valde sunt Ecclesiæ perniciosi. *Homo enim*
apostata, vt Salomon asserit, vir inutilis, graditur ore peruerso,
annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur
malum, & omni tempore iurgia seminat. Vnde iam pridem dici
 cœptum est, omnem apostatam sui esse ordinis persecutorē.
 Eò quæ spectat quod suo sæculo re ipsa cōperit Augustinus,
 & nos hodie nimium experimur. Quomodo, ait, difficilē
 sum expertus meliores quàm qui in monasterijs profecerūt:
 ita non sum expertus peiores, quàm qui in monasterijs ceci-
 derunt: ita vt hinc arbitret in Apocalypsi scriptum: *Iustus in-*
ferior fiat, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.]

Sed vt ad nostrum redeamus Matthiam, meā in illum ob-
 seruantiā ac reuerentiā iure augebo, quoniam licet pos-
 tremum, tamen præcellentem sortitur locum inter eos, qui
 supremum inter Sanctos ordinem tenent, & in vtraque Ec-
 clesia maximi sunt nominis Apostoli, quorum insignem di-
 gnitatem alibi monstratā hīc non repetemus. De his loquen-
 tem Paulum Apostolū audire sat est: *Memento, inquit, præ-*
positorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum
imitantes exitum conuersationis, imitami fidem. An exigua mi-
 hi illa videri debent, quæ Matthias cum reliquis Apostolis ha-
 bet communia? Eiusmodi sunt, quòd contempto mundo, &
 relictis omnibus, Christum Dominum & magistrum via se-
 quatur regia, quòd eiusdem verba & miracula cordi suo pe-
 nitus infixā fideliter circumgestet, quòd incredibilia Spiritus
 sancti dona cumulatim accepta, multis faciat salutaria, quòd
 varijs linguis vbiq; gentium Dei magnalia prædicet, ac stu-
 pendis etiam confirmet miraculis, quòd charitatem arden-
 tem sine delectu Iudæis ac Ethnicis, amicis & hostibus vbi-
 cunque declaret, quòd suum cœlibatum per omnem vitam
 purum ac integrum custodiat, paruo quæ victu cōtentus, spi-

Prou. 6.

Epist. 137. ad
plebē Hipp.

Apoc. 22.

Heb. 13.

ritu & voluntate paupertatē excolat studiosè, quòd fide, doctrina, pietate, vita ac moribus præluceat omnib. apud quos versatur, ac demùm non alium se præstet, quàm illum dece- ret, qui meritò lux mundi, sal terræ, ac piscator hominū existi- maretur. Hic Euangelicum semen partim in Iudæa, par- tim in Macedonia ac Aethiopia longè larèq; sparsit, & cum feris, insectis, immanibusq; gentibus debuit gladio Spiritus cõflictari, & ingētes exantlare labores, quiet editis passim mi- raculis verè Apostolicis ad Euangelij veritatem fidelibus ac infidelibus comprobauit.

Lib. 3. hist.
eccl. c. 15.

Rom. 8.

Extat elegans ac memorabilis doctrina huius Apostoli, quam Nicephorus Callistus repetit, & nos præterire non pos- sumus. Christianis conuenire aiebat, vt carnem suam expu- gnent, nec ei quæ postulat, tribuant, sed potiùs eius voluntati nihil prorsus indulgeant: animã verò quæ præcipua hominis pars est, per cognitionē & fidem alant ac augeant. Quàm ve- rò pulchrè isthæc cum Paulina sententia congruunt, nostris interim moribus malè quadrantia? Apostolus quippe Pau- lus ita docet: *Fratres debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis: moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis: uiuetis.* Nec du- bium est sanè, Matthiam, sicut & Paulum, non solùm alijs, sed sibijpsi etiam strenuum, & austerū fuisse magistrū ad corpus castigandum, carnemq; mortificandam. Nunc noster mun- dus, si verum fatebimur, nihil carni adimit, sed permultū in- dulget, omniq; ventris cupiditati frena relaxat, & ad omnia carnis opera, quæ Paulus nominat ac damnat, præceps ruit. Nihil hodie minùs curatur, quàm vt in vsum reuocetur præ- ceptum illud Apostolicū: *Mortificate membra vestra qua sunt super terram.* Veri Christiani agnoscendi propriã notam amis- simus, quã idem Paulus verbis illis indicauit: *Qui sunt Chri- sti, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Ne- glècta prorsus iacet aurea Christi regula: *Ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Frugalitas ac sobrietas Aposto- lorum, veterumque Sanctorum iam prorsus exulat, & cum

Galat. 5.

Coloss. 3.

Galat. 5.

Luc. 21.


omni

omni incontinentia cōmutari solet, quando non animi, sed corporis cura, ventrisque studio passim distinemur contra illam Pauli sententiā: *Carnis curam ne feceritis in desiderijs*, & aduersus Petri mandatum, vt abstineamus nos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animā. Postremò cūm peruicaces Iudæi nulla ratione ad sanam mentem possent adduci, & prædicata veritas odium Matthiæ pareret, magno furore concitati, Apostolum ad suum Pontificem pertraxerunt. Respondente autem illo, quòd Christianū esse non criminolum, sed gloriosum esset, lata est impia sententia, vt idem lapidibus obrueretur, ac deinde securi feriretur. Sic Matthias cūm Euangelicam veritatem magna fiducia professus esset, pro Christi nomine vitam profudit & sanguinē, & Apostolicum munus martyrij laurea cumulauit. Christo ille ministravit, Christum secutus est fideliter: & Christi in illo promissio impleta est: *Si quis mihi ministrat, me sequatur. & ubi sum ego, illic & minister meus erit. si quis mihi ministrauerit, honorificabit illum Pater meus.* Germaniæ quidem nostræ vel hoc nomine gratulari possumus, quòd sacrum huius Apostoli corpus, primū ex Iudæa Romā allatum, ac deinde Treuitos translatum, ibidem in hunc vsq; diem asseruet atq; veneretur.

Rom. 13.

1. Pet. 2.

Ioan. 12.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt arcana ipsius iudicia de alijs siue bonis siue malis non curiosè peruestigem, sed ipse misericordia & iustitiæ religiose omnes commendem, ac omnium nomine gratias agam.

ORABO etiam pro duplici genere Fidelium, quorum alij secundū mundum & carnem, alij secundum spiritum sapiunt. Illis optabo gratiam, qua Christo verè fiant paruuli ac simplices, qui neq; in seipsis, neq; in Dei donis acceptis inaniter gloriētur: his ver

rò precabor, vt magis magisq̄, diuinitus illustrentur, ac simul alios adificent, sicut Apostoli verbo & exemplo Ecclesiam adificauerunt.

VOTA faciam pro afflictis, pusillanimis, verèq̄ calamitosis, qui maximè peccatorum suorum pondere grauari, nullum vel consolantem vel subleuantem sentiunt, vt hi per commoda media & remedia Christum propitium sentiant, & is perturbatarum tranquillet conscientias.

AD HÆC quia plures mundi quàm Christi iugum portant, atque idcirco se ipsos in grauias sepe pericula coniungunt, diuinam gratiam inuocabo, vt relicto duro mundi iugo, siuaue Christi iugum, & vocationem sanctam amplectantur, in qua se patientes & constantes, Deoq̄, gratos prabeant.

QVOD ad sanctum Matthiam attinet, quem Apostoli Iudæ proditori subrogarunt, etiam atque etiam à Deo petam hoc tempore bonos & idoneos ministros ineptis ac prauis passim substitui, qui suum in Ecclesia munus obire fideliter velint ac possint, sicut hic Mathias obiuit.



**IN DIE FESTO
ANNUNTIATIONIS
BEATISSIMÆ
VIRGINIS.**

Sequentis Euangelij Argumentum.

IN hoc præclaro Euangelio excellentes personæ duæ,
Gabriel Angelus, quem & archangelum veteres vo-

cant,

cant, & Maria Virgo virginum omnium princeps collo-
 quantur, ac de augustissimo tractant mysterio Dominicę
 incarnationis, quo genus humanum in primo Adam per-
 ditum summo Deo reconciliatum esse constat: Angelus
 hic de alto cęlo missus, tantum mysterium ac beneficium
 iamiam adfuturum, lætissimę nuntiat. Virgo autem ple-
 na fide percipit nunciata, ipsamque æternum Dei filium
 suo concludit vtero, vt sine virili semine, de Spiritu san-
 cto mater fiat tamdiu exoptati Emmanuelis. Sic illa pri-
 ma stupendum didicit ac sensit mysterium, ex quo salus
 humana pendebat, & ipsa venerandum tēplum facta est,
 in quod Deus ipse descendere, in quo naturam hominis
 assumere, & tanquam sponsus cum Ecclesia sponsa mysti-
 cas nuptias nō sine summo miraculo celebrare dignatus
 est. Suum autē pondus habent verba singula, nihil vt te-
 merē dicatur vel ab Angelo, vel à Virgine in hoc sanctissi-
 mo colloquio, quod insignes nobis locos expendendos
 proponit, quemadmodum de Patris æterni virtute & om-
 nipotentia, de filij Dei præstantia, & vtriusque in illo na-
 turæ diuinæ scilicet atque humanæ proprietate, de San-
 cti Spiritus officio ac efficientia, de præclaris Mariæ vir-
 tutibus, præsertim humilitatē, prudētia, virginitate, obe-
 dientiaq; Mirum verò, quàm salutaris ac efficax illa vox
 & consensio Virginis fuerit. Ecce ancilla Domini. Nam
 sicut ex Damasceno liquet, simulatq; verba illa pronun-
 tiauit, diuino mysterio à Gabriele nuntiato cōsensit, Ver-
 bum caro factum est, & hominum redemptio, mundi que
 renouatio inenarrabili modo fieri cœpit, vt summas &
 perpetuas in dogmatibus Trinitati sanctissimæ debeamus.
 Memorabile est quod notant eruditi, Mariam Virginem
 ineunte ætatis suæ anno decimo quinto, subhibernū sol-
 stitium, nimirum v i i i. Calendas Ianuarij Christum Do-
 minum peperisse, quem ipsa nouem ante menses integra
 cōceperat ex Spiritu sancto, octauo nempe Calendarum
 Aprilis. Augustinus breuiter dixit: Conceptus est Do-
 minus æquinoctio verno, & natus est sol-
 stitio hiberno.

Matth. 22.

Lib. 3. de fi-
de ortho-
doxa.



EVANGELIUM LVCAE I.



MISSVS est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph, de demo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: *Aue gratia plena. Dominus tecum. benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutaris. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. ideoq; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis, sextus est illi quæ vocatur sterilis: quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*





NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Aue gratia plena. Dominus tecum. Benedicta
tu in mulieribus.*

HANC salutationem & salutandi formulã ego multis de causis magni faciam, mihiq; & alijs valde commendabo. Etenim initiũ sumit non ab homine, sed à præstanti archangelo Gabriele, qui à summo Deo delectus ac missus, incõparabilem Virginem, & mox futuram Dei Matrem his ipsis verbis, non suo tantũ, sed etiam sacrosanctæ Trinitatis nomine reuerenter admodũ salutauit. Quæ salutandi ratio, non vsitata Iudæis erat, sed noua, peculiaris, atque prorsus insueta, qualem in sacris quidem litteris non reperiri, ^a Origenes & ^b Ambrosius annotauerunt. Ambrosij verba sunt: Benedictiõnis nouã formulam mirabatur, quæ nusquã lecta est, nusquã comperta.] Et singula quidem salutationis huius verba, quæ non precantis, sed affirmantis vim continent, insignem habent emphasim, nec vni tantũ Gabrieli, sed multis etiam Angelis, & Angelorum hierarchijs omnibus attribuuntur quòd eadẽ salutandi formula ad Deiparæ laudẽ in cœlis libenter vtantur, sicut ex Athanasio comprobari potest. Tum Chrysostomus admonet, hunc salutandi morem Græcis olim frequentẽ ac familiarem extitisse, vt publicè in templo recitaretur, & sacra Liturgiæ adhiberetur. Dixit hoc pacto Gabriel mortali adhuc Virgini, sicut proculdubio dixit, sed nihil impedit, si Deiparam in cœlestis gloriæ statum iam euectam, totidem verbis cõpellemus, quæ illi quidem cum filio in cœlis regnanti maximè congruunt. Est enim illa *λαμπροσφαιρα* seu plena gratiã, quæ in beatum vllum cõpetere potest, & sicut excellenti gratia, quoniam gratiæ au-

thore

^a Homel. 6.
in Luc.
^b In 1. cap.
Lucæ.

Serm. de
Deipara.

In liturgia
Græcor.

thore fuit repleta, sic & beatitudine & gloria incredibili præcellit omnes cœlites. Est manetque cū illa cœli ac terræ Dominus, qui non solum eius voluntatem, sed carnem etiam sibi copulauit, ac de virginis huius pura substantia effici voluit, vt hominis filius diceretur & esset, nullusque alius maiorem cum Deo coniunctionē seu vnionem haberet. Est inter mulieres ipsa benedicta, quando quidem illatā feminæ qualemcunque maledictionem effugit, & singularem fructus benedictionē nulli alij datam consecuta est, ac veterem illam maledictionem, quæ infelicibus Euæ filijs debebatur, repulit atque ademit, edito in lucem fructu sui ventris, qui nos Adæ filios redemit à maledicto legis, adeoq; p nobis factus est maledictum Apostolo teste. Quid multis? nec virgo vnquam purior, nec mater sanctior, nec mulier illustrior, magisq; laudata & laudanda vlla extitit, vt meritò de illa omnes vno ore dicamus: *Multa filia congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Neq; Latina solum, sed & Græca Ecclesia tot seculis cōstanter & publicè canit: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Quid autem refert, nobis hīc obstrepere nouos Mariomas ftigas, omnesque Sectariorū greges, qui eiusmodi salutationem, quam vocamus Angelicam, morosè fastidiunt, indignè oppugnant, ac more suo inuidiosè conuellunt? Vetus isthæc non minùs diabolica quàm humana inuidia, & in obscurandis Mariæ laudibus hostilis conspiratio non tanti sanè faciendā est, vt de constanti probatoque more piorum Mariam salutantium aliquid remittamus, atq; à præclaris tūm Gabrielis Angeli, tūm sanctæ Elizabethæ vestigijs discedamus. Habemus in Euangelio & alterius honestæ matronæ laudandū exemplum, quod hoc tēpore amplectamur, quia Christum Dominum & matrem eius illa tantò fortiùs & audaciùs prædicauit, quantò indigniùs ac impudentiùs alij malo spiritu acti, veritatem Euangelicā insectabantur. Non intelligunt isti profectò, quibus hæc salutatio tam exosa est, quæ admodum Gabriel probè intellexit, quantum ætatum omniū mortales,

Mariæ

Galat. 3.

Prou. 31.

Luc. I.

Luc. II.

Mariæ virgini post Christum saluatorē debeant, cui proprijs-
simè dictū est: *Inuenisti gratiam apud Deum*, quam sicuti Pro-
phetissam & Mesiæ parentem tot seculis prisca desiderarunt,
& de qua Ieremias Propheta, velut summū exponens miracu-
lum, hoc est vaticinatus: *Creauit Dominus nouū super terram:
fœmina circumdabit virum*. Quid quæso maius ac sublimius il-
la esse potest, quæ ex millibus electa virgo, illum virum sinu
suo conclusit, atq; intra viscera sua gestauit, quæ totus orbis
& cœli omnes ambitu suo non possunt comprehendere? In-
sanæ mentis homo est, qui Mariā non suspicit ac reueretur, vt
Elizabetæ sanctæ feceretur exemplum, quæ diuino spiritu affla-
ta, & admirabunda exclamauit: *Benedicta tu inter mulieres, &
benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater
Domini mei ad me? Beata qua credidisti, quoniam perficientur ea
que dicta sunt tibi à Domino*. Norunt ætatum omnium ortho-
doxi, insignē hanc esse prophetissam, sicut illam post Isaiam
Basilius vocat, & eiusdem vaticiniū in Zachariæ domo editū
amplectuntur. *Ecce, inquit, ex hoc beatam me dicent omnes ge-
nerationes, quia fecit mihi magna qui potens est*. Hæc sola suo
iure testari potest: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*.
Neque alij vlli præterquam huic soli, à nobis illud rectius tri-
bui potest: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. vt
omittam plura id genus iam pridem à Salomone, velut huius
Virginis prænuntio, decantata. Cur id circò miremur, præcla-
ris maioribus, sanctisq; Patribus in vsu fuisse positum, vt ma-
trem Domini officiosè salutarent, ac eandem eximijs epithe-
tis honorarent? Etenim cum ^a Athanasio illam heram & do-
minam nostram, Euam & vitæ matrem, cum ^b Gregorio Na-
zianzeno lucem virginum, vitæ præsidem, mundi reginā, &
gaudium mortalium; cum ^c Fulgentio fenestrā cœli, & restau-
rationem fœminarū; & cum ^d Bernardo demùm inuētricem
gratiæ, genitricem vitæ, & matrē salutis libenter appellarunt.
Certè si *omnis arbor bona fructus bonos facit*, quemadmodum
Christus ^e pronuntiat, quomodo isthæc arbor aliqua boni-
tatis siue sanctitatis parte caruit, quæ fructū tam exquisitum

Luc. 1.
Isai. 8. & 7.

Ierem. 31.

Luc. 1.

In c. 8. Isai.

Luc. 1.

Eccl. 24.

Canticor. 4.

^a Serm. de
Deipara.^b Tragœd.
de Christ.
pat.^c Serm. de
laudi. Ma-
riæ.^d Serm. 2. de
aduentu. &
hom. 2. sup
Missus.^e Matth. 7.

&

Ioan. s.

In Liturgia.

& vnde quaque absolutum in lucem produxit, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus*, & propter cuius gratiā maledicti serui in benedictos Dei filios recipiuntur. Sed satis nunc fuerit, relictis Patrū sententijs, vnum repetere Chrysoptomū, qui in hanc salutationē ita præfatur: Vt verè dignū & iustum est glorificare Deiparā & semper beatissimā, & penitūs incontaminatam matrē Dei nostri, honoratiorē Cherubim, & gloriofiorem incōparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionē Deum peperisti: verè Deiparā te magnificamus.] Tum idem Chrysoptomus alibi clarissimè docet: Magnū reuera miraculum fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa maius aut illustrius vllō vnquā tempore inuentū est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cœlum & terrā amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, nō Cherubim, non denique aliud quippiā inter res creatas, visibiles aut inuisibiles maius aut excellentius inueniri potest.] Quapropter indecēs ac iniquum sanè fuerit, nos Catholicos ab eo spiritu degenerare, quem Deus æternus non solū in optimis maioribus & spectatissimis Patribus nostris, verū etiā in cœlesti archangelo Gabriele ac matre Ioannis eximia Elizabetha, alijsquē innumeris prodidit, & Ecclesia vbique gentium tot sæculis conseruauit, vt nulli ætati deessent sui Mariæ præcones, pijquē salutatores. De Basilio Magno & Ioanne Chrysoptomo sentiūt eruditi, quòd in cōscribenda Liturgia æmulati fuerint Iacobum Apostolum primū Episcopum Hierosolymitanū, cuius & Sexta Synodus meminit. Sic autē in eadem Liturgia scriptum legimus: Tibi ò plena gratia, vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominū genus, quæ es templum sanctificatū, paradus spiritualis, virginū gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster qui est ante secula.] Hæc ille in salutatione Angelica speculari, nobisquē meditanda relinquit. Præmitto veterum authorum verba, qui cum olim docerent populū in Ecclesia, ad salutatio-

nem

nem hanc repetendā sunt populum inhortati, quemadmodum Ioānes Damascenus, Sergius Hierapolita, Andreas Cretensis, Chrysippus & Hesy chius presbyteri Hierosolymitani liquidò contestantur.

VERVM insurgunt noui Gnostici, & imperitis obieſtant: Vbi in præceptum extat in sacris litteris de Virgine salutanda illi rogant, qui præcepta in verbo Dei scripta, vt factū offibilia nobis eludunt, & alia non præcepta, litterisquē mandata pro suo arbitrato contemnunt, insuper sine præcepto tam multa docent ac faciūt in suis synagogis, & demum præcepta Ecclesiæ, in qua Deus ipse loquitur, pro nihilo ducunt. Nos ab Augustino ita sumus edocti: Multa sunt faciendā non iubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ quod liceret nobis etiam non impendere, tamē causa dilectionis impendimus. Idem verò de institutis Ecclesiæ, & pijs maiorū consuetudinibus, quæ in verbo Dei non prohibentur, accipi par est, quoniā illa licet præcepta non sint, tamen cum laude fieri possunt. Rursus autem instant: Quid attinet hac vti salutatione, cū precandi careat forma? Quasi verò ad solā precandi formā fideles astringantur. Errant autē in ipso precationis nomine, quod secundum Scripturæ phrasin non solū orationē seu petitionē rerum decentium, sed etiam confessionē & laudationem Dei complectitur. Quare Psalmographus etiā precari dicitur, vbi Psalmos integros absque vlla petitione concludit, sicut & Christus nihil petens, gratias Patri suo agere solet. Neque humanum, sed diuinum præceptum est, *Laudate Dominum in Sanctis eius*, quia cuiq; Christiano conuenit, nō modò suas preces Deo fundere, sed etiam autorē omnium in suis creaturis, & præcipuē Sanctis ex animo celebrare, pro illis gratias agere, ac sanctum nomen Domini benedicere. Cū verò Virginem matrem saluamus, quid facimus quæso aliud, quàm quòd diuino illi oraculo satisfacimus, quo prædictum est, vt Dei mater à generationibus omnibus beata prædicetur: Male igitur aduersarios pudet ac piget, quando precationē Do-

Serm. de Natiuit. Mar. Vbi tractant de Deipara, eiusque Assumpt.

Lib. de adulterin. cōiug. c. 14.

Matth. 11.
Luc. 10.

Psal. 150.

Luc. 1.

minicam

IOAN. 16.

minicam recitant, ad hanc descendere salutationē, in qua monemur, si volumus, immortalī Deo de maximis donis Mariæ cōmunicatis grātiās agere; & simul excellentē felicitatē, quæ nulli alteri collata est, Deiparæ gratulamur; ac præterea Dominicæ precatōnis partes ritē absoluiimus, nobisquē reddimus efficaciores. Etenim ea quæ in illa petimus precatōne, in nomine IESU, qui Dei & Mariæ filius est, petimus, nostraq; vota tum Deo Patri, tum Mariæ matri cōmendamus per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, in cuius nomine rogantes omnes exaudiūtur. Quare salutatio Angelica Christi mediatoris nomē non obscurat, sed vehementer illustrat, maioremq; nobis ad precandum fiduciam fouet, ac præterea docet, nos nō solum in Deipara, cuius memoria semper in benedictione est, sed in ipso etiā Emmanuele per talem matrem exhibito, qui fons bonorum est omnium, sanctē gloriari. Ac veteres quidem, vt hanc inæstimabilem Virgīnē simul salutarēt & rogarēt, prudenter hanc adiecerūt appendicē: Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Quo dicto nō obscure fatentur Orthodoxi, se matris Eux filios exules esse, hanc lacrymarum vallem incolentes, & qui matre alia viuentium, matreq; misericordiæ indigeant, eamq; fideles populi aduocatam habeant, cuius apud Deum præstantissima sunt merita, & cui summa nō deest voluntas iuuandi genus humanū, pijsq; hominum votis annuendi, vt Christum Dominū sibi magis propitiū sentiant. Nunquā enim obliuisci debemus eius admonitionis, quam Bernardus vir uerē pius tradidit dicens: Amplectamur Mariæ vestigia, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus puoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim: nempe vellus est medium inter rorem & aream, mulier inter solem & luna, Maria inter Christum & Ecclesiā constituta.]

Serm. de illo
Signū mag.
apparuit in
coel.

At verò istos, quidam metus ab hac salutatione auocat ac deterret. Sed cur metuūt, religiosi scilicet homines, nihil sibi cauentes à crasso & iam pridem dānato Eunomianorū errore, qui cultum & honorē Sanctis impensam reijcit atq; dam-

nat?

natꝛ Nec enim vident, neq; perpendunt, ad Christũ vt summum mediatorem colendũ & honorandum, hoc etiam pertinere, si amicos eius siue viuos, siue mortuos piè cum Ecclesia imploremus, eosq; sicut excellentia eiusdem corporis membra seu organa, licet ipso supremo capite longè inferiora, humiliter honoremus, eorumq; fidam peramus intercessionem. Cæterũ ridicula sæpèq; protrita istorum est calumnia, quòd Orthodoxi Mariam pro Dea colamus & adoremus, ita vt ex creatura creatricem supersticiosè faciamus. Illud certò constat, Orientis & Occidentis Ecclesias ac Patres in eo cõsentire, Sanctorum apud Deum patrocinia permultũ valere, ac eos à mortalibus ad maiorẽ Dei gratiam consequendam & conseruandã vtiliter inuocari. Nec desunt ex aduersarijs, sicut Lutherus & Oecolampadius, qui Diuos, si absit superstitio, honorãdos & inuocãdos esse clarissimè fateantur. Postremò sciscitantur curiosi homines, quem fructum ex hac salutatione vel sperare nobis, vel alijs polliceri possimus. Certè qui Catholico affectu præditus, Salutationis huius verbis breuib; quidem, sed exquisitis vtitur, gratiam celebrat memoriã primi Euangelij à magno Angelo in terris prædicati, quo nihil nobis, qui in vmbra mortis, merisq; tenebris sedebamus, debet esse antiquius. Hic etenim in mentem homini reuocatur summum Dei beneficium, quale inde ab orbe condito mortalibus exhibitum non fuit, faustissimum videlicet exordium redemptionis humanæ, quod in primis dignum est, vt ingenti cum gratiarũ actione ab omnibus fidelibus sæpè repetatur. Et sapuerunt profectò nostri maiores, quorum iudicio & pietate factum est, vt omnes credentiũ ordines ad salutandam Deiparã quotidie certo tempore incitarẽtur, suaq; genua flecterent, & adorabundi singulares Deo gratias agerent, velut ob oculos ponerent atq; recolerent felicem illam horam, quæ post habitum inter Gabrielelem & Mariam colloquiũ mundo primũ illuxit. Tunc enim & Deus afflictionem populi sui, vt antea nunquam benignè respexit, & eam delegit fœminã, cuius ministerio mors

Luther. in
postill. circa
Euãg. de Io-
an. Bapt.
Oecolãpad.
in 6. Tomo
Oper. Chry
sostom.

Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur. An non insignis erat prudentiæ, quod ab hominum turba & tumultu semota, sacris duntaxat studijs vacaret domi, vnde Angelus ad illam ingressus dicitur, quodq; magnificè salutantem audiens, verba ipsa secum perpenderet, priusquàm responderet, ac præterea modum rei gerendæ sciscitaretur, & in sciscitando paucis ac necessarijs verbis vteretur, nimirum ad summi Dei voluntatem plenius cognoscendam, rectiusq; perficiendam? Ita enim scriptum legerat: *In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus Dei non eris curiosus.* Quid illa purius & castius, quæ prima Virginum Deo suum cœlibatum sanctè nuncupârat, ac de suæ virginitatis thesauro integrè cõseruando tam sollicitè rögabat: *Quomodo fiet istud: quoniã virum non cognosco?* Perinde ac si dicat, Tametsi viro sim desponsata atq; promissa, vt antiquo gentis nostræ mori satisfaciat, nihilominus vt cõmodiùs ac expeditius Deo Virginũ amatori seruiã, firmũ stat cõsiliũ, in carne sine carne cũ viro casto viuēdi, & in suscepto cœlibatu perseuerãdi. Nam profectò nõ diceret, Virũ nõ cognosco, nisi virginẽ se vouisset, vt Augustini verbis vtamur. Quid aut̃ istuc aliud est, nisi Euãgelicũ amplecti cõsiliũ, quod cõfirmat Paulus Apostolus, vt virgo perfectè placitura Deo, sancta sit & corpore & spiritu, tantũ ea quæ sunt Domini cogitãs: talibus enim eunuchis, sicut Isaias & Christus appellãt, Deus inprimis delectatur. Iam verò quàm alacris & prõpta eius fuit obediẽtia, quæ torã se Gabrielis monitis accõmodat, & ad nutũ omnẽ Dei paratã sese ancillã offert ac exhibet? Hęc illa virtutũ mater est obedientia, victimis omnibus, quæ Deo maclantur & offerũtur, si Samueli credimus, anteponeãda. Postremò non potest non eximia esse charitas, Mariã ad Messiaẽ aduentũ excipiendũ aspirare, nec solũ assentiri Angelo, sed etiã ex animo cupere ac precari, vt in se suisq; visceribus compleatur mysteriũ, cuius insignẽ vtilitatẽ ad Iudæos ac ethnicos peruenturã nouerat, vt in illo Abrahæ semine gentes oēs benedicerentur. Hoc nimirũ est, sicut Paulus loquitur, quæ

Luc. 1.

Eccl. 3.

Luc. 1.

Lib. de sanct. virgin. c. 4.

1. Cor. 7.
Isai. 56.
Matth. 19.

1. Reg. 15.

Philipp. 2.

1. Cor. 13.

Christi sunt & aliorum, sincerè quærere, ac charitatis præstare notas, quæ *congaudet veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius.

Isai. 12.

Luc. 1.

Ioan. 3.
Ioan. 1.

Rom. 8.

Jerem. 31.

Serm. de na-
tiuit. Chri-
sti.

HODIERNVM Festũ, quod semper in Ecclesia celeberrimum fuit, sic à me transigetur, vt nō modò sacrosanctæ Virginis, à qua nomen v̄sitatum retinet, quoniam Annuntiatio Mariæ dicitur, rationem habeam, sed etiam Christum Dominum benedictum Mariæ filium peculiariter suspiciam, & colam reuerenter. Etenim hic dies totum Fidei nostræ articulum de Conceptione & Incarnatione Filij Dei, quod salutis nostræ præcipuum est caput, & quasi fundamentum, complectitur, nobisq; considerandum proponit. Quare nouum induam spiritum, curis relictis omnibus, meq; ad seriam gratiarum actionem conuertam, veluti cum Isaia ex animo dicam: *Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.* Sed & Zachariam sequar ita loquentem: *Benedictus Dominus Deus Israël: quia visitauit, & fecit redemptorem plebis sue.* Nullus est profectò dies alius, quo se Pater æternus inde ab orbe condito clementiorem ac munificentiore perditis Adæ filijs, æternæque damnationi obnoxij præbuit. *Sic enim dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret,* qui cum Verbum esset æternum, nunc Virginis filius, & caro mortalis efficitur, ac in nobis incipit habitare, vt nos Dei filios, suosq; fratres faciat & coheredes. Idem Pater sublimius, admirabilius & augustius nō fecit opus, illud ipsum videlicet, in quod Ieremias prospiciēs, cū singulari admiratione testatus est: *Creauit Dominus nouũ super terrã.* **FOEMINA circumdabit virum.** Non enim infantem vel puerũ, sed virum appellauit, cui statim concepto non defuit virtus, sed semper virilis ætatis affuit fortitudo, licet illã infantilis infirmitas occultaret, vt cum Cypriano loquamur. Hoc illud est mysteriũ

super

super omnia mysteria celebrandū, quod summus Deus prioribus generationibus, mundi quē sapientibus abscondit, ac nouissimis temporibus, propter nos qui sumus fideles, vt indicat Petrus, manifestauit. Hic finis & scopus legis, quem soli Christo tribuere par est: hoc primum Euangelium de cœlis allatum, ab Angelo nuntiatum, in terris auditum, primūmq; Mariæ Virgini communicatum, vt sciamus, quandoquidem Christus carnem nostrā assumpsit, certum nobis esse signū, orbem cum Deo prius irato, per hunc propitiatorē reconciliari. Cur igitur hoc die nō gaudeam, ac toti etiam orbi non gratuler ob hanc immensam semper quē laudandam summi Dei benignitatem, qui tam decenti ordine ac felici successu incœpit atq; confecit hanc incomparabilem & summæ puritatis ac virtutis plenam conceptionē? Is nunc demū cogitat cogitationes pacis, ac propterea mittit legatum amplissimum Gabrielem, eum quē & Angelum, & paranympum. Mittit autē illum ad lectissimā Virginem, nō modō futuram Christi matrē, sed & sponsam Spiritus sancti, qualis alia nunquam extitit. mittit nō aliō quā ad Galilææ prouinciā ignobilem, & ad eius prouinciæ oppidulum Nazareth, vbi nō amplum erat Mariæ domicilium. mittit imperante Iudæis Herode alienigena, cū sceptrū de Iuda esset ablatū, quando Ioannes Baptista mensē sextum in sterilis vtero transigebat. Preterea has alias quē circumstantias, circa eiusmodi conceptionē non sine certa Dei prouidentia concurrentes, quas idcirco Lucas repetit, & nos meritō ponderare debemus. Etenim in solum Deum eius quē sapientiam laus illa competit: *Omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti.*

Cæterū vt ad Christū propiūs accedam, an illi primū in orbem venienti meritō non dixerimus: *Benedictus qui venit in nomine Domini?* De illo prædicat Angelus, quod virtutem & maiestatem ipso nomine suo præ se ferat. *Vocabis*, ait, *nomen eius* IESVM, ita nempe dictum, quod suum saluet populum à peccatis, quæ sine illo remitti nō possent. Deinde magnum illum fore nuntiat, quoniam hic solus Rex Regum &

Matth. 11.
Ephes. 1.
1. Pet. 1.

Rom. 10.

Rom. 3.

Ierem. 29.

Genes. 49.

Sap. 11.

Psal. 117.
Matth. 21.

Luc. 1.

Matth. 1.

Apoc. 19.
Hebr. 1.
Matth. 28.
Psal. 144.

Reg. 7.
Psal. 131.
Jerem. 29.
Ezech. 37.
Psal. 109.
sa. 9.

Genes. 3.
Genes. 12.
15. & 22.

Genes. 5.

Ioann. 6.
Deuter. 18.

Psal. 18.

Ezech. 34.

Isai. 7.

Dominus dominantium existit, qui portat omnia verbo virtutis suæ, cui & soli dicere conuenit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Magnus ille, cuius magnitudinis nō est finis, siue diuinitatem eius, siue humanitatem, & quæ per illā in terris gerenda sunt, respiciamus. Quid illo sublimius & augustius, qui tametsi hominis filius carne vestitus appareat, tamen etiā filius Altissimi, æterno Patri suo per omnia coequalis vocabitur, ac re ipsa comperietur? Præterea germanus erit filius & hæres clarissimi regis Dauidis, vt prophetica confirmant oracula, sed patrem suum Dauid in eo superaturus, quòd regnum suum in electis hic spiritualiter auspicabitur, illudque nunquam abolendum retinebit vel inuitis hostibus omnibus, quos ille suo regno, suisque pedibus tandem potenter subiecturus est. Quare Isaias de illo testatur: *Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia a modo & vsque in sempiternum.* Agit igitur hoc loco Angelus de illo Messia, quem tot præclaris typis, ac diuinis vaticinijs expressum atque promissum omnes veteres expectarunt. Est ille citra controuersiam semen mulieris, quod caput antiqui serpentis conterit: & semen Abrahæ non semel promissum, in quo gentes omnes benedicuntur. Designat illum Patriarcha Noë, de quo pater eius Lamech dixerat, *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Est singularis ille Propheta venturus in hunc mundum, de quo suis Israëlitis Moyses affirmarāt: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabis tibi Dominus Deus tuus. ipsum audies.* Est sponsus simul & gigas, quem Dauid commendans: *Ipse, ait, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius.* Est demum summus ille princeps & pastor Ecclesiæ à Deo Patre constitutus secundum illam promissionem: *Suscitabo super oves pastorem vnum, qui pascat eas.* Et paulò post: *Ego Dominus ero eis in Deum; & seruus meus Dauid princeps in medio eorum.* Quid autem eo luculentius, quod ab

Isaia scribitur: *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod est interpretatum, vt Matthæus explicat, *Nobiscum Deus*? Etsi autem Domini-
cæ incarnationis mysterium singularem ac incredibilem Dei
charitatem declarat, nec minùs Patri quàm Filio & Spiritui sancto ferri debet acceptum, tamen peculiari quadam ratione tribui solet Spiritui sancto, vt conceptionis huius auctori, quoniam is fons est & distributor (vt Scripturæ more loquamur) omnium gratiarum & donorum, quorum tanta in Christo fuit plenitudo, vt sicut Ioannes affirmat, ex eius plenitudine omnes acceperimus. Conceptus ergo Christus dicitur è Spiritu sancto, quoniam non ex libidine aut voluptate carnalis concupiscentiæ, non viri opera vel semine concurrente, sed ex diuina & supernaturali virtute, & supra omnem naturæ ordinem in corpore Virginis naturam suscepit humanam, ita vt ex purissimo Mariæ semine Verbum æternum, quod diuinæ naturæ hypostasis est, naturam & carnem humanā assumeret, ac Domini habitaret gloria in terra nostra, sicut Prophetæ loquuntur. Etenim de hac terra benedicta, quæ fructū suū benedictū protulit, sic asserit Isaia: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Et Propheta regius canit: *Veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit. Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum*. Tunc alibi rursus: *Descendet sicut stillicidia stillantia super terram*. Nam quæ stillæ de cælo cadunt, in terram imbibuntur, nihil quæ impuritatis habent admixtum, sicut in hominum cōceptione ac generatione fieri solet.

Verùm vt Festi huius fructum percipiā, imprimis de veteris Testamenti fidelibus, qui sub lege Moyse & antè vixerunt, hoc firmiter constituā, luctuosum & miserandū illorū fuisse statum, quādo quidem vera luce destituti, cū Oriens ex alto non affulisset mortalibus, velut in noctis tenebris, & umbra mortis cōmorabātur, summisq; beneficijs postea p̄ Christi aduentū allatis frui nō poterāt, quātūuis ad illa percipiēdam tam longis quàm ardentibus votis aspirarent. Etenim factas

Matth. i.

Ioan. i.

Isai 45.
Psal 84.
Psal. 71.

Luc. i.

Hebr. 11.

Genes. 49.

Cant. 1.

Psal. 84.

Isai. 64.

Isai. 49.

Isai. 60.

Ioan. 8.

Ephes. 5.

Luc. 1.

Genes. 18.

Hebr. 2.

sibi de Messia promissiones, vt cum Paulo loquamur, à longè aspiciabant & salutabant, ex imo interim pectore sua suspiria depromentes, vt dicerent: *Expectabo salutare tuum Domine. Osculetur me osculo oris sui. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Vtinam disrumperes cælos & descenderes.* Sed bone Deus quantò nunc rectius atque felicius cum Christianis agitur, quibus post diuturnas densasq; tenebras sol iustitiæ Christus illuxit, vt diuina luce illustrati, verum esse comperiant, quod aperte promittens filio Pater per Isaiam aiebat: *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Et rursus: *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Quamobrem de seipso Christus asserit: *Ego sum lux mundi. qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Meritò igitur pudefiam & tristis conquerar, tam multas ignorantia ac vitiorum tenebras, quæ se mihi quotidie offundunt, tanta luce fulgente non dissipari, meque cum filijs lucis, sicut Paulus vocat, non ambulare, vt suam in me lucem Christus ostendat ac operetur. Præterea iustum mihi dolorem concitabit, tantum Regem & Dominum à plurimis ardentissimè ac diuinitissimè desideratum, mihi magis non esse cognitum ac familiarem, vt venientem ac præsentem illum eo complectar affectu, quem summa eius maiestas ac dignitas, dicam & charitas, efflagitant. Notum est sanctæ Elizabethæ præclarum exemplum, quæ accedentis ad se Mariæ præstantiam tanto operè suspexit, vt in eius laudè palàm exclamaret. Et ego cum Messias ipse mihi sit obuius, mea que carne seipsum induit, nihil commoueor, vt præ admiratione & obseruantia in eiusmodi vocem erumpam: Vnde hoc mihi, vt Dominus meus veniat ad me, qui sum puluis & cinis? Non sum profectò dignus, vt sub tectum meum intres, multoque indignior, vt me tuum fratrem agnoscas, teque carni & sanguini filiorum Adæ communices. Tanto amori frigidus ego tam exiguum amorem rependo, & lapide durior, ad Messia aduentum non emollior, qui sumptam de matre carnem mihi redimendo prorsus cur

picimpendere: perinde ac si mihi potius quàm sibi concipiatur. Vt enim ipse testatur, *Non venit filius hominis ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptione pro multis, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Matth. 20.

Apoc. 1.

Contendant alij & rixentur, vt ut voluerint, de multis grauiusq; rebus, quæ circa purissimã Christi conceptione sese offerunt, vttramq; diuinam & humanã nostri Messia naturã oppugnent, & Mariam *Diuinam* seu Deiparam esse recte q; dici, cum Nestorianis inficientur. Ego vt Festi huius fructum proprium assequar, perpetuum anathema dicam omnibus, siue nostræ, siue superioris ætatis theologastris, qui serpentis antis qui afflatu seducti, Ecclesiæ Catholicæ quam Christus audiri iussit. probatæ fidei & constãti authoritati cõtradicunt. Hos ego pro Antichristis execrandis habebõ, qui soluunt Iesum, vt Ioãnes affirmat, Christi q; corpus sacrilegè scindunt. Soluit enim IESVM, sicut Beda interpretatur, quisquis vel eius Diuinitatem, vel animam, vel carnem negat, vt Catholicæ fidei aduersetur. Huius autem farinae fuerunt veteris impietatis nefandi professores, quos Tertullianus ætate sua perstrinxit ac dånauit, Valentinus, Hediõ, Marcion caput ipsum Manichæorum, & Apelles, sicut & Apollinaris: quorũ cõmune fuit studium, vt si possent, salutis nostræ basin euerterent, & verã Ecclesiæ de Christo fidem abolerent. Secuti sunt porrò Nestorius & Eutyches, quorum pestilentes errores à multis hodie sectarijs resuscitati, in Europa longè lateq; grassantur, sed & à Turcis. nefarijs passim corroborantur, sicut nos alibi pluribus demonstramus. Cæterum hoc festum illis duntaxat est salutare, qui relicta diuinis de rebus curiosã disputatiõne, simplicem & constantẽ Mariæ fidem afferunt, & sicut illi vni Gabrieli, sic etiam vniuersæ Ecclesiæ, in qua Christus loquitur, libenter & constanter adhærent. Hoc enim est, sicut Paulus requirit, non plus quàm oportet, sed ad sobrietatem sapere, & Ecclesiæ præpositis obedire.

Matth. 18.

1. Ioan. 4.

In eund. loc.
Iohan.

Lib. de carne Christi.

Vide lib. 3.
operis de
Maria virgine.Roman. 12.
Heb. 13.

Gratulabor sanè mihi & Catholicis omnibus, in recta fide confirmatis, sine qua impossibile est placere Deo, gratulabor

Heb. 11.

inquam talem nobis à Gabriele promitti, & à Maria præstari Messiam, qui eiusdem sit naturæ, potestatis & sapientiæ cum Patre Opt. Max. quiq̃ue sit verus Deus & homo, Deus quidem ante omnes sæculorum ætates sine matre genitus, & velut homo ex substantia matris in sæculo natus, ac simul ex anima rationali ac humana carne subsistens, qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus: vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus demùm non confusione substantiæ, sed vnitæ personæ, vt verbis vtamur Athanasij. Hic plenus est manetq̃ue gratia & veritate, dulcissimus Emmanuel, Deiq̃; ac Virginis filius, qui nos immerentes fratrum loco habere dignatur, nihilq̃; cupit ardētius, quàm vt cum ipso primogenito paternæ hæreditatis gloriam adipiscamur. Etenim potestatem dedit, vt qui fide ipsum recipiunt, è Satanæ seruis Dei filij efficiantur, ac propterea hæredes Dei, & Christi cohæredes à Paulo nuncupantur. Quam felicitatē si consequi cupio, potissimùm in eo fuerit mihi laborandū, vt hunc ipsum Dei ac Mariæ filium nō solum agnoscam atq; profitear, verùm etiā cum Simeone amanter amplectar, religiosè cum Magis adorem, docentem vti præceptorem cum Apostolis obedienter audiam, sed & cum Paulo vti saluatorem & iudicem ex animo desiderem, ac fidenter expectem. Sæpè igitur multumq̃; cogitabo, quantum illi debeam, qui mea causā in carne conceptus, natus atq; donatus est, & cui me totum, vt Domino ac redemptori, in sacro baptismo deuoui, sanctèq; cōsecraui. Væ misero mihi, si quasi conspirem vel commercium habeā cum Christi & meis hostibus iam abiuratis, neq; illi soli adhæreā, cui me perpetuum fore mancipium planè sponondi. *Nemo quippe potest duobus seruire Dominis. Quæ societas luci ad tenebras? quæ communicatio Christi èr Belial?* Absit proorsus, vt mundo, carni, vel Satanæ sim addictus, & in fœdum perfidiæ crimen incurram, adeoque mentiar Spiritui sancto, & partem cum illis habeam, quos Paulus perstringēs aiebat: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Frustra

Chri-

In symbolo
fidei.

Ioan. 1.
Rom. 8.

Luc. 2.
Matth. 2.
Matth. 17.
Philipp. 3.
2. Tim. 4.

Matth. 6.
2. Cor. 6.

Tit. 1.

Christum cognoscit ac profitetur, quisquis est seruus sciens, & non faciens Domini sui voluntatem, ideoque plagis multis vapulabit: *Beati autem qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Luc. 12.

Luc. 11.

Matth. 7.

De historia festi huius Euangelica illis, qui sacram Eucharistiam Paschali tempore sumpturi sunt, accommodanda.

Ex veteri & probato Ecclesiæ instituto insigne hoc festum non solum in Quadragesima celebratur, sed tunc etiam, quando Paschale tempus iam appetit, & Christianus populus non longè post ad sacram excellentissimi Sacramenti cõmunionem quotannis accedit. Quid autem est obsecro Quadragesima, nisi tempus, ut Augustinus vocat, medicinale, & religiosa quædam parasceue seu præparatio, ut quibus ætas congrua suppetit, sese ad Paschalem agnum ritè pièq; sumendum instruat, eòq; felicius Paschales ferias, quibus nihil est excellentius, celebrent, & cum Christo lætè resurgant? Vnde non inconsultum fore arbitror, ex Euangelica huius Festi historia quædam elicere, quæ vulgo Christiano ad mensem Dominicam accessuro seruiant, & dignum tanti Sacramenti usum multis in rebus ostendat. Vbi tres personas à Luca descriptas repetemus, Mariam virginem, Gabrielem Angelum, & IESVM ipsum virginis filium sanctè conceptum: quid autem singulæ circa rem Eucharisticam admoneant, subnotabimus. Ut à Virgine ordiamur, quæ prima certè Christum suscepit hospitem, vitam illa non vulgarem, sed à vulgari strepitu mundi; tumultu semotam instituit, ut sibi magis quàm alijs viuere, ac Deo peculiariter inferuire, ac de illo cogitare posset. Igitur ingressus ad illam Angelus dicitur, ut solus cum sola tractaret de sua legatione. Hoc exëplo siue typo significatū putabo, sacram Synaxin accessuros, à profanis negotijs ad sacra studia conuerti oportere, ut à mundo mundi; negotijs & curis externis non necessarijs se maturè subducant, nec diuisi sint, sed

Serm. 65. de tempore.

Luc. 3.

quæ

1. Cor. 7.
Deuter. 4.
Prover. 4.

Isai. 40.
Ioan. 1.
Luc. 3.

1. Reg. 21.

Exod. 39.

Cantic. 4.

Matth. 22.
Matth. 7.
Psal. 91.

1. Cor. 7.

quæ Dei sunt, cum Maria diligentius curent. Scriptum est enim: *Custodi teipsum, & animam tuam sollicitè. Omni custodia serua cor tuum.* Nimiùm agrestis & crassus est, qui tali tantoq; hospiti ad se venturo nõ instruit viam, nec apparat domicilium, quando per Isaiam & Ioannem dictum accepimus: *Parate viam Domini, & rectas facite semitas eius.* Deinde Virginis nostræ magna laus est à pudicitia, quã virgo esset ante partum, immo & in partu & post partum semper incorrupta. Ita certè qui cœlesti pane vescetur, cum castum & pudicũ esse corpore cõuenit, quando & in veteri Testamento legimus, Dauidẽ pro se ac suis panem propositionis expetiuisse, sed prius fuisse interrogatum, *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* respondisse autem sacerdoti Abimelec, *Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius.* Sed & Moyse Legis tabulas à Deo in monte accepturus, sanctificare voluit populum, hoc ab omnibus exigens: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* Neque corporalis tantum, sed & spiritualis integritas, valde in Maria fulsit, quæ tota pulchra fuit, à peccato libera, fide & moribus immaculata. Ita sumpturo Eucharistiam, animi mundities & à mortali crimine puritas est necessaria, ne sordidus appareat, & vel inuitus illud audiat: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Nam & Domini præceptum est: *Nolite sanctum dare canibus.* Domum Dei decet sanctitudo, inquit Psaltes: & iustum est, vt Sanctus Sanctorum in loco sancto habitet. Hinc suam quisq; conscientiam inspicere debet, ac à grauiore peccato expurgare, vt ne immundus, ac illotis velut pedibus in sancta sanctorum irrumpat, oblitus præcepti Apostolici: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Rursus, Maria Dominum susceptura certò credit, quod audit de tribus personis Diuinis, de omnipotentia Dei, de maiestate personæ Christi, & quòd apud Deum omne verbum non sit impossibile. Quid autem communicaturo magis quàm Fides de mysterijs credendis omnibus est necessaria? vt suum ille intellectum cum Maria captiuè in Dei obsequium, quia scriptum

est:

est: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Opus & peculiari humilitate, quæ si in vlllo alio, certè in Maria miro modo refulsit, per quam illa se ancillam Domini, atq; vt mater Emmanuelis fieret, indignam esse arbitrabatur. Accedat & obedientia necesse est, quæ Virginem hanc ad tantum mysterium & opus diuinum promptam effecit, ita vt suum corpus & sanguinem ad voluntatem Dei explendam libenter offerret. Sed prò dolor, quàm multis deest hodie Fides? quia nouos de hoc Sacramento alijsq; Fidei partibus errores mordicè retinent. Alij circa humilitatem impingunt, quia cum Maria & Centurione in Christo suscipiendo vilitatem & indignitatem propriam non agnoscunt, præsentemq; Christi maiestatem, cum Ioãne Baptista minùs expendunt. Plurimi spiritu carent obedientiæ, quoniam in Ecclesiæ fide, doctrina, legibus, & auctoritate nō acquiescunt, atq; hoc Sacramentum vnitatis, symbolum quoddam faciunt diuisionis. Quid verò magis optandum, & à Deo rogandum est, quàm vt in his alijsq; canon Apostolicus obseruetur: *Probet seipsum homo; & sic de pane illo edat?* Mentiar equidem, si Mariæ notatū exemplum permulta non doceat, quæ ad huiusmodi probationē in primis congruunt, cunctisq; sunt necessaria.

Sed quomodo Gabrielis persona in hoc argumento consideranda? Non quilibet ex populo venerandum hoc sacramentum vel conficere, vel porrigere, aut suis etiam manibus tractare debet. Quarendus est minister non qualiscunque, nam quæque secula multos hodie ministros obtrudit, qui corpus Christi neq; conficere, neq; dispensare possunt. Minister legitimus requiritur, qui per ostium sit ingressus, ac ritè consecratus, planèq; cum Gabriele nostro missus à Deo. Sacerdotes verò qui ritè vocantur & mittuntur, angelos Dei exercituum dici, satis Malachias illis verbis ostendit: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* De his Paulus etiam hoc dictum voluit: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Noluit sanè Christus de Virgine con-

Ifai. 7. iux.
Septuag.

Matth. 8.

Ioan. I.

I. Cor. II.

Mal. 2.

I. Cor. 4.

cipi, & suam in illa sedem figere, nisi Gabriel Angelus velut præcursor adesset, ac sibi quodammodo viam & ingressum præpararet, per quem & Maria prædicatum sibi Euangelium fide perfecta complecteretur. Ita verò Christus Sacramenti huius gratiam & fructum illis duntaxat largitur, qui sacerdotum Catholicorum vtuntur opera, illudq; cum fide accipiunt reuerenter. Per hos ipsos suos vicarios & legatos nunquam non Fideles consolatur, terret, absoluit, ac benedicit, donaq; sua vbiq; gentium distribuit. *Qui vos, inquit, audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui vos recipit, me recipit. Quorū remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hoc facite in mei commemorationem.* Horum sacerdotum typum gerebant Apostoli, cum Christus eis mandaret, vt benedictum à se panem acciperent, ac turbe in deserto discumbenti distribuerent, omnesq; præsenes nutrent atque saturarent. Pessimè igitur & sibi & alijs consulunt, Christoq; grauissimam iniuriam adferunt, qui veros Eucharistia ministros sua spoliant autoritate, dum illis & consecrandi & dispensandi Sacramenti huius adimunt potestatem, illudq; tam hæreticis, quàm orthodoxis ministrant. Nam & Iustinus Martyr peruetustus affirmat, ad diuinum cibum, qui Eucharistia dicitur, iam olim admissos nō esse alios, nisi hanc fidem profitentes, Christum qui carnem & sanguinem è Virgine pro nostra salute assumpsisset, eandem corporis veritatē nobis in Eucharistia donasse ac reliquisse. Vnde verbis disertis & illud pronuntiat: Quemadmodum per verbum Dei incarnatus est IESVS Christus saluator noster, & carnem ac sanguinem pro nostra salute assumpsit: ita quoq; per preces Verbi illius (sacerdotum officium intelligit) cibum ex quo sanguis & caro nostra per imitationem aluntur, cum benedictus fuerit, IESVS ipsius incarnati carnē & sanguinē didicimus esse. Quare perpetuò retinendū est, nullo cū fructu hoc Sacramentum percipi, sed ad iudiciū manducari, si nō accedat Gabriel legitimusq; minister, & si Maria in fide cōstans, id est, Orthodoxus, suam non præstet obedientiam ac reuerentiam.

Luc. 10.
Matt. 10.
Ioan. 20.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

Matth. 14.
Marc. 6.
Ioan. 6.

Apolog. 2.
ad Anton.
Pium.

Postremò mensam Dominicam accessurus, Christi personam in hoc notabit Euangelio, vt quod præcipuum est, non prætermittat. Christus autem hîc se Mariæ adeo fecit familiarem, vt ex puro eius corpore & sanguine naturam humanam sumpsit, ac matrem inde ab æterno delectam assumere voluerit, vt inde hominis quoq; filius appelletur. An verò idem Christus sese nobis benignius & clementius potuit communicare, quàm in hoc ipso Sacramento se primùm Apostolis, ac deinde nobis omnibus cõmunicauit; hoc verissimè pronuntians: *Desiderio desideravi hoc pascha māducare vobiscum.* Venit ille, postquam Virgo Angelo assenserat, non ob merita eius præcedentia, sed puro & ardenti amore permotus, quemadmodum & nūc in miserationibus multis, ad quemlibet etiam abiectissimum venire, seq; illi totum cum corpore & sanguine, cum Diuinitate & humanitate offerre consuevit, perinde ac si amāter diceret, *Hodie in domo tua oportet me manere. In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans.* Venit ille ad Mariam non vacuus, sed plenus gratia, suisq; donis immensis illam replere cupiens, quæ longè magis quàm antea sanctificaretur atq; benediceretur. Nec dubium, eos omnes, qui se dignè cum Christo in hoc Sacramento coniungunt, nouis ac mirificis gratiæ muneribus cumulari, sicut & illa Domini verba declarant: *Qui manducat me, & ipse viuere propter me. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat meam carnē, & bibit meum sanguinē, in me manet, & ego in illo.* Qui enim purè & sanctè Domini corpus accipit, ita Filium Dei in se admittit, vt eius corpori tanquàm viuum membrum inseratur, & præter alias incredibiles utilitates æternam quoque gloriam cõsequatur, iuxta illud promissum: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Idem præterea Christus, verus profectò Eliseus, dici non potest, quàm se gratum hospiti suæ declarauerit, quantisque consolationibus & gaudijs matrem in aduentu suo perfuderit, vt spiritus eius in Salutari suo non potuerit non exultare,

Luc. 22.

Luc. 19.
Ierem. 31.

Ioan. 6.

Ioan. 6.

4 Reg. 4.

Luc. 1.
Psal. 34.

om-

Luc. 1.

Sapi. 16.

3. Reg. 19.

Galat. 6.

1. Tim. 1.

Ioan. 13.

In 1. ad.
Corin. 11.

omniaq; illius ossa nomini sancto Dei benedicere. Demum in virgineo Matris vtero cōceptus Christus, inter alia soli Mariæ cognita hoc operatus est, vt illi author & impulsor esset ad charitatis officiū cum Ioannis matre præstandum, ideoq; illa se parare debuit ad longinquam profectiōnē, nec solū Elizabetham grauidam anum inuisere, sed etiam se illius ministerio accommodare, quamdiu in Zachariæ domo versabatur. Nec dubium sanè, Sacramenti huius vberem & copiosum esse fructum in piè cōmunicantibus, Christo nimirum efficiente, vt illorum animi summa conscientia pace & tranquillitate perfruantur, & ex præsentī manna omnis suauitatis saporem percipiant. Sic enim impletur quod scriptum legimus: *Angelorum esca nutriti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illi sine labore, omne delectamentū in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Hic est ille panis, cuius virtute recreatus Elias, inoffenso pede ad montem Dei sanctum vsque ambulat, suosq; vincit potētes aduersarios. Quæ Christi lex nisi charitas? de qua dixit Apostolus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legē Christi.* Hanc verò Christus cum ab alijs, tum à suis fidelibus hoc cibo & viatico instructis exerceri, & præstari vult maximè. *Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta,* inquit Apostolus. Parum profuerit sumpta Eucharistia, nisi charitatis & misericordiæ condimentum accedat, eaq; nota suos discipulos agnoscī voluit Christus inquit: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionē habueritis ad inuicē.*

Hæc pluribus persequi visum est, quòd incarnationi Dominicæ, quæ nobis hodie non sine summo Dei beneficio celebratur, cum venerando Eucharistiæ Sacramento perbellè conueniat, & Patres quidem vtrumq; argumentum libenter conferant atque coniungant. Haimo Halberstatensis olim in Germania Episcopus scribit in hunc modū: Sicut caro Christi quam assumpsit in vtero virginali, verum corpus eius est, & pro nostra salute occisum: ita panis quem Christus tradidit discipulis suis, omnibusq; prædestinatis ad vitā æternam,

&

& quem quotidie consecrāt sacerdotes in Ecclesia, cum virtute Diuinitatis, quæ illum replet panem, verum corpus Christi est. Nec sunt duo corpora illa caro quam assumpsit, & iste panis, sed vnum verum faciunt Christi.] Nos verò ad alios vt vetustiores, ita celebriores etiam Patres, qui Dominicam incarnationem cum re Eucharistica componunt, nostriq; temporis Sacramentarios impios damnant, accedamus. An non aperta sunt verba Ignatij Martyris? Panem Dei volo, panem ecclestem, panem vitæ, qui est caro IESVS Christi filij Dei vini, qui natus est in nouissimo, ex semine Dauid & Abrahæ.] Hilarius hoc modò ratiocinatur: Verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosq; verè sub mysterio carnē corporis sui sumimus, & per hoc vnum crimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis.] Nec est obscurus Ambrosius ita loquens: Liqueat quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod cōficimus (sacerdotes,) corpus ex Virgine est. Quid hinc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus IESVS partus ex Virgine? Vera utiq; caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est: verè ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus IESVS: Hoc est corpus meum.] Testatur & Gregorius Nyssenus, Eucharistiam corporis esse panem, quo famescentes, mysteriū Virginis perdocti, facillè saturantur.] Et ne Augustinum præteream, is Christum Christi q; carnem è Maria susceptam, in Eucharistia tum manducandam, tum adorandam esse cōfirmat. Suscepit, inquit, de terra terram, quia caro de terrā est, & de carne Mariæ carnem accepit. Ac rursus: In ipsa carne hinc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.] Affirmat & Damascenus, Christi corpus secundum veritatem coniunctum esse Diuinitati, quod ipse quidem ex sancta Virgine sumpsit, quodq; postea in panis & vini speciem transmutatur operante Spiritu sancto, de quo dixit Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus Altissimi ob-*

Epist. ad Romanos.

Lib. 8. de Trinita.

Lib. de ijs qui mysterijs init. c. 9.

Lib. de vita Moyfi.

In Psal. 90.


Lib. 4. de fide orthodox. c. 14.

Luc. 1.

Luc. 1.
Matth. 26.

1. Cor. 11.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

umbrabit tibi.] In eandem sententiam alij quoq; veteres concedunt, quos longum sit hoc loco repetere, magnoq; consensu declarant, Christi Domini carnem ex Maria susceptam, sicut prædixerat Gabriel, & in sacra Eucharistia nobis vsque remanentem, vt Christus ipse cõprobat, verè viuificatricem & operatricem esse. Tantum abest, vt fidem tribuere debeamus nouis & blasphemis doctoribus, qui in dubiũ sacra ferè omnia reuocant, & hoc tam venerandum mysteriũ in mera symbola & inania signa conuertunt, quicquid tandem columna veritatis Ecclesia tot sæculis docuerit, & veritas ipsa Christus de suo corpore tradendo, deque suo sanguine nostri causa profundè diserte pronuntiãrit, & vnà cum Paulo scripserint Euangelistæ.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro Catholicis populis, vt excellens Dominica Incarnationis mysterium, quod & redemptionis humanae exordium est, gratis animis recolant, ac religiosè potiùs adorent, quàm curiosè scrutentur: vtq; summi beneficij loco semper habeant, Verbum eternum in Maria vtero carnè factum esse, & in nobis habitare cœpisse, vt nos è Satana mancipijs filij Dei, ac diuina natura consortes efficeremur.

ORABO & profidelibus vtriusq; sexus, vt in salutiãda & honoranda Deipara non modo Gabrielem Angelum, & Ioannis Baptistæ matrem, sed & Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Ephraem, Damascenum, Bernardum, aliosq; patres ac maiores nostros propensis pijsq; animis imitemur.

DIVINAM quoq; gratiam implorabo, vt multi tantò constantiùs ac studiosiùs Virginem hanc sanctiùsimam sibi colendam proponant, quantò plures nunc sectarij aduersus Mariæ cultum &

hono-

honorem hostiliter pugnant, & sicut Ioannes dixit, hoc Dei tabernaculum non sine spiritu blasphemia impetunt & proscindunt.

Apoç. 13.

PRECABOR etiam Dominum, ut precipuas virtutes Dei para Virginis, nempe fidem, castitatem, humilitatem & obedientiam hoc pessimo saculo in multis renouari & augeri concedat, ne pro illis regnare pergāt heresis seu infidelitas, impudicitia vel incontinentia, superbia & inobedientia, fontes nempe malorum omnium, quæ Christi meritum plurimis auferunt, & veluti sunt fundus nostra calamitatis.

SED & sacrum pascha breui celebraturos diuina commendabo gratia, ut venerandum corpus Domini ab illis non cum Iuda ad iudicium, sed cum Maria dignè ac salutariter percipiatur, illiq; eiusdem Virginis, quam Irenæus aduocatam vocat, patrocinio & intercessione iuuentur.

Lib. 5. cont.
hæres.

IN DIE FESTO BEATI MARCI EVANGELISTÆ. HVIVS FESTI EVANGELIUM ALIIS ETIAM DIVIS, QUI

intra Pascha & Pentecosten alicubi celebrantur, potest & solet accommodari.

Sequentis Euangelij Argumentum.

CHRISTVS post extremam cœnam à discipulis ad mortem abiturus, ad eosdem in futuris afflictionibus consolandos insignem proponit parabolam siue simi

litudinem, quæ summam vitem, vinitorem seu agricolam, & palmites partim frugiferos, partim infrugiferos cõrinet. Vitem se ipsum Dominus facit, vt qui gratiæ suæ succum seu humorem transfundit in palmites, qui sine illa nec valere, nec fructificare possent. Vinitorem verò seu agricolam Deum Patrem constituit, quem & purgatorem palmitum in vite ipsa manentium esse testatur. Palmites autem refert ad fideles omnes, siue boni illi, siue mali sint, qui saltem fide Christo viti adhærent, & in eius manent Ecclesia. Ceterum palmites frugiferos appellat eos, qui fidei charitatem, & bonorum operum fructus adiungunt, vt fidem otiosam ac mortuam non habeant. Infrugiferi porrò sunt palmites, qui tamen fidem Christianam in Ecclesia profiteantur, tamen vitam virtutibus præditam, & fructus bonorum operum non proferunt, quemadmodum fatuæ virgines charitatis oleo destitutæ, & hoc spes ille sine nuptiali veste discumbens faciebant. Vt verò priores palmites dulce gratumque vinum suo vinitori pariunt & commendantur: ita posteriores ab illo ipso non solum abijciuntur, sed etiam velut radicitus excinduntur, & sicut paleæ exuruntur. Tam verum est illud axioma: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Præterea tractat hoc Euangelium de verbo Dei, quod rectè dignèque perceptum Apostolos & fideles omnes mûdat ac purgat, vt tantò sint fructuosiores, quantò fuerint mundiores, sicut loquitur Augustinus. Rursus vrget & confirmat dilectionem, per quam in Christo vsque maneamus, nostramque obedientiam præceptorum obseruatione declaremus. Cæterum ad Euangelium totum rectiùs accipiendum haud parum profuerit, quod Cyrillus Alexandrinus in hunc modum scribit. Voluntaria est nostra cum Christo communicatio, & charitate ac fide perficitur. Et fides quidem in animo nostro consistit, veram Dei cognitionem efficiens; charitas verò mandatum eius seruare facit. Qui enim me diligit, is, inquit, mādara mea seruabit. Qui ergo per fidem Christo solummodo coniunguntur, sola illi confessione inhaerentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmi-

Matth. 25.
& 22.

Matth. 3.

Matth. 3.
& 7.

Serm. in hoc
Euang.

In 15. cap.
Ioan.

Ioan. 14.

tes quidem sunt, sed non fructuosi. Nam fides absq; operibus mortua quædam res est: huiusmodi autem palmites agricolæ falx seuerissimè amputat, & igni tradit: hoc enim modo de infructuosis arboribus solet fieri.]



EVANGELIUM IOAN

nis X V.



In illo tempore dixit IESVS discipulis suis: Ego sum vitis vera; & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me nõ ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis: vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater, vt fructum plurimũ afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruauit, & maneo in eius dilectione.





NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est.

X E T E R N A E sapientiæ & verę viti Christo fit gloria, qui ex ingenti charitate, cùm homo factus est, adeò se nobis rudiq; hominum captui attemperat, vt cum illis colloquēs, ad crassas & rusticas similitudines descendere, & illis velut quibusdam imaginibus doctrinæ suæ cœlestis mysteria vulgo etiam explicare non dedignetur. Sic enim per Prophetam antea promiserat: *Aperiam in parabolis os meum*: id quod tam sedulò fecit, vt si Marco credimus, sine parabola turbis non loqueretur. Quàm verò multa hoc vno dicto præceptor optimus comprehendit, cùm Patrem suum, vt agricolam seu vinitorem introducit? Habet enim ille, si quis omninò alius, illustrem & amplam vineam Ecclesiam, eamq; probè plantatam, & adeò adamatam, vt de illa cogitare & curare desinat nunquam, ad quam excolendam alios atq; alios subinde mittit operarios, nullis parcens sumptibus, vt huic lectissimæ vineæ suæ conseruandæ ac prouehendæ nihil desit. *Quid enim est, inquit, quod debui ultra facere vineam meam, & non feci ei?* Vnde alibi quoq; de hac vinea differens Christus, affirmat eam à patrefamilias esse plantatam, & sepe circumdatam, in qua torcular defossum, ac turris ædificata reperiantur. Quæ omnia huc referam, vt Ecclesiæ sanctæ vineam, extra quam saluus esse non possum, & qua summo eius fundatori, custodi ac protectori nihil est in terris charius, valde mihi habeam commendatam. Tum in eo ipso sincerè gloriabor, qui me licet immerentem, ad hanc nobilissimam eius possessionem gratiosè vocauit, multisq; in illa beneficijs quotidie cumulare non cessat. Nam verè dixit Gregorius

Pfalm. 77.

Marc. 4.

Matth. 20.

Isai. 5.

Matth. 21.

gorius

gorius Magnus, solam Ecclesiam esse Catholicam, per quam sacrificium Dominus libenter accipit, solam quæ pro errantibus fiducialiter intercedit, in qua Redemptoris vera hostia immolatur, & opus bonum fructuose peragitur, in qua diuina mysteria veraciter considerantur, & omnis veritas ritè cognoscitur. Quòd si complures vel insani, vel crudeles hanc vineam Domini Sabaoth furenter oppugnant, vt eius vnitatem scindere, sacramenta tollere, authoritatem pessundare, legesq; & instituta abolere possint, id ego ad salutarem fidei meæ probationem spectare ducam, memor Apostolicæ sententiæ: *Oportet hereses esse: vt & qui probati sunt, manifestentur.* Certum interim habebō, quòd *non dormitabit, neq; dormiet qui custodit Israël, quòd q̄ diligentibus Deum omnia in bonū cooperantur.* Quid autem est Omnia? nisi quòd & ipsas terribiles sevasq; passiones intelligat, vt Augustini verbis vtamur. Deinde quid mihi auditu iucundius esse potest, quàm quòd Christus sese vitem verā, & rotius vineæ quasi radicem ac nutricem designat, & per omnes præstat ætates? Etenim quem admodum radix virtutem ac vigorem in palmites transfundit, illosq; perpetuò fouet ac alit: ita & vnigenitus Dei filius, qui se totum nobis donare voluit, non modò suum nomen, verbum, & spiritum, ipsamq; cœlestem hæreditatem, verum etiam se ipsum, naturamq; suam nobis benignissimè communicare dignatus est, vt fideles per talem Mediatorem dignitatem adoptionis filiorum Dei consequantur, nec modò dicantur, sed sint etiam filij Dei Ioanne Apostolo teste. Propter quam causam, inquit Paulus, *Non confunditur fratres eos vocare.* Ac rursus: *Participes Christi effecti sumus.* Tum princeps Apostolorum affirmat, per Christū maxima & pretiosa nobis pmissa donari, vt per hæc diuinæ nature cōfortes efficiamur. Quid autē ille à nobis pro hac tanta gratia requirit, nisi hoc vnum, vt ipsi per fidem & charitatem adhæreamus? *Qui enim adheret Domino, vnus cum eo spiritus efficitur,* vt à Paulo scriptū est. Et Christus apertè docet: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quòd cūq; volueritis, petetis, et fiet vobis.*

Lib. 35. Moralium. c. 7.

1. Cor. 11.

Psal. 130.

Rom. 8.

Lib. de gratia & lib. arbit. cap. 17.

1. Ioan. 3.

Heb. 2.

Psal. 21. & 17.

Hebr. 3.

2. Pet. 1.

1. Cor. 6.

Ioann. 15.

CONFIRMABO autem & prædicabo iustum Dei iudicium, cui visum est, gratiæ suæ, & æternæ salutis participes in orbe adultos nullos facere, nisi qui, tanquam membra Filio suo uti capiti inhæserint, ac simul in mystico eius corpore, quod est Ecclesia, perseverauerint, tum vocatione sua fructum dignum attulerint, ut minimè sint inutiles aut otiosi, nudaque fidei professione contenti. Frugiferos planè palmites requirit hic cœlestis agricola, qui & primum hominem hac lege incolam fecit paradisi, ut operaretur & custodiret illum, quæque non nisi fidis vineæ suæ operarijs promissum denarium iubet exfolui, & qui demùm suas arbores omnes à bonis fructibus vult agnosci atque probari. Vnde Christus etiam hoc loco fideles illos laudat, & à nobis laudari postulat, qui manentes in vinea, fidem suam benefactis commendant, ac velut electi palmites, vinum dulcissimum, & conseruatu dignum suo tempore adferre ac relinquere solent. De illis ergo tantum palmitibus agitur, qui relicta omni infidelitate, veram fidem amplexi sunt atque professi, & ab illa non excidunt. Etenim infidelium extra vineam hanc laborantium, sicut antiquorum extra Noe arcam consistentium, certa est damnatio. *Qui enim non crediderit, iuxta Christi sententiam, condemnabitur, & sine fide impossibile est placere Deo.* Vnde Paulus quoque dixit: *Quid enim mihi de his foris sunt, iudicare?* Et irrevocabilis est Christi regula: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Palmitum quippe nomine illi habentur indigni, qui nihil in se servant, unde à vite Christo dependeant, & meritorum eius participes fiant, quamdiu fide sunt vacui, fide inquam omnis iustitiæ & salutis humanæ fundamento, ut sæpè nos admonet Augustinus. Rectè igitur scripsit hoc modo Theophylactus: *Omnem hominem qui per fidem factus est pars radicis, & vnitus Domino, & incorporatus ei, oportet & fructum afferre, hoc est, vitam habere virtutibus præditam. Quòd si quidem solam ac nudam confessionem fidei quis habeat, & non per observationem mandatorum fructum ferat, mortuus palmes fit. Fides enim absque operibus*

Genes. 2.

Matth. 20.

Matth. 7.

Genes. 7.

Marc. ult.

Heb. 11.

1. Cor. 5.

Matth. 18.

In præsens
Euang.

Iacob. 2.

bus mortua est. Omnis igitur fidelis in Christo quidē esse videtur, quatenus credit. *Idē est Cyrilli & Euthymij sentētia.*

Ego verò non parum doloris hinc hauriam, quando quidem tot annis Christo per fidem insitus maneo, verbum eius audio, in ipsius vinea versor, eius Sacramentis vtor, & ad laborandum inuitor: neq; tamen frugiferum palmitem præbeo, vt & Patrem agricolam, & Filium eius vitem mihi conciliem, ac vtrumque amore flagranti & obedientia sincera prosequar. Etenim otiosè potius quàm fructuosè tempus hoc gratiæ transigo, neque dictum illud Apostolicum obseruo: *Ipsius Dei sumus factura sue figmentum, creati in Christo* IESV, *in operibus bonis, quæ preparauit Deus vt in illis ambulemus.* Tum idem alibi monet, Saluatoris nostri gratiam omnibus hominibus idcirco apparuisse, vt sobriè, iustè & piè viuamus in hoc sæculo: Christum enim sibi mundare voluisse populum acceptabilem, bonorum operum sectatorem. Cur igitur veterem torporem non excutio, & seriò non dispicio, vt vocatione mea dignè ambulem, eamque fructibus, vt Paulus vocat, spiritus comprobem, & carnis operibus non conspurcem? *In hoc enim clarificatus est Pater, vt fructum plurimum afferatis, & eius discipuli efficiamini.* Præterea me ipsum incubabo, quòd palmitem mihi assignatum in hac vinea non circumcidam, sed quasi sarmentis noxijs syluescere sinam & eluxuriare, cum præceptum tamen diuinum & palmitis natura circumcisionem exigat, Deo per Prophetam præcipiente: *Circumcidite præputium cordis vestri.* Ac iterum: *Circumcidimini Domino, & auferite præputia cordium vestrorum.* Quid quòd Patris æterni opus in me impedio, cum manum illius medicam subterfugio, vel porrectum ab illo pharmacum inuitus amplector? Nisi enim proprium eius esset opus, in putanda vite, & purgandis palmitibus accuratè versari, non tam luculenter diceret Christus: *Omne palmitem qui fert fructum, purgabit eum Pater, vt fructum plus adferat.* Purgat autem internis inspirationibus, & salutaribus increpationibus, vt dormientem ac segnem ad benè beatèque viuendum vrgeat. *Surge, in-*

In hoc ipsum
Euang.

Ephes. 2.

Tit. 2.

Ephes. 4.
Galat. 5.
Ioan. 15.

Deuter. 10.

Ierem. 44.

Ephes. 5.

Matth. 5.
& 19.
Luc. 13.

Ifai 4.

Malach. 3.

Ioan. 13.
Tractatu
80. in Ioan.

1. Ioan. 1.

Pfal. 31.

Pfal 50.

Luc. 9. & 10.

quit, *qui dormis*. Purgat gladio Spiritus, hoc est, verbo suo partim promissorio, partim exhortatorio, partim interminatorio, ad iustitiam pleniorē inuitans. Hinc dicta illa extant Evangelica: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Purgat insuper, externas molestias & qualescunq; afflictiones immittens Fidelibus, vt veteris hominis rubiginem facilius detergant, ac multarum cupiditatum, & noxiarum affectionum radices magis ac magis euellant ac extirpent. Est enim ipse, sicut Propheta loquitur, qui *abluit sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauat de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris. Ipse purgabit filios Leui*, vt apud Malachiam legimus, *& colabit eos quasi aurum, & quasi argentum. Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum*. Et sanè quamdiu in præsentis vitæ imbecillitate simul & impuritate viuatur, iusti etiam quotidianis nauis vel sordibus polluuntur, & pedum seu affectuum indigent ablutione, dicente Domino: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*. Quis enim est in hac vita sic mundus (Augustini verbis vtor) vt non sit magisq; mundandus? Vbi si dixerimus *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui dimittet nobis peccata, & mudabit nos ab omni iniquitate*. Mundat itaque mundos, hoc est, fructuosos, vt tantò sint fructuosiores, quantò fuerint mundiores. Et quoniam pro hac iniquitate sanctus omnis orabit, ego etiam immunditiæ meæ, alijs licet ignotæ, mihi conscius, cum Propheta sancto precabor: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Cor mundum crea in me Deus*. Quapropter desipio vehementer, si mundanti ac purganti me Domino, qui suam cuiq; crucem imponit, & vulnerato oleum simul & vinum infundit, contradico magis quàm obsequor; tum si molesto feram animo, qualescunq; à me sustineri voluerit mundi huius ærumnas, corporis imbecillitates, doloris aculeos, paupertatis angustias, & quasuis hostiū persecutiones.

Sunt

Sunt enim illa velut purgatoria quædam pharmaca non mihi tantum, sed electis etiam omnibus à sapientissimo medico vtilissimè præparata atq; porrecta, vt per ea ipsa noxijs velut humoribus liberemur, & veram animæ sanitatem commodius assequamur atq; conseruemus. Vnde Iacobus Apostolus dixit: *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentijs se.* Id quod Iob quoque tam multa & acerba sustinens confitetur: *Beatus homo, inquit, qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobet.* Et multa quidem extant Sanctorum exempla, qui varijs dirisq; modis à summo Deo purgati, & velut aurum electum igne probati, frugiferos se palmites præbuerunt. Horum Sanctorum catalogum^a Iudith,^b Matathias & ^c Paulus recensent, vt sciamus quàm verè dictum sit illud: ^a *Multa tribulationes iustorum,* quorum per^b viam angustam ingredientium propria est vtiq; illa confessio: ^c *Transiuimus per ignem & aquam.* ^d *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus.* ^e *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Ceterum optabo mihi partem aliquam cum iustis illis contingere, qui Deo purganti & percutienti non modò se patientes & subditos exhibent, sed etiam vt rebus aduersis probentur & exerceantur, ex animo petunt desiderantq; quòd sciant humanam firmitudinè non rectius confirmari, & infirmitatem, nostrã ægrè restitui, nisi disciplina & correctio quædã accedat seuerior. Vnde Propheta regius dicere non metuit: *Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos & cor meum.* Ac velut huius petitionis rationem reddēs, alibi meminit: *Disciplina tua correxit me in finem.* Ac iterum: *Bonum mihi quia humiliasti me.* Tum rursus: *In tribulatione dilatasti mihi. Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.* Nec discrepat Ieremiæ confessio: *Castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.* Demùm quod Salomon pro sua scripsit sapientia, & Paulus repetere non dubitauit, id mihi omninò dictū esse sentiam: *Disciplinã Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias cum ab eo corripieris.*

Iac. 1.

Iob 5.

Sap. 3.

^a Iudith 8.
^b 1. Maccab. 2.
^c Heb. 11.
^a Psal. 33.
^b Matth. 7.
^c Psal. 65.
^d 1. Cor. 4.
^e Act. 14.

Psal. 16.

Psal. 17.
 Psal. 118.

Psal. 4. & 22.

Ierem. 31.

Prouer. 3.
 Hebr. 12.

riperis.

I. Cor. II.
Tobiae 12.

riperis. quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater, in filio complacet sibi. Verum à Paulo solum hoc adiungitur: In disciplina perseverate. quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. Vbi disciplinam pro castigatione, & paulò seueriore animaduersione accipiam, cum sit Sanctorum proprium, afflictiones pati atque castigari. Dum enim iudicamur, à Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur, inquit Apostolus. Et Raphaël Angelus Tobiae iusto significanter dixit: Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

Heb. 10.
Matth. 25.
Ioan. 5.
Ioan. 3.

VERE' terribilis est expectatio iudicij, quod suis fidelibus futurum Christus ipse iudex denuntiat, non sine graui ac metuenda interminatione. Vt autem supra diximus, non hîc de infidelibus agitur, qui iam iudicati, immò & igni adiudicati sunt; sed de renatis & baptizatis, per fidem, & non per charitatem Christo colligatis atq; coniunctis, de quibus alibi sic differit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Ac de iisdem statim adiungit: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Verum est igitur quod Augustinus disertè testatur: Sine charitate fides potest quidem inesse, sed non & prodesse. Propter quod & Apostolus Paulus, In Christo, inquit, Iesu, neq; circumcisio, neq; preputium aliquid valet, sed fides quae per dilectionem operatur. Nam & Paulus ipse fidem à charitate discernens, planissimè docuit: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ac

Matth. 7.

Lib. 15. de
Trinit. c. 18.
Galat. 5.

I. Cor. 13.

deinde cùm tria nobis ad benè beatèq; viuendum necessaria posuisset, fidem, spem, charitatem, *Maiores horum*, inquit, *est charitas*, vel vt alij vertunt, Maxima in his est charitas. Quæ certè nostro Euangelio valde sunt cõsentanea, in quo Christus duplicem viam ostendit, qua homines in Ecclesia sibi salutem æternam conciliant, fidem nimirum & charitatē præceptorum Dei obseruatricem, simulq; subindicat fidem ipsam nobis non nisi charitate vtilem reddi atq; salutarē. Si autem fides sine dilectione sit, sine opere erit, teste Augustino. Qui rectè amat, proculdubio rectè credit & sperat: qui verò non amat, inaniter credit & sperat, vt idem affirmat. Vbi ego mœrens cogitabo de lacrymabili tot mille animarum pernicie, quæ à vera fide hoc sæculo descuerunt, & quotidie adhuc vbique ferè gentium desciscere & præcipientes ruere pergunt. Ita quippe complentur Apostolorum yaticinia, quibus discretè prædictum est: *In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis. In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris.* Immò verò Christus ipse nos præmonuit palàm: *Filius hominis veniens, pertras, inueniet fidem in terra?* Nimirum ostendens, in extrema mundi senecta non modò charitatem, sed etiam fidem in pluribus extinguendam esse. Quis autem obsecro, non deploret miserandam illorum infelicitatem, qui à Christo eiusque mystico corpore tam leuiter se ipsos segregant, ac veterem fidem tot seculis atq; miraculis confirmatam, cum perfidia noua, valdeque scissà commutant, vt fideles nullo modo dici queant, sed infidelibus, quibus nihil à Christo est alienius, necessariò veniant aggregandi. In quod hominum siue apostatarū maledictum genus, maximè qui se sectis damnatis addicunt, omninò competit quod princeps Apostolorum granissimè dixit: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato.* Atque vt minùs in nomine infidelium laboremus, quod nunc sectarij omnes à sese nituntur depellere, apertam certamq; Fulgentij sententiam audiam: Firmissimè tene, in-

In Psal-
mum 31.

Enchirid.
c. 117.

2. Pet. 2.
1. Tim. 4.

Luc. 18.

Matth. 24.

2. Pet. 2.

Lib de fide
ad Petr.
c. 38.

quit,

Eod. lib.
c. 37.

1. Cor. 13.

Genes. 7.

Lib. 1. de
Symbolo
cap. 5. & e-
pit. 42.

Matth. 22.
Rom. 13.

Isai. 5.

quit, & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed etiam omnes Iudæos, Hæreticos atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Ac rursus clarissimè pronūtiat: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiam Catholicam baptizatum, participem fieri nō posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ huius, Catholicæ nō fuerit redditus atq; incorporatus Ecclesiæ. Quia si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, & nouerim omnia sacramenta, charitatē autem non habeam, nihil sum. Nam & in diebus diluuij neminem legimus extra arcam potuisse saluari. O seueram & horrendam in nos iram diuini numinis, cuius permissu Europa tota tot fidei desertoribus ac hæreticis passim abundat, qui vt Augustini verbis vtar, velut sarmenta inutilia ab Ecclesia præciduntur, quantumuis illi de sola figura originis, seu Christiano nomine gloriantur. Deinde mihi bonisq; plangendum est omnibus, in hoc Fidelium numero, qui valde contractus hodie cernitur, magisque indies contrahitur, tales extare palmites, in quibus arida vel morti proxima iacere omnia ferè videantur. Deest enim, proh dolor, quod præcipuè Christus requirit, & nobis ad iustitiam & salutem cumprimis necessarium erat, sancta & aurea charitas, nuptialis illa vestis, ac totius diuinæ legis summa & compendium, charitās inquam, qua Deus nos sui dilectores facit, qua & iustificamur & saluamur, Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos purè diligentes, sine qua neque Christi discipuli esse, neq; cum fructu precari, & bona nobis promissa consequi possumus, sed in Patris & Filij & Spiritus sancti ira odioq; perseueramus, & à creaturis demum omnibus iure maledicimur atq; castigamur. Nec minus illorum causa lugebo, cunctisq; lugendum esse censebo, qui non modo fidem sterilem ac mortuam, sed multis etiam criminibus foedè pollutam atq; conspurcatam adferunt, vt siue radicem illorum, siue palmites ipsos contempleris, non nisi labruscas & fructus amarissimos prorsusque abominabiles præbeant.

Placet

Placet illis pro charitate cupiditas, malorum omnium radix, & si non peccant in Spiritum sanctum, quod quidem peccatum irremissibile dicitur, tamen volentes ac prudentes Deo & Ecclesiæ sunt inobedientes, ad omne opus bonum reprobi, ut Paulus loquitur, qui & sæpè proximos lingua & opere non parùm offendunt, neq; sine apertis viuunt scādalis, multorumq; criminum clam palamque sunt magistri & administri, qui demùm secundùm Apostolum confitentur se nosse Deum, factis autem negāt. Bone Deus, Ecclesiæ vineam tam malè curari à domesticis, ut qui se passim visendos exhibent nō dicam aridos, sed etiam putridos & pestiferos palmites, è quibus fœda sæpe prorumpit sanies, partesq; vicinas inficit, ut meritò de illis dicatur: *Nomen Dei per vos blasphematur*, quandoquidem Catholicum nomen illorum gratia Turcis & sectarijs magis magisque probrosum & exosum in dies redditur.

Expendam porrò nō nihil, quid Christus eiusmodi fidelibus, si nō planè carnalibus, at certè quidem charitate vacuis, & suæ vocationis fructu carentibus interminetur, quamque pœnam illis luendam decernat. Primùm, illis auferet, quem prius contulerat, gratiæ humorem & succum, sicut & alibi significat, loquens de inutili seruo, qui ab hero traditam pecuniam terræ infoderat: *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quis verò pauperior & calamitosior videri potest, quàm cui bona concessa eripiuntur, ut à vera vite Christo, & à fructuosis electisq; palmitibus nō aliter separetur, quàm præcisum à corpore membrum, aut sicut malè olens hœdus ab electis ouibus, omniumq; Sanctorum societate & gloria sciungitur? Ut hinc etiam Ioannes dixerit: *Foris canes, & omnis qui amat & facit mendacium. Si quis, inquit Dominus, in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arefcet.* Hoc ipsum est quod alibi docetur, infructuosam ficulneam maledici, eamq; mox aridam effici, quæ apud Lucā iubetur quoq; præcidi, ne terrā

amplius

1. Tjm. 6.

Matth. 12.

Marc. 3.

Luc. 12.

Tit. 1.

Ibid.

Rom. 2.

Matth. 25.

Apoc. 22.

Ioan. 15.

Matth. 21.

Matth. 23.

Marc. 11.

Luc. 13.]

Matth. 7.

Ioan. 15.

Matth. 13.

Matth. 25. &
7.Serm. 38. de
Sanctis.
Lib. de fide
ad Petrum
in fine.

Luc. 16.

amplius occupet. In eundem sensum loquitur hoc Dominus: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* pro eo quod hoc loco audimus: *colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Etenim mittentur Angeli veluti messorum, vt ipse Christus appellat, & colligent zizania, igniq; comburēt, misuri malos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Quid autem illo gehennæ igne acerbius? quid intolerabilius? qui semper ardēs cōsumitur nunquam, ac omnia suppliciorum genera, quæ vnquam pertulere mortales, aut perpeffuri sunt, in immensum excedit. De hoc iudex extremus dicit omnibus qui frugiferi palmites non reperientur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Nunquam noui vos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Proinde me stupidum & insulsum hominem arbitror, qui tam multa verè que horrenda de iustitia Dei, & punitione illorum audio, qui sine fructu inutiliter, & si non criminosè, saltem infructuosè viuunt, eaque omnia non magis pondero, atq; ex animo reformido. Quas pœnas quæso arbor spinosa in die iudicij patietur (Augustini verbis vtor) quando illa quæ fructum nõ dederit, excidetur & in ignē mittetur?] Nec dissimilis est apud Fulgentium hæc ratiocinatio: Si illum credimus perennibus subdendum esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit ex charitate suscipere: quid passurum se putauerit, qui Dominum Christum de domo sui cordis exclusit, & diabolum in se cœca prorsus infidelitate recipiēs, de sancta Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, hæretica circumuentus falsitate discesserit?] O infelices palmites, qui cum fructum vitori suo debitum ferre differunt ac recusant, breui post gratiæ ac pœnitentiæ facultatem omnem amittunt, & radicitus quidem excisi, per tetros dæmones in illum inextinguibilem conijciuntur ignem. in quo diues epulo medijs flammis obrutus, ac semper sitiētissimus, ne optatæ quidem aquæ guttulam potest vnquam impetrare. Proinde, quando quidem in æternæ damnationis pœnam

incurrunt, & qui malum faciunt, & qui bonum prætermittunt; plurimum referre ducam, vt quod nobis Dei gratia modo tribuit, nostra etiam custodiat diligētia, & quod sola Dei misericordia sine labore in Christo acquisiuimus, id quotidiano studio & indefesso labore seruemus. Scriptum est enim: *In vacuum gratiam Dei ne recipiatis. Vnusquisque videat quomodo superadificet, nō ligna, fœnum, stipulam, sed aurum, argentum, lapides preciosos, super Christum scilicet vnicum salutis humanæ fundamentum. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Qui vicerit, non ledetur à morte secunda.*

2. Cor. 6.
1. Cor. 3.

Ibidem.
Apoc. 2.



DE BEATO MARCO, ET LITANIA, vt vocant, maiore.

DVABVS de causis hunc celebrabo diem, mihiq; religiosè colendum putabo, in hoc præsertim Episcopatu: tum quòd eximium Dei amicum, & Ecclesie lumen venerandum proponat, cuius memoria in benedictione est eritq; semper apud omnes Christianos: tum quòd solenne Litanie maioris, vt appellant, institutum nobis renouet atq; commendet. Cur etenim ego non honorem eum, qui vnus est ex quatuor primis & præcipuis noui Testamenti scriptoribus, hoc est, diuinis Euangelistis, leonis generosissimi animalis imagine per Prophetam designatus? Qui præterea vir planè Apostolicus dici meretur, quoniam à principe Apostolorum Petro in fidei rebus instructus, sacroq; baptismo tinctus, & pro charissimo filio agnitus ac dictus, ab eo ipso magistro ad munus Apostolicū obeundum Aquileiam, ac deinde Alexandriam, totius Aegypti caput destinatus, in spargendo Euangelij semine magnoperè laborauit, & ad cruentam vsq; mortem fidelissimè decertauit. Qui præterea eidem magistro & Pontifici Petro dignus est visus, cuius Euangelium Romæ conscriptum approbaretur, & autoritate Apo-

Ezec. 1.

1. Pet. 5.

stolica legendum vniuersæ traderetur Ecclesiæ, quemadmodum Clemens, Papias & Hieronymus meminerunt. Dignum est igitur, ut ego talem Petri discipulum, filium & interpretem, tamq̃; præstantem Euangelistam, qui verbo, scripto, & exemplo tantam hominum turbam Christo lucrificet, singulari reuerentia prosequar, mihiq̃; hodierno die commendatum habeam. Est enim ex primis illis maximisq̃; præpositis, quos doctor Gentium cohonestans, cunctis præcepit fidelibus: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum imitantes exitum conversationis, imitami & fidem.* Quodq̃; de sanctis Apostolis idem Marcus in fine scriptum reliquit, ad illum ipsum utiq̃; pertinet: *Illi, inquit, profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis,* quemadmodum de illo testatur etiam Simeon Metaphrastes.

Hebr. 13.

Marc. 16.

In vita S. Marci.

Lib. 2. de institutis cœnob. c. 5.

Lib. de scriptorib. ecclesiast.

a In vita Marci, & Philon.

b De vita theor. supp.

c Lib. 2. hist. c. 17.

d Hæres. 29.

e Lib. 2. hist. c. 15.

f Lib. de ecclef. hierar.

Peculiari autem honore & amore complectar hunc Marcum, quoniam vitæ monasticæ, cui hodie infestissimi sunt Sectarij, testimonium præbuit luculentum, ac singularem addidit authoritatem. Ut enim Ioannis Cassiani verba repetam, qui nõ vulgaris Chrysofomi discipulus fuit, Monachi à beatæ memoriæ Euangelista Marco, qui primus Alexandrinæ vrbis Pontifex præfuit, normam suscepere viuendi. Tum ante Cassianum in eandem sententiam scripsit Hieronymus, simulq̃; confirmavit, talem primùm Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur ac cupiunt. Sed & sub Marco nostro Euangelista multorum piorum habitacula in multis prouincijs dicta fuisse monasteria innuit, in quibus voluntaria paupertas, perpetua cõtinentia, religiosa quædam sub certo antistite obedientia, & spiritualis vitæ disciplina seueriùs ex professo seruarietur. Qua de re non solus agit ^a Hieronymus, verùm etiam post ^b Philonem, Apostolorum æqualem, ^c Eusebius, ^d Epiphanius, ^e Nicephorus haud obscure testantur. Ac Pauli Apostoli discipulus ille ^f Dionysius Areopagita de sui temporis monachis meminisse, quos & Græci Latiniq̃; Patres omni exceptione maiores, ut Athanasius,

natus,

nafius, duo Gregorij, Basilius, Ephram, Chrysoftomus, Cas-
 sianus, & Augustinus (ceteros enim volens prætereo) ma-
 gnis in cœlum vsque laudibus extulerunt, Proinde quicquid
 in Monachos fingat ac expuat nouus Satanismus, permagni
 semper ego faciam hoc vitæ monasticæ institutum, quod an-
 tiqui Prophetæ adumbrarunt, baptista Ioannes illustrauit, &
 post Christum Dominum sacri Apostoli multis in rebus se-
 ctati sunt, & postea innumerabiles alij laudabiliter excolue-
 runt, vt mundo mortui secundum Euangelica consilia Deo
 integrè & sincerè seruirent. Immò verò quantò sunt petulan-
 tiores Donatistæ, Circumcelliones, horumq; discipuli, quos
 magna tenuit libido monachis insultandi, tantò libentiùs e-
 go religiosum hoc genus hominum amplectar atque defen-
 dam, & simul cum Augustino ingenuè confitebor: Ex quo
 Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus melio-
 res, quàm qui in monasterijs profecerunt: ita nō sum exper-
 tus peiores, quàm qui in monasterijs ceciderunt: ita vt hinc
 arbitrer in Apocalypsi scriptum, Iustus iustior fiat, & qui in
 fordibus est, sordescat adhuc De quibus falsis perfidisq; mo-
 nachis, qui vota Deo Ecclesiæq; facta rescindunt, idem Augu-
 stinus alibi tradit, quòd contra sententiam Euangelicam re-
 trò spectent, nec attendant illud graue Christi dictum: *Me-
 mentote vxoris Loib*, quæ nimirum à Sodomis liberata, quo-
 niam retrospexit, in statuam salis miserè conuersa est. His in-
 super apostatis accommodat, quod Apostolus Petrus citat
 prouerbium: *Canis reuersus ad suum vomitum.*

Cæterum vt ad sanctum Marcum redeam, fonti bonorum
 omnium Christo agam gratias, qui hunc nobilem Euangeli-
 stam varijs præclarisq; donis cohonestauit, ac Petri Apostoli
 doctrina & amore dignum effecit, sed & Alexandrinorum A-
 postolum simul & Episcopum primum institui voluit, per
 quem complures ex impietatis tenebris ad Christianæ fi-
 dei splendorem traducerentur. Nam & ipse sal terræ, mundi
 lux, ac piscator hominum extitit, cuius nō interitura laus ma-
 net per omnem Ecclesiam. Laudabo Deum in hoc viuo &

Ep. 137. ad
 plebem Hip-
 pon.

Apoc. 22.

In Psalmum
 83.
 Luc. 9. & 17.

Genes. 19.

2. Pet. 2.

Matt. 5. & 4.

Matth. 5.

I. Cor. 4.

Rom. 8.

efficaci organo Spiritus sancti, quandoquidem per illius Apostolicam doctrinam, & continentissimam vitam, diuinaq; miraculatae splendor veritatis effulsit, & in Euangelica philosophia fideles plurimum profecerunt. Quod si *beati sunt qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, meritò certè hūc Marcum verè beatum habebō atq; colam, qui mundo contempto, solum Christum sincerè dilexit, & pro Christi nomine, iustitiaq; Christiana carcerem & vincula gaudens pertulit, & ab impijs durè impieq; tractatus, ac per plateam publicam ignominiosè pertractus. vitam profudit & sanguinem, tantum vt Christus per ipsius vitam & mortem glorificaretur. Etenim probè didicerat Apostolicam, longoq; primorum fidelium vsu comprobata illam sententiam, qua dicitur: *Maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur & obsecramur: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus. Propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis. sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.*

Est & aliud, quod hunc diem non parum illustrat, meque ad maius pietatis studiū excitat, quoniam ad Litaniam institutum de more antiquo & celebri reuocamur. Maior verò Litaniam dicitur, praesens Gregoriana, vt ab alia per Mamertum Viennensē Episcopum instituta, quae suum quoque locum in Ecclesia tenet, facilius discernatur. Etenim Gregorius ille magnus nunquam satis laudatus, & de tota Ecclesia eximie meritis Pontifex, Litaniam, seu solēnem supplicandi ritum eo tempore introduxit, quo in vrbe Romana populus grauissima peste laborauit, & communibus precibus saeuum irati Dei flagellum auertit. Quod precandi exemplum posteriori Ecclesiae tantoperè placuit, vt passim eiusmodi Litaniam, piaq; supplicationis vsus admitteretur, ac Episcopi vbiq; gentium similem precationē in suis Ecclesijs instituerent. Quamquam & ante dictum Gregorium mos Litaniam recitandi ad eò frequens fuit, vt in Ecclesia tum orientali tum occidentali vsurparetur, quem & sacra Concilia comprobarunt, quem

admo-

admodum nos alibi fusiùs demonstramus. Quis verò prudens inficietur, laudandum imprimis, & pietati cōsentaneum hoc esse institutum, quod sanctæ orationis vsum tantoperè necessarium fidelibus commendat, clerumq; & populum ad cultum diuinum prouehendum excitat, nimirum vt in Christi nomine collecti, suam fidem, obedientiam simul & humilitatem exercent, & ad Deum sincerè conuersi, pro se & alijs cœleste quærant & petant auxilium? Id quod eò libentiùs meritò facient, cum dulcem habeant Christi promissionem, quæ ad omnes ætates Ecclesiæ spectat: *Si duo*, inquit, *ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nec minus luculenter idem Christus in hodierno testatur Euangelio: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque voueritis petetis, & fiet vobis.* Constat autem rectum ac decẽtem precãdi ordinem esse, quem nobis Litanìa proponit, nimirum vt primas demus beatissimę Trinitati, à qua & ad quã omnia; secundas autem ad Sanctos Dei in cœlis cum Christo regnantes, quorum certi ordines percurruntur, piè referamus. Aliter igitur Deum vnum in substantia, & trinum in personis, qui creator & moderator est rerum omnium: aliter verò Sanctos, qui post Christum redemptorem nobilissimæ Dei creaturæ sunt, inuocamus. Nam ad Deum ipsum ita loquimur: Pater de cœlis Deus, miserere nobis, Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis, Spiritus sancte Deus, miserere nobis. Cum verò ad Sanctos ventum est, in quibus gloriosa & incomparabilis Christi mater primum tenet locum, intercessionem ab illis hoc modo petimus: Sancta Maria ora pro nobis. Sancte Petre ora pro nobis. Atq; hoc est quod à beato Ephræm Basilij magni Diacono scriptum legimus, Sanctorum esse pro peccatoribus intercedere, Deo verò conuenire, vt misericordiam impartiat. Est enim longè aliud intercessorem quàm largitorem esse. *Gratiam enim & gloriam dabit Dominus*, nō autem iusti tantum, sed etiam peccatores

In Notis Dominic. V. post Pasch.

Matth. 18.

Ioan. 15.

In oratione qua seip. reprehendit.

Psal. 83.

Conc. Tol.
VIII. c. 7.

Aduerf. Vi
gilant.
Lib. 4 de fi-
de orthodo.
xa. c. 15.

Homel. 44.
in Genes.

Rom. 15.
Coloff. 4.
1. Theff. 5.
2. Theff. 3.

pro peccatoribus rectè intercedunt atq; precantur. Tantum abest, vt Sanctorum inuocatio & cultus, si iuxta mentem Ecclesiæ vsurpetur, summo Deo & Christo Sanctorum capiti quicquam adimat ac derogat. Mentem verò suam Ecclesia his verbis explicat in Concilio Toletano: Solo Deo creatore suo adorato, vnusquisque Sanctos inuocet, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur.] Quæ Sanctorum intercessio vel inuocatio non potest omnipotenti Deo non esse grata, ipsisq; precantibus utilis, quando quidem ex Christiana fide ac humilitate procedit, cum nos meritis nostris diffidentes, & formidabilem summi Dei iustitiam propter nostra peccata metuentes, illorū imploramus opem atque patrociniū, quos nouimus ab omni labe peccati esse puros, & maxima cum Deo familiaritate gaudere, sed & pro salute hominum preces assiduè facere, atq; ad conciliandam nobis Dei gratiā ex charitate maxima valde studiosos ac propensos persistere. Contendant interim ac rixentur vetères nouiq; Eunomiani, quos iam pridem Hieronymus atq; Damascenus refutarunt, illiq; apud Deū secūra sibi omnia polliceantur. Sed cæci profectò nō vident, nec intelligunt, quantoperè Deo accepta miserisq; mortalibus frugifera sit ea precatio, qua fideles mutuò sese iuuant, cum Sanctos in cœlo regnantes, vel in terris militantes conuenienter implorant. Cuius quidem precationis in Catholica Ecclesia tam receptus, probatus ac longæuus est vsus, vt initium eius ne ab aduersarijs quidem possit demonstrari. An obscura sunt verba Chrysostomi? Dilecti, confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus vt pro nobis intercedant.] Tum Basilius magnus de quadraginta Martyribus verba faciens, auditores ita suos hortatur: Qui aliqua premitur angustia, ad hos cōfugiat: qui rursus lætatur, hos oret.] Vbi eundem sequitur Gaudētius æqualis Ambrosij. Quòd si viuorum pro viuīs preces, quas Apostolus pro se fundi sæpè desiderauit, Christi mediatoris gloriam non imminunt, cur illorum quæso, qui in beatorum sedes translati sunt, deprecatio, eiusdem Domini dignitatem

obscu-

obscurer, aut aliqua ex parte illi aduerset? Qua de re nos alibi, & opportuniore quidē loco, disserimus. **QVOCIRCA** cū Catholicum, pium & fructuosum sit, Sanctorum ambire suffragia, illorumq; se precibus cōmendare, vt nobis Dei gratiam concilient, sicut viri æquē docti, atque eximiē pij Ephrām, Ambrosius, Augustinus, Victor & Maximus in suis monumentis clarissimē inuocarūt, operam adhibebo singularem, vt quoad eius fieri potest, ædem hodie sacrā inuisam, & in ea præsentem piorum cœtum augeam, Catholicorumque maiorum exemplo, proprium diuinitati honorē & cultum tribuam, ac deinde Sanctos etiam suo modo inuocem atque colam. Vbi Prophetæ Danielis exemplo mea & populi peccata confitebor, prosternamque preces in conspectu Dei mei pro monte sancto, qui est Ecclesia. Dicam insuper cum tribus pueris in fornace ignis olim comprecantibus: *Ne auferas Domine misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum.* Quod postremum ego longē magis referam ad venerandos Apostolos, inuictos Martyres, aliosque coronatos in cœlis Sanctos noui Testamēti, quos vnā cum Augustino inuocās, dicere non dubitabo: Felices Sancti Dei omnes, qui iam transiistis, huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis & pacis, securi & tranquilli, semperque festiui atque gaudentes: obsecro vos per vestram charitatem, solliciti estote de nostra multiplici miseria.] Peculiariter verò preces fundam pro Ecclesiasticis & Politicis magistratibus, pro republica Christiana, & prospera eius conseruatione, pro varijs calamitatibus, quæ nos & Christianū orbem premunt, amoliendis, pro Catholica fide & religione aduersus hostes omnes propugnanda atque conseruanda, denique pro beneficijs omnibus obtinendis, quorum in Litanis fit mentio peculiaris. Hoc enim est Deo gratum officium, & huic temporis opus vel maximē necessarium, Paulo etiam præcipiente, vt omnium orationes & obsecrationes pro omnibus hominibus, & in primis pro regi-

Dan. 9.

Dan. 3.

Lib. Medit.
tat. c. 23.

1. Tim. 2.


Iac. 5.

2. Paral. 20.

Ioël 1.

Matth. 15.
Isai. 29.

bus, & alijs in sublimitate constitutis, summo Deo piè offerantur. Et notum est à Iacobo Apostolo disertè postulari: *Orate pro inuicem ut saluemini. Multum enim valet de precatio iusti assidua*, sicut idem quibusdam exemplis comprobat. Eòdem referri potest optimi regis Iosaphat aperta cōfessio: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum*. Cæterum quæ ad pium supplicandi & sicuti vocant, Processionis ritum spectant, ex Ioële Propheta peti facillè possunt, vbi is clerum & populum omnis ætatis ac ordinis ad sacrum conuentum instituendum, Deumq; placandum seriò incitat. Cauebo interim, & si possim, corrigã enormes abusus, qui in receptas & vsitatas hoc tempore supplicationes passim irrepperunt, ut plerique, pro dolor, exiguum Catholicæ pietatis & honestæ grauitatis indicium præ se ferant, multumque garrulitatis & vanitatis palam admisceant, neque iustam illam Christi querelam expendant: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me*.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO Festoq; coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, ut Ecclesia sua vineam visitare & repurgare dignetur, maximè ut in ea boni frugiferiq; palmites per fidem & charitatè vera viti Christo coniuncti appareant, qui & probè purgati, fructum multum cælesti adferant vinitori.

ORABO etiam pro Christianis bonis, ut magis magisq; vicia Christi Ecclesiæq; mēbra & frugiferi palmites esse cōtendant, utq; per charitatem in præceptis diuinis obseruandis debitam præsentent obedientiam, seq; discipulos Christi veros re ipsa declarent.


AD HÆC diuinam implorabo gratiam pro Catholicis plurimis in anem ac mortuam fidem declarantibus, ut à terribili sup-

plicio,

plicio, quod infructuosus palmitibus paratum & pradietum est, diuino beneficio & pœnitentiæ suæ studio præseruentur.

POSTREMO petam à Domino, diuî Marci Euangelistæ spiritum, confessionem, continentiam, charitatem, patientiam in me renouari, ut eius exemplo in vinea Domini sum palmes fructuosus. Tum ob publicam Processionem, quæ à Litania nomen habet, & hoc ipso die instituitur, Deum & Sanctos eius inuocabo, eaq; mihi præcipuè impetranda proponam, quæ sacra nobis Litania porrigit, & præsentis Ecclesiæ necessitati maximè congruunt. Habet enim hic quoq; locû quod à Daniele dictû est. Peccauimus Domine, iniquitatē fecimus, impiè egim⁹, & recessimus, & declinauimus à mādatis tuis ac iudicijs, nō obediētes seruis tuis Prophetis.

Dan. 9.



IN DIE FESTO

SS. PHILIPPI ET IACOBI APOSTO.

LORVM.

Sequentis Euangelij Argumentum.

TRANSITVRVS ex hoc mundo Christus ad Patrem, & calicem pro nobis amarissimum bibiturus, statim extrema cœna finita, suos hortatur discipulos, eorumq; mœstos animos multis modis egregiè consolatur. Monet autem imprimis, ut non solum in Patrem cœlestem, sed etiã in se naturalem Dei filium, potentia, maiestate & gloria patri æqualem firmiter credant: ita enim fore, ut aduersus omne periculum & tentationis impetum constantes ac illæsi persistere queant. Quis enim est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam IESVS est


1. Ioan. 5.

P 5 filius

filius Dei? vt Ioannes Apostolus dixit. Ad hanc fidem
 Christianam alendam & excitandam permultum confe-
 ret, filij Dei dignitatem atque præstantiam hoc ipso Euan-
 gelio confirmatam, ob oculos proponere, quòd nempe
 sine illo, tanquam electorum ponte, ad Patrem æternum
 nullus perueniat, quòd idem Filius in Patre, & Pater in
 eo ipso sit perpetuò, quòd qui Filium videt, Patrem que-
 que in ipso Filio manentem ac operantem fidei oculis vi-
 deat, quòd idem ipse sit, vt nemo alius, via, veritas & vi-
 ra mortalibus, cui propter facta in carne opera, stupen-
 daque miracula meritò fidem dari ab omnibus oporteat,
 quòd sit itidem vnigenitus Dei Filius: credentes verò i-
 psos non minora quàm Christum ipsum in miraculis pa-
 trandis effecturos, & quicquid demùm in Christi nomi-
 ne petierint, ipso largiente impetraturos, & confectu-
 ros esse. Quæ omnia cum rudes discipuli, maximè Tho-
 mas & Philippus, non assequerentur, nihil mirum, si in-
 terpellando & percontando suam ipsi prodant ignoran-
 tiam, & idcirco à Domino benignè instituantur. Præter-
 ea Christus hinc suæ sanctæ passionis & mortis, quæ im-
 minebat, virtutem ac fructum aperit, nempe quòd locum
 illis in cælo sit paraturus, & diuersa quædam electis om-
 nibus præmia collaturus, postquam eos ex hac vita vo-
 cauerit, & velut suos amicissimos assumpserit, vt illi se-
 cum in cælis coniunctissimè viuant, ab eo ipso nunquam
 disiungendi. Quæ autem obsecro maior & optabilior
 contra crucem & in cruce consolatio fuit Apostolis, &
 nobis esse potest, quàm confirmatam à Christo promif-
 sionem habere de cælesti, stabili & perpetua apud Pa-
 trem æternum habitatione? Beati ergo mortui, qui in
 Domino moriuntur, & persecutionem propter iustitiam
 patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cælorum:
 quemadmodum de duobus Apostolis Philip-
 po & Iacobo in primis crede-
 re fas est.

Apoc. 14.
 Matth. 5.





EVANGELIUM IOAN

nis XIII.



IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis: Non turbetur cor vestrum neq; formidet. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quò minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & preparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viã scire? Dicit ei IESVS: Ego sum via, & veritas, & vita. nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum utiq; cognouissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei IESVS: Tanto tempore vobiscum sum: & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quae ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non credis quia ego in Patre, & Patre in me est? alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera quae ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado, & quodcumq; petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filia.

Si quid petieritis me in nomine meo,
hoc faciam.

NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Non turbetur cor vestrum neque formidet. Credi-
tis in Deum, & in me credite.*

MIRABOR ingentem & ardentem Christi Domini
erga suos discipulos charitatem. vt qui se totum illis
in struendis & cōsolandis impendit, adeò vt nullam
sui curam gerere, & de pelago afflictionū iamiam imminen-
te nihil sollicitus esse videatur. An non satis erat, illorum om-
nium abluisse pedes, extremam cum illis celebrasse cœnam,
sacrosanctam Eucharistiam cunctis presentibus impertiuiss-
se, cuius ipsi in Ecclesia primi essent participes atque admini-
stri, sed & de suo proditore illos pramonuisse, & de charitate
præstanda præceptum nouum promulgasse? Sed non potest
à suis veluti filijs auelli cor IESU vt amantissimum, ita & fis-
delissimum, nisi præterea longo verèq; dulci sermone mœ-
stos illos consoletur, rudes erudiat, ac imbecillos contra sæ-
uam tempestatem statim secururam prouidè fulciat præmu-
niatq;. Quid istuc est aliud, nisi Iacob optimi patriarchæ, &
præclari viri Mathathix vestigijs insistere, q̄ ambo ex hac vita
migraturi, non modò suos congregarunt filios, sed illis pa-
terna quoq; monita testamenti loco non sine magno bene-
uolentiæ indicio declararunt. Perinde ac si Christus Domi-
nus discipulis hoc repeteret: *Nunquid obliuisci potest mulier
infantem suum, vt non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita
fuerit, ego tamen non obliuiscar vestri, quibus omnia quæ à Pa-
tre audiui, nota feci. Tam verè dixit Ioannes, quòd cùm Chri-
stus dilexisset suos in mundo, in finem eos dilexerit: tam ex-
actè ille munus perfecti pastoris præstitit, vt suo quidem iure*

Ioan. 13.
Matth. 26.
Luc. 22.

Ioan. 13.

Genes. 49.
1. Macch. 2.

Isai. 49.

Ioan. 15.
Ioan. 13.

iuxta Prophetam Ezechielem testari potuerit: *Quod perierat requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod contractum fuerat alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas (oues) in iudicio. Unde discam & ego, siue alijs præsim, siue sublim, amicis & alijs charitatem integram exhibere, & proximorum calamitatibus condolere, cunctisq; afflictis libenter opitulari. Est enim præclarum, Christiq; exemplo & legi consentaneum, vt alter alterius portet onera, sicut Paulus præcipit, simulq; Samaritani Euangelici sectetur exemplum, ac illud Sapientis præceptum pectori gerat infixum: *Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Ad quem sanè modum Iob vixisse videtur, quum de se ipso apertè fateatur: *Flebam quondam super eo qui afflictus fuerat, & compatiebatur anima mea pauperi. Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: sic comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia meâ creuit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.**

Notabo insuper Apostolos turbatione, metu, & humanis affectibus alijs non caruisse, sed illorum animos mœrore ac tristitia repletos, Christo, vt perito magistro & medico frequenter indiguissè. Tum Dauid Prophetæ suos Psalmos ita conscripsit, vt miros & graues motus & affectus prodat sæpe numero. *Laborauit, inquit, in gemitu meo. Turbatus est à furore oculus meus. afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum nō est mecum. Quid quod Christus de se ipso testari non veretur? *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur? Flebilius adhuc illud est: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem, & ad certius ingentis illius tristitiæ indicium, idem post sanguineas inter orandum lacrymas fudit. Proinde, qualescunq; inopinati casus, acerbæ tentationes, ac tristes euen-***

Ezech. 34.

Gal. 6.

Luc. 10.

Eccl. 7.

Iob. 30. & 31.

Psal. 6. & 37.

Ioan. 12.

Luc. 12.

Marth. 26.

tus,

Prou. 12.
Pfal. III.

In Psal. 61.

Genes. 1.
Exod. 20.

Ioan. 16.

1. Cor. 15.

Pfal. 30.

tus, sine quibus hæc misera vitæ non peragitur, irruant, modum à Christo præscriptum obseruare contendam, vt non despondeam animum, nec rebus frangar aduersis, sed omnem immoderatum & indecentem motum atque affectum interiorem ac exteriorem euitem, etiamsi mortis adsit periculum, ita vt me placidum ac tranquillum aduersus turbidos & vehementes animi affectus vsque conseruem. Hinc enim discipuli à Domino admonentur: *Non turbetur cor vestrum, neq; formidet.* Et alibi scriptum legimus; *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit. Ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius sperare in Domino: confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos.* Ac prudenter sanè monet Basilus magnus, impossibile esse, vt capaces diuinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes & vitia nostras animas possidentia prius eijciamus. Hic autem in primis opus est fidei armatura, qua nos munitos esse Christus postulat inquiring: *Creditis in Deum, & in me credite.* Iudæorum quidem est propriū, in Deum Patrem solum credere, qui creauit cælum & terram, & de quo fidem credentium apertam exigit primum præceptum decalogi. Verùm Christianis competit æquè in Filium Dei, sicut in Patrem cœlestem credere, & siue prospera, siue aduersa experiantur, in illo qui Patri est æqualis, fiduciam suam omnem collocare. Quare Christus huic eximie concioni colophonem impositurus, verba illa discretè tradidit & commendauit: *Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Neq; mundum vicit tantum modò, sed & mundi principem, peccatum, mortem & infernum, eamq; nobilem victoriam ipse nobis, velut membris suis, per fidem donat & applicat. vt meritò cum Paulo gloriabundi dicamus: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominū nostrum IESUM CHRISTUM.* Vnde licet in medio vmbre mortis ambularem, cum Psalmodographo confiteri non desinam: *In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.* Et quantumuis tentationum aquis obruendus & præ-

focan-

focandus videar, tamen Petri secutus exemplum, fortiter in-
 clamabo: *Domine saluum me fac*: simulq; cum protomarty-
 re Stephano illud mihi vsurpabo: *Domine IESV suscipe spiritum meum*. Communis demum erit mihi semper illa cum Au-
 gustino confessio: Omnis spes, & totius fiducia certitudo
 mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos,
 & propter salutem nostram. In ipso respiro, & in ipso confi-
 sus, ad te Pater peruenire desidero, non habens meam iusti-
 tiam, sed eam que est ex filio tuo Domino nostro IESV Chri-
 sto] Hinc illud scutum, quod nobis Paulus comendans ait:
*In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nes-
 quisissimi ignea extinguere*. Hinc illa speciosa victoria, de qua Io-
 annes asseruit: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*:
 fides inquam, in Christum, qui in hodierno ait Euangelio; *E-
 go sum via, veritas & vita*, in quo vno est initium, medium &
 finis humanæ salutis. Initium dico, vt à peccato ad iustitiam,
 & ex ira Dei ad gratiã transeamus: medium autem, per quod
 veritatem ad credenda & facienda necessariã cognoscamus:
 ac finis demum, vt vitam apprehendamus æternam. Hæc e-
 nim omnia per Christum fidei nostræ authorem & consum-
 matorẽ assequimur, cum sit ipse nobis alpha & omega, prin-
 cipium & finis, ostium, lux, & verbum Dei mentes illuminãs,
 & vita in creando & renouando per Spiritum sanctum. Vn-
 de Bernardus quoq; dixit: Sequamur Domine te, per te, ad
 te, quia tu es via, veritas & vita. Via in exemplo, veritas in pro-
missio, vita in præmio.]

Vbi ego plurimorum vicem valde dolebo, qui hodie au-
 dacter, sed frustra Christum, Christiq; fidem iactant, perinde
 ac si cum fatuis virginibus dicerent: *Domine, Domine, aperi no-*
bis, cum tamen à Christo ipso nesciantur & reijciantur, nul-
 lam cum illo partem vnquam habituri. Tales verò sunt, qui
 Christum caput sine corpore sibi fabricant, à vera & Catho-
 lica eius Ecclesia sese segregantes, & ad nouas Sectariorum
 synagogas, eorumq; Sacramenta procurrentes, perinde ac si
 dicat: *Ecce hic est Christus, ego e illic*. Sed præmonuit nos Chri-

stus,

Matth. 14.
 Act. 7.
 Lib. Medita.
 c. 13.

Ephes. 6.

1. Ioan. 5.

Heb. 12.
 Apocal. 22.
 Ioan. 10. & 1.

Serm. de as-
 censione.

Matth. 25.

Matth. 24.

Matth. 18.

Iacob. 1.

1. Ioan. 3.
Ioan. 5.Lucæ 3. 13.
Matth. 25.

Hebr. 5.

Prou. 28.

Iob. 1.

Eccl. 1. & 27.

Ephes. 4.
Philip. 2.

stus, eos qui Ecclesiam non audiunt, non pro Christianis, sed pro publicanis ac ethnicis extremo veluti loco haberi oportere. Deinde Christi nomine & fide inaniter gloriantur, qui sola iustitia imputatiua nituntur, quia volunt auditores tantum Verbi, & non factores esse, scipos fallentes plurimum, cum scriptum legamus: *Qui facit iustitiam, iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est. Procedent qui bona, fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Huc præterea spectant, qui licet in Ecclesia fide persistant, & rectè cum Ecclesia credant, tamè nec Patris, nec Filij faciunt voluntatem, suaq; peccata saluari confessione & pœnitentia diluere dedignantur, digni sanè qui audiant: *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Iusti enim ibunt in vitam æternam.* Sed & illi à Christo eiusq; fide nullum fructum percipiunt, qui ipsius vicarijs & Ecclesiæ præpositis resistunt: quoniam eo ipso Christum contemnunt, & meritorum eius participes esse nunquã possunt. Etenim ille obedientibus quibus, nõ hædis refractarijs & recalcitrantib. factus est causa salutis æternæ. Falluntur demùm, Christumq; & fidem eius inaniter profitentur, qui diuini timoris expertes, exiguam conscientia curam gerunt, & secura sibi apud Deum omnia pollicentur, cum Scriptura pronuntiet: *Beatus homo qui semper est pauidus*, sicuti Iob à Deo laudatus fuit, quòd esset homo simplex & reclus, ac timens Deum, & recedens à malo. Nam *qui sine timore est, non potest iustificari. Si non in timore Domini tenueris te in instanti, cito subuertetur domus tua.* Ego igitur pro fide vanam falsamq; confidentiam mihi nunquam vsurpabo, sed Christo per fidem & baptismum insitus, Apostolum sequar monitorem, vt cautè ac dignè ambulem in mea vocatione, vtq; cum timore & tremore salutem meam operer indefinenter. Quis enim obsecro animæ suæ non metuat, cum ipsas domus columnas nutare videt, ac foedè collabi? Noti sunt utiq; primarij discipuli siue Apostoli, qui post sanctissimum Eucharistia sacramentum acceptum, cum diuino Christi sermone satis

mun-

mundati ac præmuniti viderentur, eadem adhuc nocte terga vertunt, & contra fidem datam in primo statim hostium impetu Christum magistrum deserunt, turpi fugæ sese committentes, crucisq; scandalum sustinentes. Proinde qui stat, videat ne cadat, sicut certè Apostoli ceciderunt. Noli alium sapere, sed time, inquit Paulus, ne nimium tibi confidens, cum Petro etiam coryphæo corruas. Ecce qui seruiunt Deo, non sunt stabiles; & in Angelis suis Deus reperit prauitatē; quanto magis hi qui habitant domus luteas, qui terrenum habent fundamentum, cum Lucifero, Adamo, Salomone, Iuda è gratia excidere possunt:

In domo Patris mei mansiones multe sunt. Si quò minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.

MULTIS de causis hic nos dies potest & debet exhilarare. Etenim Apostolorum feriæ ad spirituale gaudium vocât, sed & Maialis amœniq; temporis initium, ac sermo Christi mellitus, in quo præsens versatur Euangelium, nouam consolationem porrigunt. Demùm Ecclesia per hos quadraginta dies cum gaudio celebrat, & celebrari vult memoriam annuam lætissimam Dominicæ Resurrectionis. Quare non abs re fore putabo, si & ego de regno cœlorum, siue de domo cœlestis Patris, de qua Christus disserit, aliquid mihi & aliis lætè cogitandū proposuero. Ac primum illud sit, Christum ipsum propterea in hunc venisse mundum, & tam longam quàm difficilem peregrinationem instituisse, seq; totum nobis impendisse, vt rectam viam ad cœlestem patriam, qua nihil est fœlicius, ostenderet, seq; nobis ad illam ducem fidelissimum exhiberet. Ego, inquit, sum, via, veritas & vita. Sine illo quidem præeunte pastore oues utiq; semper maneremus errantes à lupis infernalibus deuorandi. Sine illo doctore & prælucente magistro in densis tenebris ambularemus, supernæ claritatis lucem nunquã spectaturi. Sine illo qui solus est vita & resurrectio nostra, futuræ salutis pascuis destituere-

Matth. 26.
Marc. 14.

i. Cor. 10.
Rom. 11.
Iob. 4.

MS
Ioan. 14.
Ioan. 10.

Matth. 23.

Ioan. 11.

mur, & mortem pro vita perpetuam consequeremur. Est enim ipse, qui promisit: *Per me si quis introierit saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Addit præterea in hoc Euangelio: *Nemo venit ad Patrem nisi per me. Vado parare vobis locum.* Is ipse qui mentiri non potest, nos ex hoc exilio ad patriam, ex carcere ad perennem gloriam vocat. Ipse de corpore migrantes electos assumit, & sibi socios adiungit indiuiduos, qui cum ipso cõiunctissimè & suauissimè in perpetuum viuunt. Hoc enim verbis illis indicat: *Si abiero & præparauero vobis locum: iterũ venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut vbi sum ego, & vos sitis.* Nec est dissimile, quod alibi Patrè rogans postulat: *Pater quos dedisti mihi, volo ut vbi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.* Ipse demùm est potens ille mediator & aduocatus, in cuius nomine, quicquid à nobis & beatis petitur, faciliè impetratur: maximè si pro hisce temporarijs perpetua, pro terrenis solida cœlestiaq; petantur. *Quicquid inquit, petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Id quod alibi mentione Patris etiam prætermisã, sic enuntiat: *Quodcumq; volueritis petitis, & fiet vobis.* Quid quæso hisce Christi promissis lætius & iucundius aunnuntiari, nobisq; optabilius proponi queat? Gaudebo igitur hoc immensum Dei regnũ, hanc cœlestem gloriam, veluti scopum ac finem nostræ militiæ, tantoperè Christo cordi esse, ut eiuscemodi hæreditatem nobis promereri atq; comparare voluerit tantis laboribus ac perpetuis angoribus in hac mortali vita exantlatis. O sapiẽtem architectũ, qui domum suam supra petram ædificauit, ac nõ modò suis, sed & Sanctorum virtutibus ac meritis longè splendidissimã reddidit. O incredibilem Domini sollicitudinem, qui mulieris parientis instar, repleri voluit doloribus, ut electos ad beatam hanc pareret immortalitatem. Quàm rectè hic locum habet quod legimus: *Sapientia edificauit sibi domum:* domum inquam, non terrestrem, neq; huius habitationis quæ dissoluitur, ut Pauli verbis vtar, non manufactam, neque caducam, & ruinae obnoxiam, sed ab aeterno præparatam, cœlestem,

Item,

stem, perennem, ingentem & lucidam, vt eius amplitudinem admiratus Propheta exclamauerit; *O Israël, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus.* Quamobrem omnia quæ hîc videri, amari & possideri possunt, ego despiciã tradamq; obliuioni, & cum Propheta ex animo dicam: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vite meæ. Idenim quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate eternũ gloria pondus operatur in nobis. Gloria & diuitiæ in domo eius. Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Neque verò meam indignitatem, & qualemcunq; ad cœlum perueniendi difficultatem tanti faciam, vt cœlestis vitæ desiderium in me sinam refrigescere, sed ad illam totus aspirabo, præsertim cùm illa verba repeto: *Adueniat regnum tuum.* Credo carnis resurrectionem, & vitam æternam. Christo autem in primis agam gratias huius tanti muneris procuratori, qui non solum summam beatitudinem nobis promeruit, sed etiam amicos hîc degentes reuifere statuit ac promissit, eosq; partim secundum animam, cùm hinc migrauerint, partim secundum corpus, cùm mortui reuiuifcent, secum est certissimè assumpturus, vt serui à Domino, membra à capite nunquam separètur, sed cum eo ipso in cœlesti domicilio sine fine familiarissimè viuant. Hæc præclara verèque dulcia Christi promissa, quæ in hodierno Euangelio reperuntur, meam in illum fidem confirmabunt, & ad redamandum illum accendent, qui factus est nobis vtq; via, veritas & vita. Via inquam per exemplum sanctæ conuersationis; veritas in promissis, quæ proposuit exhibendis, & vita in præmijs ex liberalitate sua magis, quàm ob merita nostra rependendis. Vnde cum Psalmographo latus cantabo: *Benedic anima mea Domino; & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus suis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericor-*

Baruch. 3.

Psal. 26.

1. Cor. 4.

Psal. 111.

Rom. 8.

Matth. 6.

Psal. 102.

Hebr. 1.

Matth. 25.

1. Cor. 15.

Tract. 67.
in Ioan.2. Cor. 9.
In Scorpiâ.In caput 6.
Luca.
Tract. 67.
in Ioan.

Matth. 10.

dia & miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum. Cur igitur ipse mihi non sit omnia in omnibus, extra quem non est via, sed error: non veritas, sed falsitas: non vita, sed mors atque damnatio? *In domo inquit Patris mei mansiones multae sunt,* quas nempe naturalis ego filius & hæres vniuersorum, vobis per adoptionem assumptis fratribus communicare decreui, vt vos cœli ciues, angelorum socij, mei que hæredes & cohæredes in regno meo constituamini, semper que sitis benedicti Patris mei, quibus regnum cœleste inde à mûdi cõstitutione immò ab æterno paratû ac destinatum est. Gaudebo insuper, in hoc ipso regno mansionum siue receptaculorum esse disparitatem, vt pro suo quisque merito recipiat beatitudinem, nec illa æqualiter fruantur electi, sed velut stella vna ab altera differant claritate, sicut & Paulus his verbis insinuat: *Alia claritas solis, alia claritas luna, & alia claritas stellarû.* *Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Quæ verba citans Augustinus: Tanquam stellæ, inquit, Sancti diuersas mansiones diuersæ claritatis, tanquam in cœlo, sortiuntur in regno. [Vbi præterea tractat sententiam, qua Christus in hodierno vtitur euãgelio: *In domo Patris mei mansiones multae sunt,* in quibus nepe maiora & minora præmia, vt quisq; promeritus erit, à iudice Christo reddentur. *Qui enim parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet,* Apostolo teste. Tertullianus ita dixit: Pro differentia mercedum, operarum credenda distantia est: maiora certamina, maiora sequuntur præmia.] Hinc & illud ab Ambrosio traditû. Sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa præmiorum.] Et clariùs adhuc Augustinus: In domo Patris, inquit, mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Etsi enim vnus idemq; denarius, hoc est, summam ac æternum bonum cunctis in vinea Domini operantibus redditur, atque ita Sanctorum æqualis beatitudo, quam vocant obiectiuam, fore censetur: tamen alij alios sicut in hoc sæculo iustitia & sanctitate, sic in futura vita excellenti honore & gloria præcellunt, & grandioris præ-

mij seu remunerationis atque beatitudinis participes fiunt.

Vbi me continere nō possum, quin Cypriani martyris insistant vestigijs, & vnā cum illo me ac alios pios ad Patris domum, æternamq; vitam assequendam inuitem ac excitem. Patriam nostram, inquit, paradysum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus: quid nō properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat: parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & amplexū venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quā summa & perpetua fœlicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus; illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrū innumerabilis populus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentia robore subegerunt: remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum, iustitiæ opera fecerūt, qui Dominica præcepta seruantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transfulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus.] Præclara quidem, & frequenti cogitatione digna sunt isthæc de cœlestibus Sanctorum domicilijs quærendis & expetendis, quorum iucundissimis choris assistentes, & communem cum illis tū sanctitatem tū felicitatem obtinentes, non possunt sanè cum Apostolo Petro non libenter dicere: *Domine bonum est hic esse.* Quid quæso iucundius ac desiderabilius fuerit, quā perpetuum illic celebrare sabbatysmum, & gustare quā suauis est Dominus, & quā magna multitudo dulcedinis eius, præsertim cum rex maiestatis & gloriæ Christus in suo decore perfecto coram à nobis aspicietur, immò cum Deum ipsum summum æternumq; bonum, quo nihil pulchrius & amabilius esse potest, in se ipso, & in Sanctis, ac in nobis etiam cum felici iucundis

Lib. de mortalit.

Matth. 17.
Hebr. 4.

Psal. 33.
& 30.
Esai. 33.

Matth. 5.

1. Cor. 13.

1 Ioan. 3.

1. Cor. 1.

Philip. 3.

Matth. 13.

Apoc. 7.
& 21.

Psal. 16.

Ioan. 17.

tate, & iucunda felicitate sic spectabitur, vt semper illi coniungamur intimè, semper in eo delectemur, eo q̄; sine fastidio & cum gaudio maximo perfruamur. *Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum vident, non per speculum in enigmate, sed facie ad faciem. Vident autem cum si. uti est.* Ioane Apostolo teste. Verùm enim verò, vt quod res est, ingenuè fateamur, *oculus nō vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, que pr. preparauit Dei his qui diligunt illum*, quorum etiam corpora corpori claritatis Christi configurabit, vt sicut sol fulgeat in regno Patris eorum. Quod si exigua hac & calamitosa vita, quæ tot amaritudinibus permixta, tam varijs miserijs subiecta est, vt mors veriùs dicenda sit, nihil magis amatur, nihil aut carius aut iucundius nobis esse solet: quo tandem animi studio, qua contentione æternam illam vitam quærere debeo, quæ defunctis omnibus malis, cum perfecta & absoluta bonorum omnium ratione coniuncta perseuerat? Vnde in Apocalypsi scriptum legimus: *Non esurient neque sitient amplius: neq; cadet super illos sol, nec vllus aestus. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quæ prima abierunt.* Huc verò maximè contendam, vti Christo fauente, ad solidam, & sicut vocant, essentialem beatitudinem peruenire possim, quæ in eo quidem sita est, vt Deum videamus, eius q̄; pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis & perfectionis fons & principium, qui q̄; solus nostros explet animos, & viles homunciones sibi simillimos reddit. Vt hinc Psalmographus dixerit: *Satiabor cum apparuerit gloria tua, & Christus ipse Patri testetur: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum.* Quare cum Philippo Christum ipsum precabor: *Ostende nobis Patrem*, neq; solum ad futuram beatitudinem paratam & excitatã habebō mentem, (beati enim esse cuncti desiderant) verùm etiam illius consequendæ rationem certam inibo, vt fide & charitate instructus, orationi ac sacramentorum vsui sedulam dem operam, si aterni q̄; amoris officia non segniter exequar, quem ad-

modum primi Christiani ab Apostolis edocti, quotidie factitarunt. Atque in hisce Christianæ pietatis exercitijs me tantisper detinebo, donec splendore gloriæ illustratus, Deum lumen in eius lumine videro, eumque cum Sanctis omnibus lætè collaudaero. *Beati enim qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Cœlestis autem illius vitæ, quæ sola verè vita est, amœnitatem ac perfectionem mihi sæpè ob oculos ponam, & ad beatas illas sedes siue mansiones Patris, sine quibus perfectè saluus esse nequeo, perueniendi ardebo cupiditate, perinde ac si cum Propheta dicam: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Letatus sum in his quæ dilecta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutū: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meū & caro mea exultauerunt in Deum vivum.*

Vbi sortem illorum valde miserandam putabo, qui cum Christiani vocentur, de futura vita, & æternis illius præmijs nunquam cogitant secum, aut si cogitant, nullo eius desiderio commouentur, perinde ac si Iudæi vel Turcæ forent; & quod longè peius est, suam beatitudinē in his corporeis, infimis ac terrenis bonis collocant, quæ sensibus percipiuntur, & quoniam caduca sunt, veterascunt ac pereunt. Veri illi non Dei, sed sæculi huius dicuntur & sunt filij, quandoquidem contra Ioannis præceptum, mundum & quæ mundi sunt, diligunt, secundum carnem ambulant, mamonæ & ventri seruiunt, Veneris sunt mancipia, & quia *in bonis ducunt dies suos*, sicut Iob asserit, *in puncto ad inferna descendūs.* O ter miseros, qui cum corporis tum animi vires exhauriunt, (lassari enim dicuntur in via iniquitatis & perditionis) vt non ad propositum Dei regnum per viam angustam properent, sed vt per viam spatiosam ad maledicti Satanæ domum læti procurrant atque perueniant. Fumos interim ac nugas, & velut pueri puerilia consectantur, lutū rosis, mundum Deo, terram cœlo anteponunt. *Non enim est Dei timor & amor, ante oculos eorum.* ideoq; pro nihilo ducunt illa dulcia Euangelij blan-

A. G. 2. & 4.

Psal. 35.

Psal. 83.

Psal. 25. 121.
& 83.

1. Ioan. 2.

Iob 21.


Sap. 5.

Psal. 13.

Matth. 4. 8.
13. 23. & 24.

Luc. 12.
Matth. 25.

dimenta, Christi que aureas promissiones: *Appropinquavit regnum cælorum. Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Erunt sicut Angeli Dei in cælo. Super omnia bona sua constituet eum. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.*



DE SANCTIS APOSTOLIS PHI-

lippo & Iacoba minore.



V^l M horum duorum natalitium diem hodie celebret Ecclesia, talesque magistros, antistites ac patronos sibi diuinitus contigisse gaudeat, ego etiam eorum solennem memoriam lubens recolam, & religione prosequar singulari. Inprimis autem agam gratias Christo Domino, qui hos ambos discipulos ad gradum Apostolici ordinis præstantissimum clementer euexit, & euectos verbo Euangelicæ suæ prædicationis diligenter imbuit, simulque dono miraculorum potenter instruxit, immo & Spiritu sancto sic vberim repleuit, ut illi ex primis essent vineæ Dominicæ operarijs, ac idonei Christianæ Ecclesiæ architecti, solidaque fundamenta omni lapide precioso decorata. Tū illis ipsis gratulabor, quod post graues indefessosque labores multis annis exantlatos, fructum animarum vberimum Christo reportarint, & huius mortalis vitæ curriculum ex voto feliciter absoluerint, utpote Apostolatus & Martyrii, duplicatam lauream in cælo consecuti, & qui post depositam carnis sarcinam noui quodammodo homines, & regenerati Dei filij, Christi que cohæredes facti sunt in regno cælorum, sed & mundi adhuc futuri iudices iuxta Christi promissionem. Proinde cum Ecclesia de illis liberè confitebor: *Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.*

Apocal. 21.

Rom. 8.
Matth. 19.

Psal. 138.

Sapientiam eorum narrant populi, & laudem eorum nuntiat Ecclesia.

AC PHILIPPVS quidem iure cōmendatur, quòd cùm Galilæus esset, & communem haberet cum Petro & Andrea patriam vicum Bethsaidam, vnus etiam ex primis discipulis extitit, quos Christus ad Apostolatam elegit, sicut ex Ioanne intelligimus. Nec satis illi fuit vocantem Christum sequi, sed & Nathanaëlem familiarem suum, cùm is primus illi obuius esset factus, suæ fidei & conuersionis participem reddidit, eumque ad Christum perduxit, præclara illa fidei suæ prolata confessione: *Quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, inuenimus IESVM.* Vbi fraternæ charitatis egregium edidit specimen, prius quàm in monte à Christo intellexisset: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Et neque illud audierat: *Qui conuersi fecerit peccatorem ab errore viae suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum,* sicut à Iacobo tandem scriptum est. Qui Philippus Christo peculiariter charus, & ab eo familiariter nōnquam interrogatus fuit, sicut Euangelica refert historia, vt sapiens Magister imbecillum illum in fide magis instruat atque confirmet. Beatus ille, qui & oculos ad videndum, & aures ad audiendum præ cæteris habuit ad Euangelij mysteria percipienda, vt idoneus esset testis omnium, quæ Verbum caro factum, in terris & docuit & gessit, vt sese vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis demonstraret. Ex hodierno Euangelio satis apparet, quòd ille Christo dixerit, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Quæ verba sic à quibusdā accipiuntur, vt Philippum indicent singulari quodam tunc arsisse studio videndi Patrem, & sempiternæ vitæ desiderio flagrasse, rebus alijs huius mundi contemptis omnibus. Nec dissimilis affectus illi viro potest tribui, qui cùm Christū in mensa concionantem audisset, in hæc verba prorupit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Est enim verè piorum proprium, de his quæ Dei sunt, & ad animæ salutem faciunt, sæpè miscere sermonē, quemadmodum de sæculi filijs hoc scribit Ioan-

Psal. 46.

Eccl. 44.

Ioan. 1.

Ioan. 2.

Matth. 5.

Iac. 5.

Ioan. 6. &
14.

Luc. 10.

Ioan. 1.

Ioan. 14.

Luc. 14.

I. Ioan. 4.

Ioan. 3.

1. Pet. 2.

1. Cor. 9.

Psalm. 125.

nes: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et similis Baptistæ vox est: *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur.* Veteres magno consensu testantur, hunc Philippum Scytharum Apostolum extitisse, quod singulari Dei providentia ad eam fuerit delectus provinciã, vt suum Apostolatam excoleret apud feros & agrestes illos homines, qui horrendã impietate ac simul immanitate iam pridem imbibebant. Ad hos igitur edomandos, Christi q; iugo subigendos, annos ferè viginti consumpsit, multos interim labores, graues q; calamitates perpeffus, vt innumerabilem multitudinẽ a falso cultu ad verum traduceret, & de Scythis gentem sanctam faceret, ac populum acquisitionis, vt cum Petro loquamur. Deus bone, quantis illi curis, periculis ac sudoribus confuit incophytos instruere, credentes baptizare, baptizatos in fide suscepta confirmare, confirmatos ad Christianã disciplinam modestiam q; ad suafacere, tum ciuitates ac regiones ad sacra Christiana magis magis q; informare, & passim fundare Ecclesias, eis que idoneos præficere magistros ac ministros. Hic magna illi prudentia, & in agendo dexteritate fuit opus: sed cooperante Christo peruicit obiectas difficultates, vt in doctrina, sic etiam in vita domi ac foris præluens omnibus, nec minus efficax in patrandis miraculis, factus demum omnia omnibus, vt omnes faceret saluos, & ipse sparsi Euangelij particeps efficeretur. Qui cum natus fuisset annos octoginta tres, pro suis benefactis hoc ab impio mundo præmij retulit, vt supplicio crucis afficeretur, Ebionitis hæreticis huc maxime impellentibus, ijs q; tam nefarijs, vt Christum Deum inficiarentur, solum q; hominem esse contenderent. Ille igitur crucem non modo prædicauit, sed & mortis genere tam acerbo quam ignominioso, sicut Petrus & Andreas eius terranei, cõstanter Deum glorificauit, lapidibus deinde obrutus. Passus idem & mortuus est apud Hierapolim, quæ ampla Phrygiæ vrbs est in Asia. Et quia seminauit in lacrymis, in exultatione quoque messuit, vnus ex primis illis laudatissimis operarijs, qui, vt Propheta loquitur, *euntes ibant & fle-*

bant,

bant mittentes semina sua. venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Sic ille incredibili patientia suum ornauit ministerium: doctrina enim viri per patientiam noscitur, teste Salomone, ac mihi etiã exemplo suo virtutem eandem excolendã reliquit Etenim electis omnibus, qui cruci subiecti atque destinati sunt, Apostolica illa doctrina congruit: Patientia vobis necessaria est: vt voluntatẽ Dei facientes, reportetis repromissionẽ. Patientes estote, & confirmate corda vestra: quoniã aduentus Domini appropinquauit Dolebo interim, me ab huius Philippi constantia, patientia & charitate procul abesse, & non satis Christi obseruare sententias: In patientia vestra possidebitis animas vestras. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Iam verò Iacobus Apostolus, cui non minùs quàm Philippo dies hic sacer est, Alphæi filius fuit, & frater siue cognatus Domini secundũ carnẽ, quia ex Deiparæ sorore natus, sed & Minor appellatus, vt ab altero Iacobo Zebedæi filio, & Ioannis fratre germano discernatur, eiusq; fratres Simon & Iudas inter Apostolos extiterũt. Alter autẽ ille Iacobus ratione vocatiõis Maior dici solet, quòd ante hũc cognominẽ, ad Apostolatũ à Christo electus & accersitus esset. Ex Paulo intelligim⁹, Christũ ab inferis excitatũ, se huic Iacobo minori seorsim videndũ præbuisse: & Lucas meminit, eundẽ Cõcilio Hierosolymis celebrato, vnã cũ alijs Apostolis interfuisse, suãq; ante alios dixisse sententiã, quam & ceteri comprobarint. Mirũ fanè, quàm præclare de hoc Apostolo veteres & sentiant & loquantur, quàmq; parum eidem faueant homines nouæ Religionis, vt vix vllus Apostolorum alius minùs apud illos valere, ac peius audire videatur. Primùm illis non arridet, hunc Iacobum ab Apostolis designatum & constitutum, imò & à Petro ordinatum esse Episcopum Hierosolymitanum, quemadmodũ ex Clemente Alexandrino referi Eusebius, & Chryostomus quoque confirmat. Atque vt ille primus Ecclesiæ suæ sacerdos cognosceretur, bractea siue laminam aureã in capite gestauit, sicut^a Egesippus, ^b Eusebius &

Prou. 19.

Heb. 10.

Iac. 5.

Luc. 21.

Ioan. 16.

1. Cor. 15.
A Cor. 15.Eus lib. 2.
hist. c. 26.
Chr. hom.
84. in Ioan.
a De excid.
Hierosol.
b Lib. 2. c.
22.^cHie

c De scri-
ptor. eccle-
siast.
Euf. l. 3. hi-
stor. c. 31

Ep. ad Hero-
nem & ad
Trall.

Hæref. 97.

Can. 32.

Agor. 13.

Can. 18.

c Hieronymus memorię tradiderunt. Etenim ne quis nouum esse putet, quòd sua Pontificibus & Episcopis ornamenta tribuantur, testatur & Polycrates ab Eusebio citatus, quòd Ioannes Apostolus, cùm Ephesi ageret, & Asię Ecclesias gubernaret, laminam quoque gestarit. Tum ex Ignatij epistolis cõfirmare licet, cùm Iacobus hic Episcopum ageret & sacrificaret, Stephanum Diaconum illi ministrassẽ. Scribit & Epiphanius de hoc Iacobo, velut mysteriorũ ac sacrificii duce; a quo, inquit, Episcopo & prædictis Apostolis constitutę sunt successiones Episcoporum & Presbyterorum in domo Dei.] Hęc velut spinę sunt in oculis aduersariorum, qui nulli hominum ordini magis quàm Pontificum & Episcoporum infensi & infesti esse consueuerunt, eorumque potestatem & iurisdictionem, qui Apostolis ipsis vicaria ordinatione successerunt, quacunque ratione possunt, defugere & labefactare conantur. Magis autem istos vrit, quòd cum Patribus asserimus, Liturgiam siue Missam, ac publicẽ sacrificandi modum ab eodem Iacobo Hierosolymis primũ introductum & celebratum, ad nos vsque peruenisse. Qua de re loquitur Proclus archiepiscopus Constantinopolitanus, & post eum Nicolaus Methones Episcopus, sicut & Cardinalis Bessarion: & quod longẽ maius est, de hac ipsa Missa Iacobi testatur Cõcilium in Trullo sub Iustiniano celebratũ. Est sanẽ vero simile, quod multi docti quoque sentiunt, Basilium Magnum & Chrysostrum, vbi de Liturgia & modo sacrificandi agunt, ex hac ipsa Iacobi Missa pleraque sumpsisse, & Gręcanicis Ecclesijs tradidisse. Certẽ quod apud Lucam Euangelistam legimus, *Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus*, id alij non malẽ transferunt: Sacrificantibus illis. De quo Sacrificio Canones Apostolorum admonent, sicut & Synodus Gangrensis meminit, vt Ignatium & Dionysium Apostolorum discipulos prætermittam. Nec minũ istos Momos offendit Iacobi huius epistola, quę tot seculis Canonica dicta & estimata est, in qua dolent proprium ipsorum idolum euertere, quoniam dogma de sola fide iustificante luculenter illic reij-

citur

citur atq; damnatur'. At certè huius epistolæ author Catholicus non esset, si hominem astrueret ex fide tantum, vt ipsi postulant, ac non etiam ex operibus iustificari, & nisi astrueret, fidem sine operibus otiosam, inanem & mortuam esse, ita vt nec Deo placere, nec vlli iustitiam & salutē adferre possit, opus enim est Verbi factoribus. Ceterum qua ratione Paulus & Iacobus Apostoli sint conciliandi, cum ille iustitiam fidei, hic bonorum operum studium ad salutem necessarium vrget. optimus arbiter Augustinus ex professo tractauit. Rursus isti subitascuntur, in Iacobi nostri epistola moneri Christianos de presbyteris in domum inducendis, vt illi pro infirmis orent, eosq; oleo in nomine Domini inungant: ita enim fore, vt oratio fidei saluet infirmos, & eisdem peccata remittantur. Etenim Sectarij nostri à Presbyteris, eorumq; officijs Ecclesiasticis planè sunt alieni, & qui duo sacramēta è septem vix agnoscere dignantur, sacramentum etiam vnctionis extreme contemnunt, licet in Apostolis, quum Christus doceret, vsum vngendi ægrotos fuisse Marcus Euāgelista testetur. Nihil ergo mirum, quod isti quoq; nauseant ad mentionem à Iacobo factam de Confessione homini facienda, quæ in nouis istorum Ecclesijs abrogata iacet, vt frustra moneantur illo dicto: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quid multis è totam hanc Iacobi epistolam, velut cramben recoctam, & febricitantium palato planè inspidam auersantur, adeoq; illam tumidam, aridam, & stramineam vocare non erubescunt, ne à sui Apostoli & hæresiarchæ Lutheri insana censura discedant. Sed enim & nos insanimus pfectò, si hos novos diuinæ Scripturæ censores admittamus, eorumq; suffragijs, plus quàm sacrorum Conciliorum irrefutabili authoritati, simul & venerandæ antiquitati concedendum esse arbitremur.

Ac dignum admiratione censebo, hunc tantum Apostolum à Nouatoribus non maioris æstimari, quem tot modis vetere prædicat, & cui eximia sanctitas à populo Iudaico, cum viueret, publicè fuit attributa, vt omnes illum ob excellentē vitæ pietatem mirum in modum suspicerēt ac reuererentur,

ac iu-

Iacob 1.

Lib. de fide
& operib. c.
14. & lib. de
natu. & gr.
& lib. arbit.
c. 7. & epist.
105. ad Sixt.
Iac. 5.

Marc. 6.

Iac. 5.

Lib. 20. An-
tiquis. c. 8.

In 1. cap. ad
Galat.

A. d. 2. & 4.

ac iustum, immò & obliam, seu vt alij dicere malunt, ophiã, id est, præsidium pro Israël cognominauerint, cui præterea soli in sancta sanctorum ingredi permittebatur. Quid quòd multorum bonorũ in populo iudicium fuit, sicut Iosephus quoq; fatetur, iustum Deum hostes misisse Romanos, & vrbem nefariam exterminasse, quæ virum hunc innocentissimum è medio crudeliter sustulisset? Scribit & Hieronymus in hunc modum: Iacobus Apostolus primus Episcopus Hierosolymitanus cognomento Iustus, vir tantæ sanctitatis & rvmoris in populo, vt simbriam vestimenti eius certatim omnes cuperent attingere.] Præstantem sanè valdeq; vigilantem illum fuisse pastorem necesse est, sub quo Ecclesia Hierosolymitana tãto perè floruit, & fructibus Diuini spiritus in primis abundauit, suumq; studium ardens in Apostolica perfectione sectanda mirabiliter declarauit. Sicut enim ex Luca discimus, *erat in Ierusalem multitudinis Credentium cor vnum & anima vna*, qui & spiritu & re pauperes in commune viuebãt, nihil sibi proprium vendicabant, quòtidè in templo vnanimiter perdurabant, nec solùm in Apostolorum doctrina, sed etiam in cõmunicatione fractionis panis, & orationibus, cum simplicitate cordis & gaudio spiritus perseuerabant De cuius Apostoli vita & moribus magno consensu testantur Patres, vt Clemens, Egesippus, Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, Metaphrastes, Nicephorus, alijq; complures, cum in materno vtero fuisse sanctificatum, nò contigisse foeminam, sed virgineam retinuisse puritatem, dies ac noctes in orando consumpsisse, ac peculiaribus pœnitentiæ operibus deditum fuisse, vt austeram planè vitam cum Apostolica functione & Episcopali munere coniungeret. Etenim carnem animalium nò gustauit, laneam vestem nò induit, à balnei & vini vsu se abstinit, ferro & nouacula nunq̃ radi voluit caput, sed neq; corpus suũ oleo perfundi vel vngi permisit, genibus verò humi hærentibus, præsertim in templo, pro salute populi Deũ longissimè orauit, vt hinc genua eius quasi callo obduruerint. Quæ omnia nò possunt Sectarijs nò odiosa & suspecta vide-

ri, nimirum vt pro Euangelica libertate carnalem licentiam obtineant, eiq; more suo patrocinentur. Hinc illa Iacobi opera & exercitia quæ diximus, vel Papistica vel Monastica, nõ autem Euangelica & Apostolica esse confingunt. Verum enim verò hæc ipsa mihi & Catholicis omnibus tantò gratiora esse debent, quantò minùs probantur Ecclesiæ veteris aduersarijs, qui carni tam propensè laxant habenas, & pro neuis, corruptelis, & stipulis reputant ferè omnia, quæ ipsorum placitis & sectæ institutis malè consonant, prorsusq; refragantur, licet à vetustate firmum habeant testimonium, & ab Apostolis ipsis vel dicta vel facta esse narrentur. Nam & Scriptura eiusmodi opera vel exercitia nõ pauca proponit, haud dubiè vt illa cõmendatiora nobis habeamus, multaq; licet à Deo præcepta nõ sint, tamè illi grata esse cognoscamus. Prisci certè Patres, vt Noë, Abraham, Melchisedec, Iacob, Iob ad altare Deo iniussu sacrificarunt, Rex David tam religiosè quàm sumptuosè arcam Domini publicè deduxit, & septies in die Deum sibi laudandum esse censuit. Nota est Rechabitarum pietas, qui per omnem vitam nec vinum bibere, nec domum ædificare, nec vineas & agros colere voluerunt, & idcirco à Deo laudantur & præmijs afficiuntur. Ioãnes Baptista totam ferè vitam in deserto contriuit, sibiq; victum & vestitum austerum, & ab Euãgelistis repetitum indixit. Quid Ioãne Apostolo fuit continentius? Paulo visum est gratis Euangelium annuntiare, suumq; corpus sæpè castigare, & cælebs alios ad virginitatè retinendam hortari nõ destitit. Anna vidua tam longum exegit cælibatum, mundoque mortua, semper in templo commorata est, in ieiunijs & obsecrationibus die ac nocte seruiens Deo, Bonum opus à Christo censetur, quod Magdalena inungendo suo corpore tam esset sollicita, & præter morem officiosa. Omitto id genus alia Sanctorum instituta, certis confirmata historijs, in quibus locum sanè habet illa præceptio Salomonis: *Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales, & ipse benè fac.* Et Apostolus generalem hanc tradit regulam: *Quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæ-*

Gen. 8. 12.
18. 33.
Iob. 1.
2. Reg. 6.

Ierem. 35.

Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.

1. Cor. 9.
1. Cor. 7.
Luc. 2.

Matth. 26.

Prou. 3.

Philipp. 4.

cunq;

cung, sancta, quaecung, amabilia, quaecung, bone fame, si qua virtus, si quala disciplina, hæc cogitate, quæ didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me: hæc agite. Tantundem de nostro Iacobo Apostolo dicere possumus, licet ad obseruanda illa quæ ipse fecit, nullum astringendum esse fateamur. Dolebo interim vicem illorum omnium, qui Iacobi opera supra dicta nõ modò refugiunt & auersantur, sed etiam in alijs, qui sponte illa pietatis ergò suscipiunt, improbè calumniantur, & vel hypocrisi, vel superstitioni audent adscribere, quoniam supererogationis, vt vocant opera, & eorum præmia omninò derident. Quid autem istuc est aliud quæso, nisi cum petulantissimis illis pueris repuerascere, qui Eliseo Prophetæ suã exprobrarunt caluitiem, & ob insanam irrisionem, statim cælesti vindicta p̄ immisos vrsos puniti sunt? Quid istuc est, nisi superbæ Michol exemplum æmulari, quæ sui mariti Davidis pietatem habens ludibrio, diuino iudicio semper infœcunda permansit? Quid est, nisi contra expressum Dei præceptum temerè iudicare fratrem, grauiq; iudicio Dei seipsum obstringere? Quid est demùm aliud, nisi aduersus apertam Pauli sententiam contristare Spiritum sanctum, eiusq; gratiam extinguere, qui cum iustorum corda inhabitat, eos etiam moderatur, & ad bonum semper incitat, atq; vt Paulus loquitur, ad viam excellentiorem sectandam, melioraq; charismata æmulanda sic impellit, vt eant de virtute in virtutem, omniq; abstinentiæ & continentiæ dediti, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigant, & eorum quæ retrò sunt, obliuiscentes, ad anteriora seipfos continenter extendant? Nec dubitat Augustinus dicere, Paulum super legem & Euangelium supererogasse, multisq; Sanctorum exemplis adductis probat Cassianus, eos diuinæ legis præcepta fuisse supergressos. Verùm de his alibi fusiùs.

MEMINERO demùm pretiosæ mortis, quæ vitæ Iacobi tã sanctæ rectè respõdit, & qui proculdubio quod ab alijs exegit, ad mortem vsq; cumulatè præstitit. *Omne gaudium, inquit, existimate fratres mei, cum in tentationes varias incidertis:*

scientes,

4. Reg. 2.

2. Reg. 6.

Matth. 7.

Ephes. 4.
Ioan. 3.1. Cor. 12.
1. Cor. 14.Galat. 5.
Philip. 3.
Lib. 3. hypognost.Collat. 21.
cap. 4.

Iacob. 1.

scientes, quòd probatio fidei vestra patientiam operatur. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vite, quam repromisit Deus diligentibus se. Qui cum Ecclesiæ suæ perquam sapienter ac vtiliter triginta fere annis præfuisset, rogatus est à Pharisæis & Scribis, qui iracundiæ inuidiæq; facibus inflammati, primis illis fidelibus hostiliter aduersabantur, suam de Christo dicere sententiam, vt multorum animos ab illius amore & cultu, sicut illi sperabāt, abduceret ac reuocaret. Quare templi pinnam conscendit, cum propter festum paschatis infinita hominum frequentia cōfluxisset, & publicè magna voce Christo testimonium clarissimum dedit, qui nimirum in cœlo ad dexteram Dei sederet, atque ad iudicandum mundum porrò venturus esset. Ea confessio impios auditores, præsertim Pharisæos vehementer offendit, ac malos peiores reddidit, vt hinc virū sanctum vi magna ex pinna præcipitem dari, ac lapidibus obrui procurarint. O nefandum scelus à sanguinarijs designatū in eum hominem, quem omnes iustissimum atque optimum esse scirent. Cum verò deiectus, & adhuc semiuuius eslet, inuicta in illo charitas persistit, propter quam in cœlum extulit manus, ac de hostium potiùs quàm de sua salute sollicitus, noxā omnem illis ex animo condonauit, & tam benè precatus est vt diceret, Domine dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Ita enim ille non modò Stephani Diaconi sui, sed etiā Christi redemptoris in cruce morientis exemplum sibi habuit cōmendatum, & præceptum Domini complere voluit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderūt vos: & orate pro persecuentibus & calumnantibus vos.* Accurrit interim homo nefarius, qui funē, vel vt alij volunt, vectem seu perticā fullonis arriperet, & Apostoli illi deret capiti: atq; ita ille disperso cerebro extremum spiritum reddidit Creatori. Ego vero præstantem in Iacobo Apostolo doctorem mihi proponā, à quo in primis discam, corde, ore & opere Christi nomen coram hominibus, adeoque hostibus publicè profiteri. Deinde ad sanguinem vsque peccato & tentationi, sicut ille fecit, &

Actor. 7.

Matth. 5.


Matth. 10. 1
Herb. 12.

Ioan. 12.

Matth. 5.

1. Tim. 1.

Paulus monuit, resistam fortiter. Adhæc animam meam in hoc mundo exosam habebō, sicut & ille habuit, vt eadem in vitam æternam custodiat. Demum pro capitalibus hostibus libenter & piè supplicabō, omni vindictæ cupiditate semota, vt charitas in me sincera vigeat, quæ sit de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

1. Cor. 13.

PRECANDVS est mihi Deus, vt Christi redemptoris exemplo mæstis & afflictis proximis condoleam, eisq; fidam consolationem & opem libenter impendam. Charitas enim patiens est, benigna est, non quarit quæ sua sunt.

ORABO in super meum præmuniri pectus aduersus immoderatos affectuum motus, grauesq; perturbationes, vt viuam in Christum fide confirmatus, interiorem pacem ac tranquillitatem non minus in rebus aduersis quàm prosperis intus forisq; declarem.

PETAM in super fidem & fiduciam in me augeri de futura vita, & varijs in domo Patris mansionibus, vt ad illas, tanquã ad hospitia vel domicilia electis à Christo parata, disparibusq; receptaculis pro meritorũ ratione distincta, suo tempore uocer & assumar.

Ierem. 3.


RVRVSVS Deum inuocabo pro Apostolico spiritu in Ecclesia Catholica passim renouando, & pro illis prepositis atque pastoribus impetrandis, de quibus diuinum illud extat oraculum: Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina, quales in primis Apostoli extiterunt.

Psal. 51.

Ad hæc pro amicis & vicinis Dei gratiam expetam, vt ad vtriusq; hominis incolumitatem clementiore cælo, & æstiuo tempore, quod nunc incipit, conuenienter utantur, qui se præterea florigeras & frugiferas arbores in horto Ecclesia præstare possint, sicut ille qui dixit, Ego sicut oliua fructifera in domo Dei.



IN DIE FESTO
INVENTIONIS SAN-
CTÆ CRVCIS.



EVANGELIUM IOAN-

nis III.

ERAT homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad IESVM nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister, &c.

Reliqua de hoc Euangelio, eiusq; Argumento, & Notis adiunctis alibi reperies, nimirum in Dominica sanctissimæ Trinitatis. Nos vnam duntaxat sententiam ex eodem Euangelio excerpemus, propter quã illud huic quoque festo attribuitur.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filiũ hominis: vt omnis q; credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitã aternã.

EAC verba in mentem mihi reuocabunt sanctum illud colloquiũ, quod Christo nocte fuit cum Pharisæo & principe seu magnate Iudæorum, fideique nostræ candidato seu catechumeno Nicodemo. In

1. Cor. 2.

1. Cor. 10.
& 11.
Rom. 12.Isai. 7. iux-
ta LXX.Ioan. 12.
Ioan. 8.

codem colloquio Christus primùm agit de regeneratione spiritali, quæ fit ex aqua & spiritu, vt rudem imbecillumque hominem ad baptismi sacramentum omnibus necessarium, sed eo tempore nondum promulgatum, præparet atque disponat Verùm Christi doctrina Nicodemo nō parum abstrusa, & miranda magis quàm amplectenda videbatur, quando quidem sine fide, salutis omnis fundamento, ratiocinabatur, & pro Pharisæico supercilio hærebat in illo: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? quomodo possunt hæc fieri?* perinde ac si opus foret, hominem iustificandum Euangelij mysteria humano sensu metiri, vel externis assequi sensibus, quemadmodum res terrenas & naturales communis mortalium comprehendit intellectus. Qui Nicodemus velut animalem hominem sese præstat, de quo Paulus loquitur: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* Ego hac in parte spiritalis esse contendam, meum captiuans intellectum in Christi obsequium, & à fidei simplicitate non excidens, sed sapiens ad sobrietatem. Toto cœlo, vt aiunt, erramus, nisi res diuinas, quæ nostrum captum excedunt, pro certis, firmis & indubitatis habeamus, etiamsi nullo corporis vel animi sensu à nobis percipiantur. Hoc fidei lumine prælucente, humanus iuuatur intellectus, vt quæ prius impossibilia esse sentiebat, & Deo facilia, & nobis salutaria esse statuat citra dubitationem, vt quæ in illo Prophetæ Isaiæ dicto acquiescat: *Si non credideritis, non intelligetis, sine non permanebitis.* Cæterùm in progressu huius colloquij, cuius iam antè meminimus, pergit Christus maiorem sibi auctoritatem vendicare, vt Nicodemus auditor ipsi non solum vt veraci Doctori de spiritali regeneratione tractanti, sed etiã humanæ salutis auctori fidem habeat ac pareat. Quamobrem illi prædicit suæ crucis mysterium, ex quo nimirum eiusmodi pendet regeneratio, ipsamque suam crucifixionem molliter vocat, exaltationē, cum ait, filium hominis exaltari oportere. Ac eodem penè modo alibi loquitur: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Sicut & rursus alio

loco:

loco: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Et reuera quicquid ignominie & poenae subijt Christus, & nos propter Christū pie subimus, quid est aliud. quæso, nisi transitus quidam ad gloriam, & exaltatio ad immortalitatem? *Idem quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostrae, si Paulo credimus, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Venustè autem & appositè Dominus ad veterem historiam à Moysè scriptam alludit, cùm de æneo illo serpente differit. Cùm enim Iudaicus populus itineris longi fastidio affectus, contra Moysen suum ducem in deserto murmurasset, iratus Deus hanc de murmurantibus poenam sumpsit, vt igniti serpentes vi magna insilirent, & suo morsu plerosq; illorum vulnerarent ac perderent. Vbi cum Moyses, vt erat mitissimus, pro afflictio populo intercederet, ac Deum placaret iratum, hoc remedium vel antidotum accepit, vt serpentem æreum iussu diuino fabricaret, certoque sperare iuberet fore, vt in serpentem intuentes, statim sanarentur, læsiq; non perirent amplius. Quare misericors Dominus (Cyrilli verbis vtat) Serpentem ex ære Moysen exaltare iussit, vt ea in re discerent, fide salutem sperare. Morsu enim serpentis laborantibus, vnicum erat remedium, exaltatum serpentem cum fide aspicere.] Atq; hoc typo fuit insigniter adumbratum, venturum esse Messiam, & licet innocentem, tamen in crucem erigendum, ac mirabiliter opitulaturum illis, qui à peccatis, velut ignitis pestiferisq; serpentibus, lethaliter essent vulnerati, modò suam in illum fidem atque fiduciam coniicerent, & toti ex illo penderent. *Omnis enim qui credit in illum, non confundetur. Omnis quicumq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

Hic ego non oscitanter expendam, quantoperè mihi peccata fugienda & execranda sint, vt quæ serpentibus ignitis, virulentis atque pestiferis meritò comparantur. vt hinc quoque Scriptura testetur, *Quasi à facie colubri fuge peccatum; & si accesseris ad illa, suscipient te;* vt reliqua prætermittam. Vitia enim, præsertim quæ de industria committuntur, non solùm

Ioan. 8.

2. Cor. 4.

Numer. 21.

Numer. 12.

In Euangel.
Ioan.

Rom. 10.

Ioel. 2.

Act. 2.

Eccl. 21.

1. Pet. 1.

A&. 10.

Isai. 53.

Isai. 43.

Apoc. 1.

Tit. 2.

1. Corin. 1.

In Euang.
Ioannis.

Ioan. 3.

animæ, sed & corpori venenum præsens, & frequenter incurabile adferunt, verèq; sunt mortus & opera dæmonum, totum hominem corruptentia, omnemq; illi pacem & quietem auferentia, quæ nec ab vlllo alio nisi à Christo Agno, vt Petrus vocat, immaculato deleri tolliq; possunt, & propter quæ idem, licet omnium innocentissimus, in crucem exaltari, suumq; profundere sanguinem debuit. *Huic enim omnes Propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostra super eum, & luore eius sanati sumus.* Vnde mihi quoque dictum putabo, quod Christus ipse per Prophe tam queritur: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, prabuisi mihi laborem in iniquitatibus tuis. Dilexit enim nos Ioanne Apostolo teste, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, deditq; seipsum, vt nos redimeret ab omni peccato, & mundaret sibi populum acceptabilem, bonorum operum sectatorem,* sicut Paulus affirmat. Deinde singulares Christo Domino gratias agam, & iusq; ineffabilem erga mortales beneuolentiã & charitatem prædicabo, quòd pro inimicis pati voluerit crucẽ, id est, mortem vt acerbissimam, ita & ignominiosissimam, quòdq; sue crucis & mortis virtutem, remissionem nempe peccatorum, per sacrum baptisma nulli non offerat, & credentibus libenter impertiat applicetq;. Vnde non temerè factum est, quòd vtrumq; beneficium proponat ob oculos Nicodemo, sicut coniunxit & Paulus, cum ita scriberet: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* sicut Chrysostomus notat. Præterea sedulo animaduertam, Christum hîc disertè fidem exigere, ac ita dicere: *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nisi enim in ipsum in cruce exaltatum fidei oculos conuertamus, in peccatis mori possumus, veram æternamq; vitam consequi non possumus. Proinde operam strenuã dabo, vt meipsum probem in fide vera, firma, Catholica & orthodoxa, qua cunctis à Deo reuelatis Ecclesiæ, & ad credendum necessarijs assen-

tiar,

tiar, ac insuper certam fiduciam de Deo Christi que promissis concipiam, nihil dubitans id quod rectè à me petitur, Deum propter Christum liberaliter esse largiturum. Hac fide suffultus, Christum mihi natum ac donatum amplectar tanquam redemptorem, cui per omnia fidam in vita & morte, sed & sicut legislatorem, cui magis quàm vlli alteri obedientiam præstem, nec minùs vt præcessorem ac ducem, cuius insistam vestigijs, & à cuius præceptis ac exemplis volens nunquam discedam. Nihil autem mihi commune fuerit cum ea fide, qua noui Sectarij planè sine omni dubitatione statuunt, peccata sibi propter Christum esse remissa, se que hac sola fide in Christum iustificari & salutem cõsequi certò sibi persuadent. Non vulgaris autor est Beda, qui præsentem Euangelij locum sic interpretatur: *Qui mysterium Dominicæ passionis credendo, confitendo, sinceriter imitando aspiciunt, saluantur ab omni morte, quam peccando in anima & carne pariter contraxerunt.* Vrget sanè Paulus fidem, sine qua sit impossibile placere Deo; & opera quæ extra fidem fiunt, excludit à iustificatione: sed fidem omnem non probat, qua in Deum creditur, illamq; præsertim, qua sibi quis remissionem peccatorum Deiq; gratiam certò pollicetur, sed eam salutarem & Euangelicam fidem definit, cuius opera ex dilectione procedunt. Sic enim loquitur: *In Christo IESV neg. circumciso aliquid valet, neg. præputium: sed fides quæ per charitatem operatur.* Ac itum ad Corinthios ait: *Si habeam omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habeam, nihil sum.* Vbi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio benè viuitur, vt Augustini verbis vtamur. *Qui vt Paulum magis nobis explicet, fidem humanæ salutis fundamentum, bonæ vitæ initium, & radicem boni operis vocat, eamq; charitate destitutam esse quidem, sed ad salutem nulli prodesse posse, adcoque fidem inanem esse testatur. Quamobrem iubet idem quoq; Paulus, nos non solùm in fidei nostræ autorem & con summato rem aspicere, sed simul eodem monet loco, vt omne peccati pondus deponamus, & per patientiam curramus*

Esaï. 9.

In Euangelii
Iu Ioannis.

Hebr. 11.

Galat. 5.

1. Cor. 13.

Lib. de fide
& oper. c. 14.
& lib. 15. de
Trinitate c.
18.


Heb. 12.

A. & 15.
2. Pet. 1.

ad propositum nobis certamen. Affirmat & Petrus Aposto-
lus, fide corda purgari, nec omittit tamē præcipere fidelibus,
*Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiã, in scientia
abstinentiã, in abstinentia patientiã, in patientia pietatē, in pietate
amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hac enim
si vobiscum adsint, inquit, & superent, non vacuos, nec sine fructu
vos constituent in Domini nostri IESU cognitione. Cui enim non
presto sunt hæc, cæcus est & manu tentans.* Eapropter magno pe-
rè illorum causa dolebo, qui pro fide ignauam, sterilem & in-
efficacem Christi cognitionem sibi proponunt alijsq; com-
mendant, nec viuam & fortem fidei operationem cum cha-
ritate coniunxerunt: tam exigunt: quos vt vanos & cæcos rerum
æstimatores princeps Apostolorum reijcit, alibi quoque do-
cens, Christum pro nobis passum ita spectare, vt eius exem-
plum nobis relictum obseruemus, eiusque vestigia studiosè
sectemur. Meminero igitur eius quod me Chrysostomus do-
cuit, in hunc modum scribens: *Quamuis fidem firmissimam,
quamuis scripturarum sensus haberemus, à vitæ autem pa-
trocinio deserti essemus & nudi, nihil nos à gehennæ ignibus
eriperet, quin perpetua & inextinguibili flamma comburere-
mur. Quare omni diligentia curaque adhibita contēdamus,
ne quod ex vera & firma fide lucrum accepimus, operū pra-
uitate perdatur: sed vt etiam ex operibus clari & probi effecti,
liberè & securè Christum videre possimus.* 1

1. Pet. 2.

Homil. 5. in
Ioannem.



DE FESTI HVIVS INSTITV-

tionē ac vsu.



R V X Dominica reuerendum & insuperabile illud
trophæum est, in quo mundi salus pepedit, & Agnus
ille Dei immaculatus peccata nostra expiauit. Est
primum illud sacratissimumque vexillum, quo fi-
lius Dei aduersus mundi principem triumphauit: est glori-
ficum & venerandum signum, quod mediator Dei & hominum

Chri-

Christus sacrosancto suo sanguine consecrauit, & quo de-
 mum maximum suæ passionis opus ad humani generis re-
 demptionem absoluit, nobisque dona Dei pretiosissima pro-
 meruit ac impetrauit. *Pascha enim nostrum pro nobis immolatus
 est Christus.* Et in excelsa quidem cruce immolatus, non sub
 tecto neque in templo vel ciuitate, sed extra ciuitatem Ieru-
 salem; vt sciamus non Iudæorum proprium, sed commune
 mortalium esse hoc sacrificium, quo & aër & terra munda-
 tur, & peccatores omnes per crucem Dominicam iustifican-
 tur & sanctificatur. Quare nihil mirabor, inter imagines om-
 nes, quas Catholici veneratur, Dominicam crucem vel maxi-
 me tot sæculis honorari, & in honoris huius testimoniū duo
 peculiaria Festa, quæ à cruce inuēta & exaltata nomē trahunt,
 quotānis in Ecclesia celebrari. Propriū enim id est Orthodoxo-
 xorū, vt quam crucem impij detestatur, vel pro scandalo du-
 cunt, eam reuerenter amplecti, & magna cum religione vene-
 rari, vt non modò cum Paulo, sed cū tota etiam Ecclesia con-
 stanter illorum quisque profiteatur: *Mihi autem absit gloriari
 nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, in quo est salus, vita, &
 resurrectio nostra, per quem saluati & liberati sumus.*

I. Corin. 5.

Galat. 6.

Ceterum vt ad festum inuentæ crucis propius accedam, ex
 fide dignis rerum scriptoribus præsertim Ecclesiasticis, illud
 certò constitutum habebò, floruisse olim valde laudatam &
 insigniter piam reginam Constantini magni matrem Hele-
 nam, quæ inter omnes ferè Christianas & illustres Reginas ac
 Imperatrices pietate ac eruditione præcelluit, vt vix vllam si-
 bi parem habeat, nedum superiorē. Hæc diuinis monitis ex-
 citata, religionis ergò Hierosolymam longo itinere profecta
 est, vt sacra illic loca viseret, ac Dominicā quæreret crucem,
 quæ iacebat in tenebris, ab ethnicis quidem sub ima terra
 multo aggere superstructo defossa, eumque velut pretiosum
 thesaurum amissum in lucem proferret, ac veris Christi cul-
 toribus restitueret. Venit igitur Hierosolymam, requirens lo-
 cum in quo Crux Domini antea steterat fixa, & quem ethni-
 ci foedissimo idolorum cultu profanarant & conspurcârunt.

Effecit igitur, vt eodem loco repurgato, studium ingens ad Crucem Domini subterraneis in locis absconditam reperiendam ac eruendam adhiberetur. Cùm verò se tres cruces simul offerrent, quàmnam Christi propria fuisset, cœpit dubitari, eamque dubitationem sustulit Maccharius Hierosolymorum Episcopus, præclara pietate præditus, qui factis Deo precibus hoc impetrauit miraculum, quo vera Domini crux à duabus alijs coniunctis dignosceretur. Aderat nobilis quædam & grauius laborans fœmina, quæ alijs crucibus sine fructu admotis, solius Dominicæ crucis contactu statim restituta est. Quæ res ingens Helenę reginæ, Macchario antistiti, & præsentibus omnibus gaudium attulit, quòd propitium sibi Deum, suoque desiderio satisfactum esse cernerent. Helenæ autem curæ fuit, ob salutarem crucem inuentam templum illic magnificum extruere, in quo partem Crucis reliquit argenteis thecis in clasam, partem Constantino filio detulit, vnà cum clauis ibi repertis, quibus Redemptoris nostri corpus in eadem fuerat cruce confixum. Hanc porrò veram esse historiã negare non potest, qui^a Sozomenum, ^b Ruffinum, ^c Theodoretum & ^d Socratem legerit, aut legere voluerit, vt alios recentiores omittam. Meminerunt eiuſdem historię Hieronymus, Sulpitius & Paulinus. An verò Ambrosij verba luculenta non sunt: Beatus est Constantinus tali matre Helena quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multò amplius inuenit quod Imperatori conferret, quàm quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, destinauit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis. Venit ergo Helena, cœpitque reuisere loca sancta: infudit ei Spiritus, vt lignum Crucis requireret, accessit ad Golgotha. Quæsiuit & clauos quibus crucifixus est Dominus, & inuenit.] Longum esset reliqua omnia repetere quę ascribuntur. Eusebius, quem Hieronymus Latinum fecit, clarissimè pronūtiat: Anno Domini trecentesimo vigesimo quinto, imperij Con-

a Lib. 2. c. 1.

b Lib. 4. c. 7.

c Lib. 1. c. 18.

d Lib. 1. c. 13.

ecclesiast.

historiæ.

e In oratione

de obitu

Theodosij

Imp.

In Chroni-
co.

stantini decimo sexto, Helena Constantini mater, diuinis monita visionibus, beatissimum Crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit. Eodem spectat quod notat Chrysostronus, crucem diu defossam, tandem inuentam esse, quæ per titulum à latronum cruce fuerit agnita. Nihil enim obstat, præter miraculum quod antè diximus, ad iunctum etiam titulum à Pilato scriptum rem totam illustriorem effecisse. Quæ omnia idcirco fusiùs adducere visum est, vt ridicula istorum impudentia fortiùs coarguatur, qui celererrimam & probatissimam hanc de inuenta Cruce historiam vel eludere, vel eneruare contendunt, vt suam tantum in oppugnanda Ecclesia libidinem expleant. Vetus est Pontifex Eusebius, qui dum ad Episcopos scribit, huius inuentionis meminit, ac de illa Festum iubet sollemniter celebrari.

EST & illud insigne miraculum eiusdem ætatis, quod ego cum pijs omnibus, hoc præsertim die, non sine voluptate recolam, quando quidem singulari Dei prouidentie ac bonitati visum est, hoc ipsum signum Crucis illi patefacere Cæsari, qui dictæ reginæ Helenæ filius fuit, Constantino Magno de re Christiana optimè merito, si cum cæteris qui præcesserunt aut secuti sunt Imperatoribus, ritè conferatur. Huic enim signum Crucis in cælo diuinitus est ostensum cum illa inscriptione, In hoc signo vinces. Cui præterea dormienti se Christus ipse videndum præbuit, ac præcepit, vt sequeretur exemplar ad imitationem illius signi quod in cælo apparuerat, eo quod fabricato tanquam præsidio in prælijs cum hostibus committendis vteretur, sicut Eusebius tum temporis viuens exponit. Hinc ille cum ad alias res bene gerendas, tum ad Christi fidem amplectendam mirabiliter fuit excitatus, & Cruce pro vexillo vti cœpit, ipsumque crucis supplicium antè in Republica passim Romana vfitatum, ad Crucis Christi honorem sustulit, sed & cum Arcadio nummis figuram Crucis inprimi curauit, ac demùm ad Maccharium Episcopum Hierosolymitanum scribens, diuinam in se benignitatem celebrauit, eò quod passionis Dominicæ monumenta tot seculis fœdissime

abdita,

Homil. 84.
in Ioan. c. 19

In epistol. 3.

Lib. de vita
Constantini
c. 23.

Lib. 3. de vi-
ta Constant.

abditā, suis temporibus in lucem prodissent, & quasi nouo fulgore orbem illustrassent, quemadmodum Eusebius notat. Præterimus alia diuinæ potentæ signa, quæ circa Dominicam crucem contigerunt, præsertim cùm regnaret Heraclius Imperator, qui eandem Crucem ab impijs Persis ablatam, haud sine memorabili victoria aduersus regem Cosdromam diuinitus impetrata, recuperauit, & Hierosolymis restituit. Quam cùm purpuratus deportare cœpisset, quò magis progredi conabatur ad Caluariæ montem, eò magis retineri visus est: sed cùm ab Episcopo Zacharia monitus, purpuram abieciisset, calceos detraxisset, vilemque sumpsisset amictum, sine impedimento reliquum viæ facile confecit, atque ad montem usque Caluariæ in crucem inoffensè deportauit, ibique statuit, vnde fuerat à Persis absportata. Qua de re Sophronius & Suidas, alijque plures aperte testantur.

Soph. ferm.
de exaltat.
Suidas in
Heraclio.

Cæterum quem vsu & fructum hæc historia, sed & totius Festi ratio mihi præbere possit, etiam atque etiam considerabo. Admonet in primis de singulari prouidentia diuini numinis, in regibus & reginis, aliisque principibus atque magnatibus peculiariter operantis, eorumque mentes mirabiliter excitantis ad res præclaras, quæ vel Ecclesiæ vel Reipublicæ conferant, aggrediendas atque promouendas. Cuiusmodi diuinos motus & impulsus non obscure cernimus in rege Dauide, ad cultum diuinum ornandum & amplificandum, in rege Salomone, ad magnificum illud templum ædificandum; in rege Cyro, ad populū Dei consolandū & restituendū; in Constantino Cæsare ad tranquillitatē afflictæ Ecclesiæ reddendā; in Helena, ad Christum in cruce & Sanctorum reliquijs honorandum; in Carolo magno ad fundandos passim Episcopatus & Academijs instituendas; in Henrico II. Cæsare ad piorum collegia & monasteria erigenda. Non enim temerè scriptum est: *Cor regis in manu Domini: quòd cum voluerit, inclinabit illud*, teste Salomone. & à Psalmographo dicitur Deus terribilis apud reges terræ, utpote qui non solum sapientes & iustos, sed etiam insulos ac improbos donat mittitque princi-

Prou. 21.
Psal. 75.

pes. Vnde diuinum illud oraculum: *Per me principes imperāt, & legū conditores iusta decernunt.* Tum in libro Iob legimus, Deum esse qui *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Huc referam Isaïæ vaticinium, quo Ecclesiæ Christianæ humanis vtique subsidijs ac præsidijs indigenti, reges nutritij, & reginæ nutrices promittuntur. Principum enim auctoritate ac munificentia mirum quantoperè foueantur ac prouehantur ministri ac pastores Ecclesiæ, sicut illorum etiam zelo hostes Ecclesiæ maiorem in modum comprimuntur atque debilitantur, quemadmodum Constantini, Theodosij, Caroli Imperatorum, ac aliorum quoque Catholicorum heroum res gestæ commonstrant. Nec modò Magistratum, sed aliorum quoque piorum siue doctorum, siue discentium studia, bonique conatus valde iuuantur & crescunt, cum sibi principes & patronos siue Mæcenates fauere sentiūt. Vt huc etiam referri possit quod ait Sapiens: *Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium. Rex verò qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo. Dissipat impios rex sapiens.* Deinde sapientiam Dei singularem agnoscam, quòd Helena crucem Domini non inuenerit ac patefecerit, nisi postquã ventum est ad imperium Constantini. Antea enim Iudæi ac Ethnici sæuiebant in Christianos, & immanem tyrannidem exercebant, nullo modo passuri, vt Christus in sancta Cruce & Sacramentis publicè honoraretur. Opportunum igitur, adeoque necessarium fuit, pacem Ecclesiæ primùm restitui, sicut sub Syluestro Pontifice, & Constantino Cæsare factum est, & postea cultum diuinum, aliaque ad illum spectantia institui, ac decenter ordinari. Omnia enim propter electos, qui pro ratione temporum alijs atque alijs modis à summo Deo gubernantur, varijsque instruuntur præsidijs, sicut in Iudæorum etiam synagoga factum esse constat. *Cuncta enim fecit Deus bona in tempore suo,* inquit Ecclesiastes. Adhæc germanæ charitati est consentaneum, gaudere cum gaudentibus, sicut & Paulus postulat, vt idcirco illis superioris ætatis fidelibus meritò gratuler, qui-

Prou. 8.

Iob 34.

Isai. 49.

Eccl. 10.
Prou. 20. &
26.

Eccl. 3.

Rom. 12.

bus

Exod. 14. &
15.

De pretiosa
vniuers. & Cru-
cis exaltat.

bus post diras & longas persecutionum tempestates, diu exoptata serenitas obtigit, cum pius & potens Imperator, & mater eius religiosa Christianos omnes noua munificentia & singulari studio mirabiliter exhilararunt. Christo enim autore noua rerum facies apparebat, subactis iam tandem fidei hostibus, qui hucusque crudelem in Christianos carnificinam exercuerant, cultuque diuino, qui per decem atroces persecutiones tanquam oppressus iacebat, passim reflorescente. Vnde communes & publicae Christo laudes dictae sunt exemplo Israelitarum, qui superatis marinis fluctibus, ac de tyranno Pharaone, & copijs eius Aegyptiacis triumphantes, non solum ingenti perfusi sunt gaudio, sed & suos choros ducentes, victori Deo gratias vno velut ore dixerunt: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Adscribam verò insignem Andreae Cretensis episcopi locum, vt certius constet, quanta rerum mutatio facta, quis Ecclesiae successus consecutus fuerit, postquam Dominica crux per Helenam inuenta, & per Heraclium Caesarem exaltata est. Crux, ait, in altum extollitur, non solum quod Christus fuit in altum elatus: sed quod manifestus euasit tempore Imperatorum (Constantini scilicet ac Heraclij) qui crediderunt in eum.] Addit porro de Iudaeis, qui inuidiae stimulis agitati, ac timore affecti, ne quid ex passionis Dominicae monumentis superesset, ea omnia in intimos terrae sinus defoderunt; ac inprimis Crucem ipsam, & alia quae ad ipsam pertinent, nempe clauos, lanceam & titulum à Pilato scriptum abscondere voluerunt. Deinde cum Deus, inquit, tradidisset Christianis sceptrum Imperatoriam, & totum Romanum imperium, ei tunc placuit per piam mulierem, mulierem regiam, & quae regios habebat spiritus, tunc filio imperante Christianis, sine labore, & diuino, vt ita dicam, instinctu sapientem reddere; quae partim quidem grauitate Principali, partim autem nonnunquam communibus blanditijs regaliter omnia faceret, quae inflexibile Iudaeorum cor flectere poterant. Et citò

quae

quærenti Imperatrici communis apparuit thesaurus, Deo ce-
 leriter donū porrigente mulieri. Propterea ergo hodie diem
 festum celebramus: propterea frequentes cōuenimus, quòd
 sanctum illud, quod olim latebat, hodie euasit manifestum:
 quòd thesaurus qui fuerat absconditus, ex terræ metallis re-
 fulsit sicut aurum: quòd id quod erat in terra infossū, reue-
 latum est maximè insigne opus imperij Christianorū: quòd
 cessauit procella dæmonum, cūm Crux euasisset manifesta:
 quòd qui aduersus inimicos à Christo fabricatus fuerat gla-
 dius, è terra euasit manifestus: quòd suum ornamentum ho-
 die accepit Ecclesia; quòd quam illa perdiderat drachma re-
 gale inuenit imperium. Hæc est Crux Domini, signum Do-
 minicum: arma salutaria, regia potentia, victoriæ trophæum,
 inter superna & inferna intermedium, eorū qui firmiter cre-
 dunt vexillum, coronis Apostolica, specula prophetica, Mar-
 tyrum corona, eorum qui Christum adorant arrha.] Et post
 pauca: Ex quo Crux, inquit, (reperta & exaltata est,) abolitæ
 sunt res Iudæorum, extinctæ res Gentilium, liberati sumus à
 sanguine qui fundebatur in altaribus, cultum gustauimus in-
 cruentum. Ex quo Crux (in lucem prodijt,) mors fuit habita
 contemptui, obstupescit sunt dæmones, contracta sunt si-
 mulacra, cōculcata fuerunt animalium sacrificia, euerfa sunt
 idola: vbiq; Ecclesiæ, altaria, psalmodiæ, stationes nocturnæ,
 theologiæ, baptismata, fidelium consensio, scripturarum a-
 gnitio, terræ contemptio, cœli acquisitio, Dei participatio.]
 Hactenus Andreas ille, & plura deinde id genus alia perse-
 quens, quæ nō modò sanctæ Crucis laudem ac venerationē,
 sed etiam Festi huius vtilitatem ac vsum satis ostendunt, nos-
 que ad gratiarum actionem Deo reddendam meritò excitāt.
 Quamobrem Petrus Damianus, autor non vulgaris, suo e-
 tiam sæculo scripsit ac docuit in hæc verba: Hodie fratres car-
 rissimi, quia Crucis inuentionem colimus quasi reperto com-
 munitis totius mundi thesauro, communiter in Christo gau-
 dere debemus. Et sicut ille inuenta perdita oue vel drachma
 conuocatis amicis & vicinis congratulatus est: ita & nos in-

Serm. de in-
 uent. S.
 Cruc.

Luc. 15.

uento

Galat. 6.

uento eo non quod ipse perdidit, sed quo nos perditos ac-
quisierat, iustum est gloriari, præsertim cum Apostolus di-
cat: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri*
IESV Christi.]



QVIBVS DE CAVSIS LICEAT AC
DECEAT CRUCEM DOMINICAM
VENERARI, ET SINGV-
lari cultu prosequi.

Genes. 2.

Genes. 7.

Genes. 22.

Lib. 8. in
Ioan. c. 1.
Exod. 12. &
14.

Exod. 17.

Num. 21.

AEQVVM sanè & iustum est valde à me diligi, & in
magno haberi pretio nunquam satis laudatam Do-
minicam Crucem, quæ in Prophetis litteris toties
adumbrata nobis & ostensa est, vt testamenti noui tempore
studiosius ac frequentius illius recordaremur. Hanc retulit
arbor illa nobilis & incomparabilis, quam lignum vitæ in
medio paradisi positum Moyfes nominauit. Hæc veri Noë
quodammodo arca est, & refugium electorum singulare,
per quam seruantur incolumes, qui horrendo diluuiio non
sunt absorbendi. Typum crucis gerit obediens patri fi-
lius Isaac, qui in montem adductus, alligatus, atque in holo-
caustu immolandus erat, ac suis humeris ligna ipse portauit.
Hæc postibus & superliminaribus domorum Israëliitarum
figurata describitur, vt Cyrilli verbis vtamur, quæ sanguine
Agni delibuta, exterminatorem Aegypti, ne ingrederetur,
propulerunt. Hæc est virga illa Mosaica, quæ mare rubrum
percutiēs, diuisit aquas, & traducto Dei populo, regem Aegy-
pti cum vniuerso eius equitatu submersit. Crucis figuram at-
que formam manibus extēsis retulit Moyfes, cum superbum
Amalec pugnam cientem, atque in populum Dei ductantem
exercitum, oratione ad Deum facta deuicit. Denique ipsa li-
gnum est, quo in deserto suspensus serpens æneus, omnibus
illum conspicientibus sanitatem à morsu serpentum reddi-
dit.]

dit.] Atq; ita quidem Cyrillus, vt reliquos id genus typos, qui plures à Tertulliano & alijs numerantur, præteream. De hac ipsa hostes Christi capitales, qui tanta illum rabie in crucem agi postulabant, his verbis in libro Sapientiæ colloquuntur: *Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum.* Nullum enim genus mortis turpius atque contemptius, quàm in crucis patibulo affixorum olim reputabatur, & lege Moylis definitum erat: *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno:* vnde Paulus etiã Christum factum esse p nobis maledictũ asseruit. Quid quod Propheta regius, sicut olim vetusti codices habebant, & ex Iustino, Tertulliano & Arnobio colligere licet in hunc modum scripsit: *Commouetur à facie eius vniversa terra: dicunt in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno:* vt hinc etiam canat etiamnum Ecclesia: Impleta sunt quæ concinit Dauid fidelis carmine, Dicens, In nationibus regnauit à ligno Deus. Sed iam propius ad nouum testamētum in veteri præfiguratum accedamus: *Omnia enim,* vt Paulus affirmat, *Iudæis in figura contingebant.* De sua Cruce toties Christus discipulos præmonuit, vt nobis etiam illius memoriam magis infigeret, ac fideles nunquam crucis obliuiscerentur. Tum pro Cruce baptismum accipere videtur, vbi sic loquitur: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Nos alibi monuimus, quod sæpè Christus ita de sua exaltatione loquatur, vt futuram crucifixionē intelligat, sicut illo in loco: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus, vt Ioannes addidit, ne dubitemus Christum in cruce exaltatum esse Deum, qui ad se trahit omnia. Vt hinc etiam Leo magnus exclamans dicat: O admirabilis potentia Crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi. Hoc illud signum est, quod non sine singulari fulgore, impijs equè ac pijs instante iam extremo iudicio apparebit, omnesq; fines orbis terræ ultra solis claritatem illustrabit, eumq; ostendet orbis

Lib. aduersus Iudæos & lib. 3. contra Marcionem.
Sap. 2.

Deuter. 21.
Galat. 3.

Psal. 95.

1. Cor. 10.

Matth 20. &
26. Marci
10. & 14.
Luc. 18. &
22.
Lucæ 12.

Ioan. 12.

Serm. 8. de
pass. Dom.

Matth. 24.

iudicem qui prius fuerat crucifixus, quemadmodum Christus ipse verbis illis insinuat: *Tunc parebit signum filij hominis in caelo.* Ita enim locū hūc Euangelicū veteres interpretantur, vt Chrysoſtomus, Hieronymus, Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ephrem, alijque posteriores. Vnde tot ſæculis canit Ecclesia: Hoc signum Crucis erit in caelo, cū Dominus ad iudicandum venerit. Quid? quod ante Christi aduentum Sibylla, perinde ac si Crucem Domini cōspexisset, diuinitus edocta non obscure cecinit:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.

Nec te terra capit, sed caeli tecta videbis,

Cum renouata Dei facies ignita micabit.

Ex histor.
passion. scri-
pta in A-
chaia.
Ex hymno
Theodulphi
Aurel. vel
Sedulij.

Philipp. 2.

Luc. 24.

Isai. 53.

Ceterum vt succinctius agatur de re quæ latissimè patet, egone magnificiam & venerer signum illud, quod visum est Deo ex vilissimo & abiectissimo sublimissimum & præstantissimum, ex ignominiosissimo maximè honorificum facere, vt quod antea Iudæis erat scandalum, & Gentibus stultitia, credentibus porro sapientiæ, virtutis & gloriæ loco cum primis habeatur, magnisq; Dei operibus atq; miraculis passim illustretur? Cur mihi cum Apostolo Andrea dicere non liceat: Salue crux pretiosa, quæ in sanguine Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata? Cur non cantem cum Ecclesia: Arbor decora & fulgida, ornata Regis purpura, electa digno stipite tam sancta membra tangere? Ego crucem illam magnoperè semper amabo, & reuerenter amplectar, quam Christus Dei filius tanti habuit, vt eam inde ab æterno sibi delegerit ac fecerit viam & scalam ad regnum Patris & summam gloriam cōsequendam. Etenim quando quidem humiliavit se, factus obediens vsq; ad mortem crucis: propter hoc exaltauit illū Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Oportebat illum utiq; pati crucem, & ita intrare in gloriam suam. Oblatus est in cruce, quoniam ipse voluit, iuxta Propheticam vocem: ne quis fortasse putet, illum vel humana, vel diabolica vi, ad crucem etiam inuitum adigi potuisse. Ex ipsius inscrutabili sapientia, & incredibili

erga

erga nos amore factum putabo, vt summus ipse & innocentissimus, proposito sibi gaudio, elegerit & sustinuerit crucem confusione cōtemp̄ta, sicut & Apostolus astruit. Quarè scripsit & Augustinus: Qui mortuus est, quia voluit: etiam mortuus est quando voluit, nec sine causa crucem potius quàm aliud instrumentum mortis elegit.] Cur mihi non probetur & summi beneficij loco æstimetur, quod Christo visum est, crucem pro summo & sanctissimo altari suscipere, in quo ipse Agnus ad placandum pro perditis hominibus Deum necaretur simul & immolaretur? *Dilexit enim nos & tradidit semetipsum pro nobis* (in cruce videlicet) *oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Hic placuit illi supremum tenere lectum benè floridum, in quo consummatis omnibus, quæ ad perfectum Mediatorem & propitiatorē spectabant, tam placidè obdormiret, ac summis licet angoribus & cruciatibus circumcingeretur, tamen suo iure testaretur: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Hæc virga Moyfi ad vires Pharaonis, immò principis huius mundi confringendas: hic Davidis gladius ad immanem ac superbum hostem Goliath superandum: hoc illud nobile trophæum erectum, quoniam in ligno Crucis aduersus nefarios dæmones triūphauit, eoque velut captiuos duxit. Qua de re Paulus non tacuit, cū affirmat Christum deesse quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulisse de medio, & illud cruci affixisse, ac simul expoliassè principatus & potestates. Amplectar sanè pro singulari dispositione diuini numinis, hanc ipsam crucem nec in mare demersam, nec flammis absumptam, sed ab impijs etiam conseruatam tamdiu superuisse, nullisq; satanicis vel humanis viribus atque insidijs prorsus aboleri potuisse: ad eam verò ex terra eruendam diuino monitu missam venisse piam Imperatricem Helenam, sicuti diximus, quæ latentem illum thesaurum ex densis tenebris in lucem proferret, cū penes Christianum Cæsarem Romanum esset imperium, vt sanctæ Crucis honos debitus tranquillè & commodè à fidelibus vbique gentium

Heb. 12.

Epist. 120.

Ephes. 5.

Cant. 1.

Psal. 4.

Exod. 4. & 7.

1. Reg. 17.

Coloff. 2.

exhiberetur. Iure mihi colēda Crux est, quam summus Deus illustrib. ac certis ornauit miraculis, quæ nemo sine aperta impudentia inficiari queat, cum Christianus orbis magno suo cōmodo illa viderit, crediderit, cōprobarit, sicut & fide digni rerum scriptores, vti ^a Prosper, ^b Paulus Diaconus & ^c Beda memoriæ tradiderunt. Præterea totius Ecclesiæ praxis, quæ magnum apud me pondus habere debet, clarissimè docet, Crucem hanc augustissimā, postquam illa Hierosolymis inuenta, & fidelibus patefacta fuit, singulari fidelium pietate ac reuerentia non solum exceptam, sed etiam assēruatam, & sedulo custoditam fuisse, ad quam videndam ex remotissimis locis magni & parui confluxerint, sicut & Hieronymus multis in locis offendit. Tum Cyrillus Hierosolymorum episcopus notat, ex ligno crucis Hierosolymis inuentæ totum ferè orbem fuisse repletum, cuius particulas non pauci expetuerint, auroq; & argento incluserint, & in peculiari habuerint veneratione. Idem à Chrysofomo confirmatur, cum scribit in hunc modum: Ipsum hoc lignū, in quo positum sanctum corpus Domini & crucifixum, quarēnam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habet, hoc auro includant tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent, hinc valde honestati, & magnifici, & muniti & protecti, licet condemnationis fuerit lignum?] Cur ergo sanctam Crucem non venerer, quemadmodum vetustissimi & probatissimi in Ecclesia homines studiosè sunt venerati, vt idcirco fideles Crucis religiosi à Tertulliano dicantur, qui Crucis quoq; virtutes crebrò in medium adducit, vt Iustinum philosophum simul & martyrem æmulari videatur. Chrysofomi quidem ætate, & ipso autore cruces argenteæ cum ardentibus facibus in supplicatione publica præferbantur, sicut ^a Socrates & ^b Sozomenus palàm attestatur. Meminit idem ^c Chrysofomus vñtatum fuisse, vt figura Crucis honoris & religionis ergò in vrbibus, domibus, cubiculis, vasis, solitudine, montibus alijsq; in locis depingeretur. Nec desunt canones & testimonia veterum ^d Synodorū, quæ Crucis vene-

ratio

^a Lib. de promission. diuin.

^b In vita Leonis.

^c Lib. 3. c. 2. hist. Angl.

In epist. ad Desiderium Paulinum; Carechesi. 10. & 13.

Lib. quòd Christus fit Deus.

In apologetico, & cont. Iudæos. & lib. 3 contra Marcionem.

^a Lib. 6. hist. c. 8.

^b Lib. 8. hist. c. 8.

^c Lib. superius dicto. d Sexta Syn. can. 73.

rationem nobis commendent & approbent: Immò & summi laudatissimiq; Cæsares non solum exemplis, sed etiam legibus editis crucem Dominicā honorarunt, præsertim Constantinus, Theodosius, Arcadius, & Tiberius. Primus quidem horum Constantinus celebrem Romę inscriptionem publicè proposuit: Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, civitatem vestrā tyrannidis iugo liberaui, & S.P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini & splendori restitui.] sicut Eusebius refert. Extat etiamnum lex Theodosij in Codice scripta, qua sancitur, vt nemo vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positus Crucem sanctam insculpat aut pingat. Idemq; Theodosius Crucis armatura fretus, vt scribit Nicephorus, contra Eugeniū intrepidus progrediebatur. Verum ante Christianos etiam Cæsares mos obtinebat, qui semper in Ecclesia perstitit, vt se fideles signo crucis consignarent, quæadmodum Christi discipulus^a Martialis, ^b Tertullianus & Basilij Magni Diaconus^c Ephrēm memorię prodiderunt. Nam & ^d Basilius author est, Apostolicam hanc inter alias esse traditionem, vt se quisque signo crucis religiose consignet. Vnius tantum Ephrēm verba repetemus. Nos Christiani, inquit, à Gentilibus & Iudæis declinemus, postesque nostros pretiosa cruce coronemus, dicentes cum Apostolo: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.* Pingamus in ianuis ac in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atq; in membris omnibus viuificum signum. Armemur in superabili armatura Christianorum. Ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, profligatrix hæresum, monachorū adminiculum, firmamentum fidei, magna salutis custodia & gloria perpetua Orthodoxorum in æternum.] Plura id genus testimonia in laudem Crucis cõgerere, ne prolixi videamur, supersedemus, locum Augustini vnum atq; alterum citasse contenti. Quid est, inquit, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi Crux Christi: quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo chrismate in-

Sept. & O.
Synod.

Lib. 1. de vita
Constantin.
mag. cap. 22.
Lege 1. Ne
mini licere

Lib. 7. c. 37.
& 46.

a Epist. 8. ad
Burdegalen.
cap. 8.

b Lib. de corona
militis.
c Lib. de vera
pœnitent.
d Lib. de Spiritu
san. cap.
27.

Galat. 6.

Tra&. 118.
in Ioannem.

Serm. 19. de
Sanctis.

unguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.] Ac rursus alio loco, velut crucis prærogatiuas recensens, hæc tradidit: Crucifixus noster à morte surrexit, & cœlos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, crucem reliquit ad sanitatem. Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum est inimicis. Huius Crucis mysterio rudes catechizantur eodem mysterio Fons regenerationis consecratur: eiusdem Crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt.]

Lib. 4. de orthodoxa fide.
capite 12.

Quapropter sanctæ Crucis honori me semper deditum ac deuotū ostendam, certoq; mihi persuasum habebō, signum hoc non naturale, sed diuinitus institutum, & à Christo peculiariter electum ac sanctificatum, nobis multū vtile esse atque salutare. Quin & cum Ioanne Damasceno fatebor, eandem pretiosam Christi Crucē inter omnes eius actiones, & miraculosas operationes esse maximam, verèque diuinam & summè admirandam, quæ propterea laudabiliter & rectè culta & honorata sit à nostris maioribus, totaq; antiquitate. Ceterum inter alias Crucis virtutes, quas omnes per censere non attinet, tres eius admirandos effectus mihi sæpè ob oculos ponam, quòd nempe armaturam nobis contra dæmones præstet, quòd morbos & aduersa multa propellat, quòd & modum aliquem habeat sanctificandi ea, quibus imprimi vel adiungi solet. Consentiant sanè Patres, magnam in Cruce vim esse ad dæmonem arcendum & vincendum. Vt enim præclari Ephræm verbis utar: Hoc signo cōspecto aduersariæ potestates conterritæ trementesq; recedunt.] Lactantius ita loquitur: Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum, de corporibus quæ possederint fugiant. Nam sicut ipse cū inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumq; mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponerat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt.] Et ante Lactantiū ² Origenes, Crucis virtutem ex-

Serm. de sancta & viuifica
cruce.

Lib. 4. de vera sapientia
cap. 27.

Homel. 8. in diuersos locos. & in 6 cap. epist. ad Roman.

tulit,

tulit, inter alia scribens, dæmones, cum nos hoc signo armatos viderint, vinci & opprimi, ita vt calcemus super aspidem & basiliscum in Christo IESV: hoc enim signum esse Tau à Propheta Ezechiele prædictū, & per Moysen præfiguratum, qui cum erectas habebat manus, vicerit Amalec. Origene veltior est adhuc Ignatius, à quo disertè scriptum habemus: Crucis signum trophæum est contra principis mundi virtutem: quod videns expauescit, & audiens timet.] Vnde & Antonius magnus hoc signo frequenter est vsus, quod inexpugnabilem vocabat murum ac trophæum, in quo Saluator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui, quemadmodum de illo refert Athanasius. Deinde nemo piorum dubitat, sed & rerum vsu compertum est, morbos pelli, & diuersa mala profligari hoc adhibito signo, præsertim cum simul diuinum imploratur auxilium per Christum Dominum nostrum, qui suis promisit fidelibus: *Serpentes tollent: super ægros manus imponent, & benè habebunt, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Proinde Chrysostomus in Cruce laudanda frequēs, luculenterque de recundis explorata disserens monet: Hoc signum & priscis & nostris tēporibus clausas ianuas referauit, hoc venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curauit. Etenim si portas inferni perfregit, si cœlorum ostia recludit, si paradisi renouauit ingressum, si diaboli neruos recidit: quid mirum, si pestifera venena, atroces bestias, aliaq; huiusmodi superauit? Hoc igitur in mente tua insculpe, & animarum amplectere salutem.] Postremò licet tanta sanctificandi virtus gratia, quanta in Sacramentis, nō insit Crucis signo, est tamen aliquis in ipso modus sanctificandi, ita vt creatura per verbum Dei & hoc signum, sicut Paulum Chrysostomus interpretatur, suo modo sanctificetur. Quo loco Apostolus per verbum Dei Christum, à quo cuncti sanctificantur, intelligit, & qui cum fide inuocatus, creaturam omnem, cuius vsus per se naturaq; sua bonus est, à Dæmonum potestate vindicat, suisque fidelibus reddit salutarem, ne alioqui princeps

Psalm. 90.

Ezech. 9.

Exod. 17.

Epist. ad Philippen.

In vita S. Anton.

Marci 16.

Homel. 55. in Matth.

1. Timo. 4. & ibidē Chrysostomus hom. 12.

Genes. 3.

Lib. 83. q̄st.
9. 79.

a Oratione.
1. in Iulian.
b Hæresi 30
c Lib. 3. hist.
tripart. ca 3.
d Lib 5. c. 2.

a In Psal. 115.
b De Sanctis
Iuuentin. &
Maxim.
c In Vita S.
Theodori.
d Lib. 2. de
peccatorum
merit. & re-
mis. c. 26.

huius mundi sira in illos vtatur potestate, quam per Adæ pec-
catum in totum genus humanū accepit, iuxta illam Dei sen-
tentiam homini dictam: *Maledicta terra in opere tuo*. San-
ctificatur autem creatura maximè, cum signum crucis & Ec-
clesiæ fides per ministerium sacerdotum orantium, exorci-
zantium & benedictium adhibentur, Deo nempe per hoc
ipsum signum velut instrumentum, peculiarem virtutem lar-
gente fidelibus, & eo quidem amplius, quo maior illorum
accedit fides atq; deuotio. Quanquam nihil prohibet, quo
minus & mali virtutem crucis & fructum sentiant, sicut Au-
gustinus his verbis insinuat: Non mirum est quòd hæc signa
valent, cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam
cum vsurpantur ab extraneis, qui omninò suum nomen ad
istam militiam non dederunt, propter honorem tamen ex-
cellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt
his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis
modis, cum id iustum atq; vtile iudicat. Nam nullo modo
vllus spiritus audet hæc signa contemnere: contremiscunt
hæc vbicunque illa prospexerint. Quod autem signum hoc
in illis etiam qui Christiani nō sunt, valeat, suumq; effectum
aliquando habeat, clarissimè cernimus in Iuliano Imperato-
re, qui post Christi fidem abnegatam, vnde sc̄dum Apostatæ
nomen promeruit, aduersus terrores atq; præstigias Dæmo-
num, tanquam præsentis vsus est remedio, vt Crucis in fron-
te formaret signaculū, ac eo ipso dæmones profligauit. Qua
de re graues testantur autores, vt ^a Gregorius Nazianzenus,
^b Epiphanius, ^c Theodoretus & ^d Sozomenus. Cæterum,
ne quis miretur, sanctitatem quandam, vt diximus, rebus per
Crucem Domini signatis accedere, Patrum consuetudo no-
tanda est, qui non obscure loquuntur, eos qui sacras tangunt
reliquias, aliquo modo sanctificari, quemadmodum ^a Basi-
lius, ^b Chrysostomus, & ^c Gregorius Nyssenus affirmant. Et
perspicuè tradit ^d Augustinus in hunc modū: Catechume-
nos secundum quendam modum suum per signum Christi
& orationem manus impositionis puto sanctificari: & quod

acci-

accipiunt, quantūuis non sit corpus Christi, sanctū est tamē.]

Quæ cum ita sint, vt reliqua prætermittam, etiam atq; etiam deplorandos putabo nouos Porphyrios, Iulianos, Libanios, aliosq; Christianorum rituum insanos illuso- res, qui pari cum Iudæis ac Ethnicis Ecclesiæ odio inuidiaque flagran- tes, & plus quàm gigantææ temeritati, superbæ sæuitiæq; in- dulgentes, cæleste illud redemptionis humanæ trophæum, signumq; viuificum & salutare ad eò contemnunt & exhor- rent, vt illud in vijs & compitis, sacrisq; locis videre, & iustam eius laudationem patienter audire, tum honorem illi clam palamq; tributum, ac illud frontibus impressum, ferre nullo modo possint. Quid? quòd multis planè nulla religio est, sed præclaræ fidei testimonio deputatur, crucē siue sculptam siue depictam sacrilegis manibus deiicere, immò & pedibus cõculcare, ac in ignem iniicere, vel sagittis transfigere, sicut cõpluribus in locis nostri Euangelici, proh pudor ac dolor, impunè factitarunt. Quæ verò in Ecclesia, veteri more, per Crucem benedicuntur aut perficiuntur, ea belli homines sci licet, sannis & probris insectantur, quin etiam hypocrisi & su perstitioni palam adscribunt, ac damnāt impietatis, & quod est execrabilius, ad magiam & rem dæmoniacam referre nō erubescunt; demùm Patres his de rebus Catholicè sentien- tes, vt peruersæ ac deprauatæ religionis patronos siue testes audacter explodunt. Huc enim Satanæ impiã synagoga con- tendit, vt Crux Christi euacuetur, sed & cultus omnis exter- nus, qui gratam beneficiorum Christi redemptoris memo- riam nobis commendat & inculcat, paulatim aboleatur, & pro recepto Christianismo succedat ac vigeat nouus aut sa- tanismus aut atheismus. Quid autem est, si hoc non est, de- plorandos Crucis Christi inimicos agere? Quid est, nisi san- guinolentos Iudæos æmulari, & rursus sibi crucifigere Fi- lium Dei? Quid est demum, nisi sub Iuliano quem diximus, Apostata militare, eumq; improbissimum ducem sequi? qui vt à cultu Crucis Christianos homines abduceret, his verbis illos petulanter incessit: O miseros mortales, qui crucis li-

Philipp. 3.

Heb. 6.

Lib. 6. cont.
Iulianum.

Num. 27.
Ioan. 3.

Lib. de incar-
nat. Dom. &
salutari eius
aduentu.

Homil. 3. de
S. Laurent.


Matth. 16.

gnum adoratis, imagines illius in fronte & ante domos pin-
gentes, quemadmodum Cyrillus Alexandrinus ab illo di-
ctum & scriptum fuisse prodit. Tam vetus & vsitatum pijs e-
rat quondam, Crucis imagines in fronte, & in Ecclesijs ob o-
culos habere: tantoq; furore, inuidia & odio ardebant im-
pij, vt Crux verum iter ad gloriam indicans, ex Fidelium o-
culis & animis penitus tolleretur. Tantum verò abest, vt si-
gnum Crucis aliquid sit Magicum, vel Magicæ ac Diabolicæ
artis adiunctum quidquam habeat, sicut nouus fingit Sata-
nismus, vt magnam etiam vim aduersus magiam præstet, ac
velut serpens æneus ille, mirifica operetur. Nam & Athana-
sius ante mille ducentos annos his verbis nos commonefecit:
Signo Crucis omnia magica compefcuntur, veneficia in-
efficacia sunt: Crucis metu dæmones fugiunt, vaticinia con-
quiescunt, iacent magiæ & veneficia.] Quapropter maiore
in modum curabo ipse, & hortabor alios, vt nefandis huius-
modi quos diximus, Crucis Christi inimicis locus nullus tri-
buatur, sed vt cum vetustis equè ac presentibus Orthodoxis,
communis Ecclesiæ sensus atq; consensus retineatur. Ita e-
nim fiet, vt crucem Domini sine vlllo pudore digitis frequen-
ter efformem, mihi que frontem consignem, & hac spiritali
armatura munitus, amplissimum Redemptoris beneficium,
quod in cruce peractum est, memoria grata complectar, vt q;
totius meæ salutis anchoram in Dominica cruce defigā. Nec
obliuiscar, me cum primùm in Ecclesia baptizarer, signacu-
lum hoc in fronte impressum, & per omnem vitam conser-
uandum: suscepisse: vt hinc quoq; monear, vocationē meam
cum cruce ferenda coniunctam, patientia voluntaria, & iugi
fortitudine spiritus cum primis indigere. Vnde tradit Augu-
stinus: Crux Domini non tantum illa dicitur, quæ passionis
tempore ligni affixione construitur, sed illa quæ totius vitæ
curriculo cunctarum disciplinarū virtutibus coaptatur. De
qua mihi videtur Saluator dicere, *Qui vult post me venire, tol-
lat crucem suam, & sequatur me.*] Adiungit porrò, crucem nō
ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisq; propositum. Tota igitur,

tur, inquit, vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat, crux est atque martyrium.] Absit igitur, vt ego qui sub hoc vexillo Christi milito, & in crucifixo Domino cum Paulo gloriari semper debeo, homo sim animalis, blandaq; confecter ac suauia, veluti sub capite spinoso me membrum præbeam delicatum. Crucem ego, in qua sublimis philosophia nostra versatur, non tantum colam ac diligam, sed in illa ipsa perseuerare contendam, vt quidquid molestiæ ac iniuriæ irrogetur, id Christi amore, & ob virtutis cultum piè ac fortiter feram atq; vincam. Christiana est confessio: CHRISTO confixus sum cruci.

Galat. 6.
1. Cor. 3.

Galat. 2.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Christus, vt apertos vera fidei oculos accipiam, quibus ipsum, veluti serpentem in deserto nostri causa exaltatum, & credentibus omnibus salutarem sapè intuear, quia scriptum est, Respice in faciem Christi tui: cumq; meorum vulnerum in vita & morte medicum sentiam efficacem.

Num. 21.

Psal. 83.

ORABO etiam vt Dominica Crucis virtus & gloria vbiq; gentium innotescat, & à fidelibus ac infidelibus populis magis magisq; celebretur, multisq; miseris & afflictis præsentem consolationem & opem impetuet.

DIVINAM quoque gratiam pro illis implorabo, qui se hodie Crucis Christi inimicos præbent, nec solum de illa perperâ sentiunt, loquuntur & scribunt, verum etiã honorem & cultum ei debitum impediunt, contemnunt, & vbi possunt, impiè abrogant.

PETAM & Catholicis diuinitus concedi, vt more maiorum sanctam Crucem in mente, lingua & signo vtiliter colant, simulq; suam ipsi crucem patienter & alacriter ferant, vt in via crucis Do-

Galat. 6. 8.

minum crucifixum & que sectentur, neq. tantum Crucis cultores, sed etiam amatores esse possint, sicut ille fuit qui dixit: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESU Christi. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt eum vitij & concupiscentijs.



IN DIE FESTO
TRANSLATIONIS DIVI
NICOLAI EPISCOPI MYRÆ-
ENSIS, IN MULTIS EC-
clesijs Patroni.

Sequentis Euangely Argumentum.

EVANGELIVM parabolam continet, in qua vineæ Dominus cum colono suo consultat de ficulnea præscindenda, quòd hæc vno atq; altero anno inutilis maneret ac infructuosa, & expectatum fructum non proferret. Parcitur tamen huic ficulneæ, & pœna illi constituta prorogatur ob coloni intercessionem, qui novū illi studium pollicetur & laborē ad fructum in illa excitandum. Quia parabola sicut proximè antea, ita nunc iterum minatur Christus interitum Iudaicæ synagogæ, eò quòd sit velut arbor infrugifera, & exitio proxima, nisi fructum pœnitentiæ tamdiu expectatum adferat, & bonorum precibus adiuvetur, vt à iusto Deo non statim funditùs excidatur. Nec est huic dissimile quod alibi legimus in Euangelio, Dominum in itinere ficum obuiam habuisse, ac ei maledixisse, quando quidem folia duntaxat, non fructum in illa quæsitū exhiberet, & idcirco ei dicitur: Nunquam ex

Matth. 21.

te fru.

te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est contu-
 nud ficulnea. Tantum demum est periculum non modo
 Iudæis sed etiam Christianis, si in Ecclesia otiosè tempus
 transigant, veræq; pietatis fructu sint vacui, vt concessa i-
 p̄s Deibeni- gnitate, beneq; agendi opportunitate abu-
 tantur. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei au-
 tem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab
 eo; vt Christus ipse pronuntiat. Alicubi hoc die repetunt
 Euangelium, quod ex eodem Luca iam antè in B. Nico-
 lai festo tractatum est: Sint lumbi vestri præcincti. Nos
 verò commodius fore putauimus, vt præsentem parabo-
 lam hic proponeremus, simulq; ad Sanctos Confessores
 generatim applicaremus.

Matth. 25.



E V A N G E L I V M

Lucæ XIII.

DICEBAT (Dominus) & hanc similitu-
 dinem: Arborem fici habebat quidam plan-
 tatam in vinea sua, et venit quærens fructum
 in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cul-
 torem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo
 venio quærens fructum in ficulnea hac: & non inuenio. Suc-
 cide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille respon-
 dens dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsq; dum
 fodiam circa illam, & mittam stercora: & si quidem fe-
 cerit fructum, (benè erit, vel non excidetur:) sin-
 autem, in futurum succi-
 des eam.



NOTAE



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit.



T sapè aliàs, ita nunc etiam Dominus Iudæis, eorumq; synagogæ interminatur, vt saltem futuræ punitionis metu securè peccantes terreat, & ad suum officium reuocet in Dei vinea otiosos. Vnde statim

Lucæ 13."

Matth. 21.

Ierem. 14.
Psal. 80.
Isai. 1.

Matth. 8.
& 23.

Isai. 1.

Psal. 33.
1. Pet. 3.
Deuter. 4.
Psal. 147.

ante proposita verba semel ac iterum illis ipsis dixit grauiter: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Alibi verò in hunc modum: *Dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hoc igitur loco eodem confert ficui, quæ singulari Dei gratia in vinea nobili plantata est, & suis vestitur ac ornatur folijs, tum suam viriditatem retinet, sed quæ legitimum fructum Domino suo expectanti nec ante legem, nec sub lege Moyfi reddidit, ideoq; ob sterilitatē suam promeretur deleri funditus & excidi. Hoc est quod per Prophetas prædixerat Deus: *Gladio & fame, & peste consumā eos. Fiat habitatio eius deserta. Derelinquetur filia Sion vt umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario,* quodq; Christus ipse tam ingrato & rebeli populo comminatur: *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Tanti refert & malos deuitare fructus, & bonos facere, sicut per Isaiā clarissimè iubet Deus: *Quiescite agere perversè, & discite benè facere.* Tum per Prophetam regium præcipit: *Diuerte à malo, & fac bonum,* sicut & Petrus Apostolus repetiuit. Plurima certè maximaq; beneficia in Iudæos, vt in nullos alios populos, contulerat Deus,

hoc

hoc vnum ab illis desiderans & expectans maximè, vt se gratos obedientesq; præstarèt, suamq; legem, quæ & mala prohibet, & bona præcipit, studiosè obseruarent, iustitiæ fructibus abundantes. Hinc extat illa Dei sententia: *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominū Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, custodiasq; mandata Domini?* Verùm ita se gessere Iudæi, vt quemadmodum de ipsis Moses iudicauit, gens essent absq; consilio & sine prudentia, remq; omnem præposterè instituerent, speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Putabant cæci fat fore, si se populum Dei peculiarem, & Abrahæ semen esse crederent, magnificisq; Dei promissis, ac alienis Patrum meritis niterentur; si ad sacras litteras prouocarent, & veram Dei cognitionem, veros Prophetas, verum cultum, vera Sacramenta præ gentibus omnibus retinerèt. Cæterùm Ioannes baptista eximius pœnitentiæ concionator, hanc vanam illorum fidem atque fiduciam verbis apertis retundit, eosq; hypocritas taxat sæpè Christus, quoniam ea quæ grauiora sunt Legis, iudicium, misericordiam & fidem relinquerent, labijs duntaxat sine corde Deum honorarent, ac temporaria diuinis præferrent. Nihil ergo mirum, horrendum illis prædici iudicium, vt velut steriles arbores radicitus extirpentur, qui post acceptam Dei diuinæq; legis notitiam, singularem pietatem, verosq; fructus bonorum operum in postremis haberent. Hinc ego metum diuinæ iustitiæ concipiam, & cum Apostolo Paulo sic ratiocinabor: *Si Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei: si permanseris in bonitate; alioqui & tu excidèris.* Hinc præterea commonebor illam Dei esse naturam, quòd non fictè & corde dimidiato, sed sincerè, solidè, & omni ex parte colit à suis credentibus, quòdq; sit vindex iniquitatum, fortisque zelotes. *Nemo enim potest duobus Dominis seruire.* Adeò suū ille cultū ex toto corde, ex tota anima, & ex viribus omnibus vult exhiberi, neq; tātum

Deuter. 10.

Deuter. 32.

2. Tim. 3.

Matth. 3.

Luc. 3.

Matth. 15.
& 23.

Rom. 11.

1 Theff. 4.

Exod. 20.

Matth. 6.

Deuter. 6.

Marc. 12.

Luc. 10.

modo

Rom. 2.
Iacob. 1.

Matth. 7.

Pfal. 13. 33.
& 36.

1. Pet. 3.

Matth. 20.
& 25.
Prou. 28.

Sapient. 3.

Matth. 20.

In Psal. 42.
Matth. 6.

Exod. cap.
Matth. 16.

modo legis auditores, sed & verbi factores exigit, quemadmodum Apostoli docuerunt. *Non enim omnis qui dicit mihi Domine, Domine, vt Christus ipse loquitur, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Rursus Dei velut prouidi ac vigilantis patris familiâs putabo esse proprium, vt quotidie videat, & intentè obseruet, quomodo se habeant eius domestici, fructus ne bonos an malos proferant in horto Ecclesiæ suæ. *Etenim Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirēs Deum. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorū, vultus autē Domini super facientes mala;* sicuti Psalmographus canit, & Petrus nobis aliqua ex parte proponit. Nec videt solū Deus ea quæ benè malèq; ab omnibus & singulis hic peraguntur, verum etiam otiosos in vinea sua operarios, & fucos notat ac arguit, perinde ac si dicat: *Quid hic statis tota die otiosi? Inuitate fructuum eijcite in tenebras exteriores;* Sicut & Salomon asserit: *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui autem seclatur oīiū, replebitur egestate. Bonorum operum gloriosus est fructus.* Otiosus verò frustra terram occupat, & quasi grauat, indignus etiam terra quam calcatur, & pane quo vescitur, & quiete atque mercede promissa, quæ operarijs in vinea laborantibus excolenda est. Vbi meminero eius quod notauit & Augustinus, Iustitiam hominis in hac vita esse ieiunium, orationem & elemosynam; & certum est prorsus, Christum de his tribus bonorum operum generibus quæ ad Christianam iustitiam spectant, ordine differere, & singulis sincerè ieiunantibus orantibus ac beneficis præmium in cælo à Patre reddendum polliceri. Unde ait: *Pater, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ac de se ipso luculenter affirmat: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Quocirca valde mihi displicebo, quod iustam Domini mei tandem expectantis fallam expectationem, & diuturna illius benignitate, quæ me ad pœnitentiam prouocat, focios & iners abutar. *Expectat enim Dominus vt iustificetur v. str.*

vt ab

vt ab Isaia dictum est. Dolebo insuper, me in dictis iustitiæ officijs tam modicè ac malè versatū esse, vt mercedem iustitiæ-que coronā, vt Paulus appellat, mihi polliceri verear eo tempore, quo iudex omnium scrutabitur Ierusalem in lucernis, sicut Sophonias loquitur, & rationem omnium quæ bene ac malè acta sunt, repetet ab vnoquoque. *Cuncta enim quasi-unt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum sit*, inquit Ecclesiastes. Eoque maiorem posthac operam dabo, vt amotis meæ salutis impedimentis, vocationem meam benefactis commendem, fructibusq; spiritus quos nūmerat Paulus, exornem. Vt verò in vinea Domini rectiùs fructificem, nec seruus inutilis, aut arbor sterilis maneā, Leonis Magni monita sequar, qui hoc modo sapientissimè scripsit: *Qui experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quò dicitur: Mirabilis Deus in sanctis suis*, sincero examine cordis sui interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbix, qua beneuolentia obluetetur inuidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis: an pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas obliuisci iniurias, quam imaginem & similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. Ac ne in multis laboret sollicita discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem in secreto suæ mentis inquirat.] Vtinam verò tam ego sollicitus essem in hisce iustitiæ fructibus comparandis, & in diuinæ inhabitationis experimentis persentiendis, quam Christus ipse iustitiæ ac salutis meæ semper est cupidus, nihil desiderans magis, quam vt me seruum gratum habeat ac obsequentem, cui bonitatem gratiamque suam queat communicare. Vnde ab Apostolo mihi quoque dictum putabo: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Cor autem durum habebit malè in nouissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.*

Rom. 2.
Isa. 30.

2. Tim. 4.

Soph. 1.

Eccle. 12.

Galat. 5.

Serm. 8. de
epiphan.
Dom.
Psal. 67.

Matth. 5.

Rom. 2.
Eccle. 3.

*Domine, dimitte illam (ficulneam) & hoc anno,
vsque dum fodiam circa illam & mittam
stercora.*

MERITO' Christus Iudeis irascitur & cōminatur, quorum peruicaciam Euangelico verbo, ac tot stupendis miraculis vincere non poterat, vt ad mentem illi saniozem redirent, seq; frugiferas præberent arbores. De horum punitione cum cultore vineæ seu colono tractat, sua velut arcana reuelans, & cum eo conferens consilia. Hac verò imagine nobis indicatur, quanto in honore Deus habeat Sanctos suos, in quibus gloriosus & mirabilis esse gaudet, & quos à nobis etiam honorificè tractari postulat, cum electa & peculiaris sint organa Spiritus sancti, quos in cœlo etiam statuit maximè honorare. Ex hisce Sanctis erat magnus Credentium pater Abraham, cui suum quoque propositum Deus patefecit, cum in animo haberet Sodomam & Gomorrhiam impurissimos homines per Angelos tres inuisere, vnàque cum sua tota regione funditus perdere. Hinc illa verba singularem Dei erga illum fiduciam ac amorem spirantia: *Num celare potero Abraham que gesturus sum?* quandoquidem & Iacobus Apostolus hunc Abraham Dei amicum appellat. Talis amicus erat & Moyses, ad quem loquebatur Deus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, vt in Exodo legimus, ideoque illi grande peccatum populi idola colentis reuelauit, ac præterea dixit: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, velut ex Moyse pendèret condonatio vel punitio grauissimi reatus, quo se populus totus per idololatriam obstrinxerat. Tum Samueli prophætæ à Deo est significatum de Saul, regis peccato ac pœna peccati, quam is cōmeritus fuerat, nimirum vt propter suam inobedientiam regno priuaretur, & melior eo Dauid ad imperiū assumere-
tur. Elisæus propheta licet longissimè abesset, sciuit tamen occultam serui sui Giezi fraudulentiā, nec eum latuit, quidquid Syri hostes, ac eorum rex de bello contra Israëlitas vr-

gendo

Genes. 18.

Eod. cap.

Iac. 2.

Exod. 33.

Exod. 32.

1. Reg. 15.

& 16.

4. Reg. 5.

A&or. 5.

gendo inter se consultarent. Occultum erat perfidiæ crimē,
quod Ananias & Sapphyra tacitè patrārant. Sed Petrus Apo-
stolus diuino illustratus spiritu, mēdaciū illis exprobrauit,
adeoq; mendaces repentina morte multauit. Adeò verum
est, quod Amos propheta perspicuè pronuntiauit: *Non faciet*
Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos
suos prophetas. Mirabor igitur multorū insipientiam, qui San-
ctos, velut selectissimas Dei creaturas, & familiares amicos
nō maioris faciunt, sed de illis indignè sentiunt ac loquūtur,
quinetiam sē illis quodāmodò audent exæquare, quos tamē
summus Deus magnis in rebus de suis arcanis libenter ad-
monet, ac prophetico spiritu frequenter illustrat, vt rerum
non modò præsentium, sed etiam futurarum sint conscij at-
que prænuntij. Ex quibus haud dubiè fuit regius ille Prophe-
ta, vir secundū cor Dei, qui suo iure dicere poterat: *Super*
senes intellexi. Incerta & occulta sapientia tua manifesta sunt mihi.
Habet hīc quoque locum illa sententia: *Melior est vnus ti-*
mens Deum, quam mille filij impij.

Verū nobis noui hagiomachi obstrepunt, qui fatentur
quidem, Sanctis adhuc in carne viuentibus congruere quæ
diximus, seque nō negare, quin quidam pietate insignes cer-
tas de rebus abditis & diuinis habeant à Deo reuelationes,
quas etiam sibi contigisse nō semel scribit Cyprianus, quasq;
in Gregorio Thaumaturgo Basilius Magnus agnoscit. Quid
verò isthæc inquit, ad Sanctos cum Christo regnātes, vel in
cœlo triumphantes? Respondeo, beatas in cœlo animas cog-
nitione & scientia non cedere, sed longè præstare mortali-
bus quamlibet eruditis ac sapientibus, longèque plura & ex-
cellentiora quàm in exilio peregrinantes, in cœlesti patria
comprehendere: tametsi quo pacto & quando id fiat, huma-
næ mentis captum omnem excedit. Manet interim hoc soli
Deo proprium, vt omnes omnium cordium cogitationes ip-
se naturaliter & virtute propria intelligat, sicut in cœlo San-
cti intelligere non possunt, cum egeant Dei reuelantis gratia
singulari. Atq; hoc est quod Augustinus non obscure tradit,

Amos 3.

Psal. 118.
Psal. 50.
Eccl. 16.Lib 3 epist.
14. & lib. 4.
ep. 4. 5. & 9.Lib. de cura
p mortuis
c. 15.

Lib. 12. Mo-
ralium c. 13.

Lib. de Tri-
nitate.

Luc. 15.

Daniel. 7.

2. Macchab.
15.

A& 13.

Matth. 18.

Genes. 19.
4. Reg. 19.

mortuos non solum præterita & præsentia, sed etiam futura spiritu Dei reuelante cognoscere. Et Gregorius Magnus ita scribit: Quæ animæ intus claritatem omnipotentis Dei cernunt, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.] Monet igitur & Basilius magnus virgines, vt Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his Patrum sanctos spiritus reuerentur: nullus enim horum est, inquit, qui non vbique omnia videat.] Sed à Scripturis non discedamus, quæ hac de re satis exemplorum suppeditant. Sciunt certè Angeli eos, qui super terram peccatorum agunt pœnitentiam, & propter hanc cognitionem gaudium concipiunt singulare, & quidem super vno peccatore pœnitentiæ agente. Sciuit Gabriel Angelus, quomodo & quo fine suum corpus affligeret Daniel, quòd q̄; vir esset ille desideriorum, quas etiam ad Deum preces funderet, & quàm fideliter de bono Ecclesiæ publico sollicitus esset. Sciuit Ieremias, licet iam pridem mortuus ac sepultus, Israëlitas in magnis versari periculis, qui cum suo duce Iuda Maccabæo seipso agrè defenderent, ac de vincendis hostibus anxie cogitarent. Sciuit Angelus de Petro coniecto in carcerem, quem idcirco inuisit ac liberum eduxit, vt Herodiano gladio non feriretur. Demùm quid ignorarent Angeli quæso, qui vident faciem Patris, ac rebus humanis etiam paruulorum præsto sunt, etiamsi à nobis minimè videantur, & sæpè vindictam contra impios, sicut Sodomitas vel Assyrios, expetunt vel exercent? Cæcutiunt igitur prorsus, ac se vanissimos diuinatores ostendunt, qui se tam acutos & perspicaces esse putant, vt cum animalium & elementorum, rerumq̄; sensibilibum quæ sunt ante pedes, naturas ignorent, sublimes etiam cœlos audeant penetrare, & de Sanctis illic præsentibus, Deumq̄; contemplantibus, & in illo cernentibus omnia, iudicium sibi sumant & arrogant.

CAETERVM vt ad Euangelium redeam, magnū certè sui erga Sanctos amoris indicium prodit Dominus, qui seruo vel colono præsentem est adeò familiaris, vt suam de vinea præscindenda cogitationem siue secretum illi aperiat atque

commit-

committat. Car verò istuc facit? vt eundem nempe seruum ad precandum exciter, ac habeat intercessorem, quiq; iuis precibus meritum siculheæ excidium vel auerrat, vel ad tempus quidem suspendat. Intercedentis autem illa vox est: *Domine, & mitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiam circa illam, & mittam stercore.* Et res ipsa docuit, excidium Hierosolymitanis, alijsq; Iudæis post Christum in cœlos assumptum annis pluribus quam quadraginta fuisse dilatatum, proculdubio hæc diuinæ vindictæ prorogationem pijs multis per suas preces impetrantibus, inter quos præcipui fuerunt Stephanus, Iacobus Paulus, alijsq; discipuli Apostolorum. Ad eundem modum Patriarcham Abraham præmonuit Deus de Sodomitis puniendis, sicut & Moysem de castiganda communis populi idololatria fecit certiore, tacitè illos ad orandum inuitans. Nam de Abraham expresse scriptum est: *Cum subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ: & liberauit Loth de subuersione vrbum, in quibus habitauerat.* Vbi præterea de Loth viro iusto additur, Dominum preces eius suscepisse, vt non subuerteret vrbem Segor, pro qua ille fuerat deprecatus. Cùm verò suas fudisset preces Moyses, vt misericordiam diuinam populo qui cladem extremam commuerat, impetraret, placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, sicut ipse Moyse disertè testatur, qui alibi quoque de se dicere non dubitat: *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos.* Ita quippe visum est sapientissimo Deo, vt multa quæ per se largiri posset immerentibus, ea non nisi per Sanctorum preces largiatur, quòd in illis apparere gaudeat potens, gloriosus, ac mirabilis. Proinde non solum Abraham, sed etiam Isaac, Iacob, Dauid, Ieremias, quanquam mortali vita defuncti essent, viuis tamen profuisse leguntur, & eorum nomina Prophetæ iuis precibus ad Deum factis, libenter interponunt, sicut videre licet Exodi 32. Baruch. 2. Danielis 3. An ego non mirer, Noë Patriarcham, virumq; iustum ac perfectum in generationibus suis, Deo tam charum fuisse, vt sacrificio eius post cataclysmum oblato maxime delectaretur,

Luc. 13.

Genes. 19.

Ibid.

Exod. 32.

Deuter. 5.

Genes. 26.

Exod. 32.

3 Reg. 11.

& 15.

Isai. 37.

4. Reg. 19.

2. Macch. 15.

Genes. 6.

Genes. 8.

Exod. 32.

1. Reg. 7.

Act. 27.

Genes. 20.

Iob. 42.

Isai. 37.

4. Reg. 19.

Homel. 2. in

Psalma. 50.

3. Reg. 18.

& propter illum vniuerso mundo parceret? Etenim *odoratus est Dominus odorem suauitatis*: cum ille super altare obtulisset holocausta, & ait ad eum: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines; nec ultra percutiam omnem animam viuētem, sicut feci*. Nec solum de Moyse, sed etiam de Samuele Scriptura loquitur, quod infinito populo ab offenso Deo veniam impetrarint. Tum Paulus Apostolus Angeli sibi loquentis probat testimonio, ducentos septuaginta sex homines à præsentis naufragio defensos, sibi que condonatos esse. His alijsq; pluribus exemplis, quæ longum sit recensere, Deus manifestè comprobatur, quàm sibi grata ac alijs utilis existat intercessio, quæ per Sanctos exercetur, & nō minus in veteri quàm in nouo Testamento fuit usitata. Quare cum Abimelec rex Geraræ uxorem Abraham per ignorantiam abstulisset, & idcirco Deum haberet iratum, orauit ille quidem, & suam excusauit ignorantiam, simulq; veniam obtinuit, sed hac addita conditione, vt Abraham precatorem adhiberet. *Orabit, inquit, pro te: quia propheta est, & viues*. Peccarunt & amici Iob, & reconciliari Deo non potuerunt, nisi facerent quod iussi erant hæcse verbis: *Ite ad seruum meum Iob, & offerite holocaustum pro vobis. Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia*. Quocirca non modò cum Ecclesia credam firmiter, sed etiam lætus gratias agam clementissimo Deo, sanctorū preces nobis adeò fuisse semper & nunc esse efficaces, vt per illas multa mala depelli, & ingentia quotidie beneficia conferri sentiamus. Experti sunt hoc Hierosolymitani, quondam ab hostibus plurimis & maximis vndique circumuallati, sed quibus insignis contigit victoria, Deo propter Dauid illorum miserente, atque ita testante: *Protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me & propter Dauid seruum meum*, sicut eundem locum Chrysostomus interpretatur. Actum erat de rege Salomone, postquam nefando idololatriæ cultu sese polluit, nisi eiusdem Dauidis, licet mortui patris virtus & intercessio illi opem attulisset, sicut illa Dei verba demonstrant: *Scindam regnum tuum, &*

dabo

dabo illud seruo tuo: veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum. Tum apud Isaiam in vniuersum hoc dicitur: *Sic faciã propter seruos meos, vt non disperdã totiũ.* Adeo verum est, quod licet Deus Sanctis non egeat, illos tamẽ intercessores velit accedere, cum suam gratiam immerentibus est sæpe communicaturus. *Quæstui ex eis virũ, ait, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam.* Vnde vt Saulum persecutorem cõuerteret, Stephanum adhibuit precatorem, sicut Ambrosius & Augustinus annotarunt. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua,* sicut Iacobus Apostolus tradit, & Eliã exemplo comprobatur. Quapropter licet ac decet me cum Hieronymo sic ratiocinari: Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti orant pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorias & triumphos:] Agnouit constantem hanc Ecclesiã fidem Synodus Nicena secunda, confirmavit & Cyprianus martyr, cum scriberet: Sanctos secretorum conscios diuinorum, propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorare laboribus. Et clarissimẽ dixit Augustinus: Orationibus sanctorum Martyrum propitiatur Deus peccatis populi sui. Vnde Basilij Magni Diaconus Ephrãm dicere non dubitat: Precamur beatissimi Martyres, qui pro Domino tormenta subiistis, atq; ideò familiariũ Domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris Dominum interpellare dignemini.] Quin & Basilius ipse de quadraginta Martyribus disserens, vt alibi meminimus, sic illos commendat auditoribus: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret: ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis.]

Quocirca nihil dubitabo prorsus, verissimum esse Theologorum axioma, quo dicitur, Prædestinationem electorum adiuuari Sanctorum precibus, & citra omnem Christi mediatoris iniuriam (qui se nempe pro omnibus redimendis Patri obtulit, solusq; mundi redemptor effici potuit) Sanctos vt lectissimos eius amicos, coli à nobis & inuocari posse cre-

Isai. 65.


Ezech. 22.

Iacobi 5.

Hieron. cõt.
Vigilant.Aktion 7.
Serm. de stella
& Magis.Lib. quæstio
nũ in Exod.
c. 108.
Serm. de laudib.
Martyr.

dam firmissimè. Sunt & enim illi adiutores, & post hanc vitam defensores nostri, vt Maximus loquitur, sunt patroni, quemadmodum à Prudentio & Augustino dicuntur, ad quorum intercessionem veteres, ij q; per celebres Theologi libenter cõfugerunt, & alij vt cõfugerent, authores fuerunt, sicut ab Orthodoxis persapè probatum est. Quorum Sanctorum ferias instituit & obseruari vult Ecclesia non solum ad illorum imitationem in nobis excitandam & augèdam, verum etiam vt meritis eorum consociemur, atque simul orationibus adiuuemur, vt ^a D. Augustinus disertè testatur, & ^b Bernardus quoque confirmat.

a Libro 20.
cõt. Faust. c.
21. & in Psal.
mum 88.
b In Vigilia
Petri & Pau.
li.



DE TRANSLATIONE DIVI NICOLAI.

RARAE & preclare sunt admodum huius Myrensis Episcopi virtutes, quas à multis fide dignis rerum scriptoribus explicatas habemus, & quæ in orbeto toto non iniuria prædicantur. Ecclesia quidem hunc admirabilem antistitem cunctis venerandum proponit, & solenni ritu coli vult sexto Decembris die, quo ille humana cum æternis, ac terram cum cœlo cõmutauit. Et quem obsecro Episcopum vel Archiepiscopum reperias in Lycia, Græcia, simulq; orientali & occidentali Ecclesia, qui amplioribus Dei muneribus fuerit cumulatus, & maiorem sibi auctoritatem apud diffitos etiam populos cõciliarit? Fuit enim Nicolao nostro sanctimonia quædam perpetua, quam ipse sanctus à sanctis ortus parentibus, in ipsa etiam infantia declarauit. Fulsit in eo incredibilis erga miseros & pauperes misericordia & beneficentia longè latèq; celebrata, immò etiam procul absentibus terramariq; cognita, & ab alienigenis, qui nunquam eum viderant, frequenter inuocata atq; comperta. Accedit miraculorum tanta virtus & copia, quæ passim per illum patrauit Deus, vt neq; numerus eorum percenseri, neque modus explicari satis possit. Nec solum in vita ille

Deo

Deo & hominibus, magnis & paruis valde charus fuit, verum etiam post mortem Altissimus mirabilem, beneficum, thau-
maturgum, siue miraculotum effectorem ac præpotentem
Nicolaum ostendit. Quare nihil mirum videri debet, hunc
antistitem multis nominibus suspiciendum, & in orbe toto
celebratum, quibusdam etiam Ecclesijs peculiariter com-
mendatum esse, vt eo velut singulari patrono piè glorientur,
quemadmodum fieri cernimus Friburgi apud Heluetios,
Halæ apud Tirolenses, & in alijs multis Germaniæ, Galliæ, A-
puliæ, & Lotharingiæ oppidis atq; templis. Ac meritò sanè hi
grata memoria recolunt, quæ summus Deus magnalia præ-
stitit, cum sacri corporis Reliquiæ, quæ apud Myreensēs prius
asseruabantur, tandem translata fuerunt Barium, seu ad ma-
ritimam Barionum urbem in Apulia Peucetia hucusq; cele-
brem ac potentem. Hinc igitur dies hodiernus à Translatio-
ne nomen ducit, & non sine religiosa quadam multorum
memoria celebratur. Fuit ea ipsa translatio sumptuosa dictis
Bariensibus, qui suos benè instructos misère nautas, nullisq;
pepercere impensis, vt per illos Myream proficiscentes, ex-
optato Reliquiarum thesauro, quem in Lycia dolebant pro-
pter Turcas negligi, potirentur. Iuuit autem Deus pios ho-
rum nauarum conatus, vt neq; Turcarum sæuitia, neq; My-
reorum incolarum obluetatione impedirentur, quò minus
id quod vehementer optabant, prosperum suæ piscationis
exitum consequerentur. Mirum quippe successum experti
sunt in sancti huius Nicolai corpore non solum inueniendo,
sed etiam auferendo, quod nauì impositum per mare vastum
in Italiam feliciter aduexerunt. Atq; vt maior fides veri cor-
poris inuenti & Barium allati constaret, multa & præclara
contigerunt miracula, quæ rumorem in populo celebrem
de hoc præsentì thesauro excitarunt atque confirmarunt. Et
enim ex huiusmodi Reliquijs salutare fluxit oleum, & suaui-
s admodum fragrantia prodijt, quæ multos maiorem in mo-
dum recrearunt. Effuderunt se Barienses, velut cœlestè mu-
nus à clementissimo Deo missum excepturi: vndiq; concur-

rerunt populi, sibiq; tota Italia gratulata est de nouo hoc, & diu expectato tandem aduentante hospite, qui suam in Apulia sedem deligeret ac teneret. Mirabantur omnes, breui tempore tam multa & ingentia edi miracula, & vix locus capiebat hominum frequentiam ad sacras Reliquias confluentium, maximè cum omne morborum genus in multis agrotis, & à terro dæmone obsessis repente curaretur, sanctique Nicolai memoria & inuocatio sanis & languidis tam efficax esset ac fluctuosa. Cæterùm ne quisquam de fide istorum ambigat, extat scriptum luculentum Ioannis Barenfis Archidiaconi, qui ante annos quingentos ab Archiëpiscopo suo Vrsone iussus, de huiusmodi translatione & aduentu Reliquiarum ex professo tractauit.

Vbi nullam ego fidem & authoritatem illis tribuam, qui Sanctorum Translationes, quod ad corpora & reliquias eorum sacras, adiunctaque miracula pertinet, pro sua sapientia, immo stultitia floccipendunt, adeoq; malignè despiciunt, & ad cultum referunt superstitiosum. Etenim hi partim Vigilantiani sunt, à D. Hieronymo iam olim refutati, quod Sanctorum corpora veneranda turpiter inficientur, partim cum damnatis Arianis irident Ecclesiã, ab Ambrosio reprehensi, quod Sanctos adeò impotentes fingãt, vt nec diabolus torquere, nec mortalium aliquem à malis liberare possint: partim eodem cum Iudæis ac Ethnicis imbuti spiritu malo, à Chrysostomo castigãtur, quod Sanctorum miracula ad illusiones & præstigias dæmoniicas transferre contendant. In illam enim miserandam ætatem incidimus, qua noui Sectarij velut gigantea impietate commoti, bellum Sanctis omnibus indixerunt, vt suum etiam os ponant in cælum, ac velut effrontes simul & dementes, in omnem veterem Ecclesiam sibi censoriã quasi virgulam arrogant. Neq; sat habent communem Ecclesiæ sensum & consensum deridere, nisi illud quoq; Christi Domini dictum & promissum labefactare conentur: *Amen, amen dico vobis, inquit, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quod sanè

verbum

Lib. contr.
Vigilant.

Serm. 91.

In Oratione
de S. Baby.

Psal. 72.

Ioan. 14.

verbum de Sanctorum miraculis etiam ^a Chrysoſtomus & ^b Auguſtinus interpretantur. Cur obſecro, ſi ſapimus, illorum corpora vel reliquias non in honore habeamus, qui uia Chriſti Eccleſiæq; membra fuerunt, & pro Dei gloria ueraq; iuſtitia ad mortem uſq; certarunt, ſtigmata etiam propter Chriſtum ſuis membris impreſſa gerentes, & nunc cœleſti fruenteſ gloria, in quibus uelut electis templis habitauit Spirituſ ſanctuſ, ſuaq; dona modis varijs palàm oſtendit, & ad multorum uilitatem mirifica eſt operatuſ, ut meritò in illis Deum laudemus, ac de illis ipſis lætè cantemus, *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus; nimis confortatuſ eſt principatuſ eorum. Custodit Dominuſ omnia oſſa eorum: unum ex hiſ non cont. retur.* Nouum certè aut triuiale uideri meritò non poteſt, Sanctorum transferri corpora, ac monumentiſ eorum qui diuinis claruerunt miraculiſ, ſingularem uenerationem à nobiſ impendi. Nam & ante Chriſtum natum Ieremiæ ſancti prophete ſepulcrum religione magna colebatur, & reſ ipſa docebat, Iudæoſ illuc confluentē adiuuari, ac poſtea fideleſ Chriſtiani cùm accederent, idem experti ſunt beneficium. Ita namq; ſcribit Epiphaniuſ, quemadmodum & de propheta ſancto Ezechiele narrat, complureſ ad eiſ monumentum precandi cauſa conueniſſe. De S. Ioanniſ baptiſtæ oſſibuſ in Alexandriam translatiſ dubitare non poteſt, qui Ruſſinum, Socratē ac Theodoretum legere uolet. Sub Iuliano Cæſare & infami apoſtata uixit martyr inſignis Babilonia, idemq; Antiochenuſ epiſcopuſ, cuiuſ uenerabile corpus non ſine magno Chriſtianorum gaudio, qui palàm ethnicuſ inſultabant, translatuſ ac deportatuſ fuit, ſicut Chryſoſtomuſ clariffimè docet. Scribit & Hieronymuſ, Conſtantium Cæſarem effeciſſe, ut ſanctæ reliquiæ D. Andreæ, Lucæ & Timothei Conſtantinopolim transferrentur, apud quos dæmoneſ poſtea rugiebant. Nec minùſ laudatur Cæſar Arcadiuſ, qui oſſa beati Samueliſ de Iudæa in Thraciam tranſtulit, occurrentibuſ Epiſcopiſ & Eccleſiarum omnium populis tanta lætitiâ, quaſi præſentē uiuentēq; prophetam cer-

^a Homel. 12.
in A & a.
^b Tra & 72.

Pſal. 138.
& 33.

In uita Iere.
miæ, & Eze-
chiel.

In hiſtor.
Eccleſ.

Oratione in
Babilam.

Epiſt. 27. ad
Euſtoch.

nerent

Contra Vi-
gilantium.

In hist. Ec-
clesiast.
Lib. 22. de ci-
uitat. Dei.
cap. 8.

Epist. 85. &
Serm. 91.

Epist. 53 ad
Riparium.

Serm. 43.

Cap. 73.

nerent atq; susciperent, sicut idem Hieronymus memoriae prodidit. Quid ego de Cæsare Theodosio Iuniore dicam? qui non sine multo honore & splendida pompa S. Iohannis Chrysostomi corpus Constantinopolim aduehendum inferendumq; curauit, ac se ad sacrum corpus conuertens, supplex pro parentibus communem fecit precationem, vti So crates & Nicephorus pluribus explicant. Augustinus non solùm audita, sed etiã visa narrat miracula, quæ per S. Stephani reliquias Deus effecit apud Africanos, toto penè orbe admirante, & ad illas cõfluente. Nec dissimilia sunt quæ apud Ambrosium & Gaudentium leguntur de sacris ossibus D. Geruasij, Prothasij & Nazarij, in magno precio habitis, Mediolani, Deo quidem illas Ambrosio reuelante, ac suam etiam in illis exercente virtutem. Quid pluribus? sanè si Orthodoxi sumus, cum Hieronymo apertè fatebimur: Nos idololatræ non sumus (sicut insani nempe hagiomachi nobis exprobrant,) non seruimus creaturæ potius quàm creatori. Honoramus reliquias Martyrum (quemadmodum aliorum quoque Sanctorum) vt eum, cuius sunt Sancti, adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruatorum redundet ad Dominum. Idem spiritus, eadē fides fluxit in Ambrosio, quo cum ingenuè profitebor, quicquid Ecclesiæ hostes impij blaterent: Honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro viuētis memoriam perennitate virtutis; honoro corpus quod mihi Dominū mecum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones: quod & afflixerunt supplicio, sed glorificant in sepulcro? Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in celo. Atq; vt semel finiam, liber de Ecclesiasticis dogmatibus inscriptus, quem alij Augustino, alij Fulgentio tribuunt, hunc nobis præscribit canonem, quem Ecclesia mordicus tenet Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda, & basi-

licas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijsimo & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus, creditur.]

QUOMODO autem D. Nicolaum Patronum venerabor, vt ex presentis Festo fructum colligam ac reportem? Primum quidem huc spectat, vt ab autoritate matris Ecclesie in his quae ad cultum Sanctorum spectant, nulla ex parte discedam, taliq; veritatis omnis columnae firmiter adhaerescam, nec me ab illa sinam auelli. Qui enim Ecclesiam non audit, neque Christum audit, & pro ethnico reputandus est. Deinde certo statuam, sicut in beatis Angelis, ita in Sanctis etiam alijs, Angelorum utique conciuibus, ac Dei domesticis, ordines varios reperiri, vt alij beatitudine ac potestate sint alijs superiores. *Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.* Beatior erit virgo & vidua in suo calibatu, quam in coniugio viuens. Magis coronabitur pauper, qui se propter Christum pauperem fecit, quam diues aut diuitias amans. Nec dubitabo, sanctos omnes, cuiuscunque sint generis, ingenti nos amore complecti, & pro nobis mortalibus Deum orare, sine quibus consummatam glorificationem adipisci non possunt, Apostolo teste. Praeterea quod ad certos huius vel illius regionis, ciuitatis aut Ecclesiae Patronos attinet, sic enim veteres quoque loquuntur: certo persuasum habebor, non casu vel superstitione quadam, sed pio rectoq; maiorum nostrorum consilio id multis abhinc seculis introductum, meritoq; obseruandum esse. Vnde laudabo Friburgenses, & alios exemplum illorum retinentes, qui inter ceteros Diuos Nicolaum sibi Patronum delegerunt, quando illorum Ecclesia Catholico ritu per Episcopum est consecrata, licet alios quoque inferioris ordinis Patronos accedere non sit inconueniens. Pius profecto populi & Episcopi fuit ille consensus, vt eiusmodi Patronus receptus maneret & coleretur apud posteros, immortalis Deo haud dubie haec religiosa vota comprobante, quando quidem falli non potest

1. Tim. 3.

Matth. 18.

Matth. 5.

1. Corin. 7.

Matth. 19.

Heb. 17.

nec

Matth. 18.

Matth. 25.
Luc. 19.

Luc. 19.

Luc. 13.

Jerem. 18.

Exod. 32.
Psalm. 105.

Num. 17.

nec fallere, qui perspicuè promisit: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Ad hæc bonorum omnium fonti Deo latus gratias agam, hanc ipsam Rempublicam, in qua D. Nicolaus Patronus tot annis colitur, inter varios grauesq; motus verè Catholicam vsq; perstitisse; ac mihi quoque gratulabor, sub tali Patrono vitam hinc degere, qui non sanè minimus fuit ex bonis & fidelibus seruis, ab hero summo laudatis, ac æterna memoria dignis. Siquidem talenta multa & magna, quæ sibi accepit à Deo concredita, fide optima dispensauit, multumq; lucrificet, quem & herus amplis præmijs egregiè cohonestauit, & in vtraque Ecclesia triumphante ac militante verè gloriosum effecit, vt ad illum, sicuti magnum Sacerdotem, supra multa constitutum, hæc quoque sententia pertineat: *Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.* Ac Patroni quidem huius officium in præsentī Euangelio delineari putabo, quoniam similis est planè cultori vineæ, qui cum ficulneam sterilem sibi commissam haberet, de illa conseruanda curam gessit peculiarem, & dolenter tulit, quòd illam ab hero mox præcidendam intelligeret. Igitur se quasi intercessorem obtulit, & ipsum patremfamilias ita precatus est: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsq; dum fodiam circa illã, & mittam stercorea.* Quid istuc est aliud quæso, quàm benigni ac seduli patroni sustinere personam, & fideliter collaborare, vt sterili vineæ nouo quodam studio consulatur, & excidium saltem ad tempus à iusto iudice prorogetur? Ad eundem modum fecit Ieremias Propheta, & idcirco velut Patronum agens, de suis Israëlitis locutus est: *Recordare Domine quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.* Nec dissimilis Moyse exitit, de quo regij Propheta sententia legitur: *Dixit (Deus) vt disperderet eos: si non Moyse elictus eius stisset in confectione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Huius Moyse si præclarus fuit imitator Phinees, quoniam zelo sancto fla-

grans

grans stetit, & placauit, & cessauit quassatio, quemadmodum idem Psalmographus canit. Ac præclarè quidem cum illis agitur, magnumq; beneficium assequuntur, quibus eius modi patronus Deo gratus obtigit, vt sub illius tutela sese ac suos tueantur. Contra verò meritò habent extimescere, qui certo & salutari Patrono destituuntur, vt neque per se, neq; per Patronum grauitèr offensum Deum placare, & meritas pœnas effugere possint. Nam & Deus ipse suos amicos Patroni officio quasi priuat, quando in hunc modum illis imperat, sicut Ieremiæ imperauit: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem & orationem, & non obsillas mihi, quia non exaudiam te.* Tum alibi sic interminatur: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populū istum.* Quocirca firmiter apud me constitutum habebō, non parui esse momenti fidam eiusmodi Patroni intercessionem ac operam, quæ dignis & indignis magnoperè proffit, summoque Deo pergrata sit, quoniam, vt antea diximus, proprium hoc eius est oraculum: *Quæsiui de eis virum, qui inserponeret sepe, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam.* Ac alibi rursus: *Auferam sepe eius, & erit in direptionem.*

Quapropter mei muneris proprium esse ducam, si antè vnquam, nunc maximè quidem D. Nicolaum huius Ecclesiæ & Reipublicæ Patronum studiosè venerari & colere, qui sit nobis velut alter Noë, & in tempore iracundiæ fieri quoque possit reconciliatio, sicuti Sirach loquitur; qui præterea nouum quasi Moysen præbeat ad grauissimas populi calamitates auertendas, hostesq; superandos: & qui conferri quoque possit regi Dauidi, propter quem Deus totam Hierosolymorum urbem fortissimè protexit, & contra vim Assyriorū maximam conseruauit. Hunc ipsum ego velut Ieremiæ loco mihi spectandum proponam, qui tametsi vita functus esset, tamen Patroni officium est sedulo executus, quemadmodum summus sacerdos Onias verbis illis demonstrauit, cū ad Iudam Maccabæum diceret: *Hic est fratrum amator & populi Israël: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ci-*

Psalm. 105.

Ierem. 7.
& 11.

Ierem. 15.

Ezech. 22.

Isai. 5.

Eccl. 24.

Exod. 32.
& 17.
4. Reg. 19.
& 20.

2. Macc. 15.

uitate Ieremias propheta Dei. Quis dubitet, Paulum Apostolum Ioanni Chrysoftomo tam charum, tantæq; venerationi fuisse, vt eum Patronum peculiarem obseruaret? Habuit Seuerus Sulpitius suum quoque Patronum D. Martinum Turonensem, Prudentius B. Laurëtium, & Paulinus D. Felicem, sicut & Theodosius Imperator D. Iohannem Baptistam, in cuius honorem templum extruxit, & quem vt patronum auxiliarem inuocauit, maximè suas copias aduersus cõmunem Romani imperij hostem Eugenium in aciem producturus, & per quem demum optatam lætamq; victoriam reportauit. Quade re ^a Sozomenus, ^b Theodoretus, ac ^c Nicephorus non obscurè loquuntur. Oppugnabant Nolan hos̄tes barbari, & fugere coacti sunt, quoniam D. Felix Patronus non modò fuit suis Nolanis, sed & se illis apertè visendum in bello præbuit, quemadmodum Augustinus certis se testibus comperisse demonstrat. Quis verò nescit, quòd singulæ nationes suos iam olim habeant Patronos Diuosq; tutelares; nec solùm à fide dignis rerum scriptoribus traditum, sed etiam re ipsa sæpè compertum est, illos in rebus afflictis piè inuocatos, firma tulisse præsidia, & à summo Deo beneficia maxima impetrasse? Vnde quod Leo Magn^o de sanctis Patronis Romanæ urbis affirmat, multi etiã alij de suis patronis verè testari possunt: Sicut, inquit, nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obrinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur, per Dominum nostrum IESVM CHRISTUM.]

POSTREMO supradicti Patroni D. Nicolai honorandi rationem illam inibo, vt templum in ipsius honorem extructum, religionis ergò libenter inuisam, ac diuinum in eo cultum cum pijs alijs frequenter exerceam: neque pro me solùm, sed & aliorum gratia tali Patrono meas commendabo preces, vt quod à summo Deo petitur, illo compreatore fa-

ciliùs

a Lib. 7.
b Lib. 5.
c Lib. 12.
hist eccl.

Lib. de cura
pro mort.
cap. 16.

Serm. 1. de
Petr. & Paul

cilius impetretur. Etenim licet vniuersi Sancti vbique sint & omnibus prosint, sicut à Maximo vetusto Theologo comprobatur, specialiter illi tamen pro nobis interneniunt, quorum reliquias possidemus, vel quorum gaudemus patrocinijs, aut quibuscum maior nobis est familiaritas, vt hinc sanctitatis eorum magis etiam participes esse possimus. Quamquam non in sola externa veneratione, & Patroni huius frequenti inuocatione conquiescam, vt per illum mihi Deum propitiū fore confidā. Illud cū primis ad hūc aliumue Patronum conciliandum profuerit, si eundem velut maximarium virtutum clarum speculum, & viuum exemplar mihi sæpè proponam, ac sedulò etiam imitari Christo duce contendam. Proinde operam non vulgarem dabo, vt ex D. Nicolai historia, quæ non obscuros habet autores, virtutes in hoc excellenti Episcopo lucentes colligam, & eas præsertim amabo, quæ vitæ meæ instituto maximè congruunt, siue sim vir Ecclesiasticus, siue politicus, senex aut iuuenis. Existimabo profus, hunc diuinum virum & Pontificem nostrum coram adesse, & obambulare, cui & priuata & publica negotia vitæque ignota non sint, qui que nobis in hac sua Republica ex animo faueat, & apud Deum libenti animo patrocinetur, ac demùm subinde nostris auribus illud inculcet: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Maximo perè mihi commendatas habebō raras illas & primarias D. Nicolai dotes, nimirum perpetuam quandam vitæ integritatem atque innocentiam, purum calibatū, in credibilem in subleuandis miseris & consolandis egenis charitatem, in colenda pietate assiduum studium, seriam in pastoralis officio vigilantiam, ac demùm in tuenda & propaganda religione zelum indefessum. Quantò autem longius hæc Respublica, & subiecta illi ditio sese porrigit, quantò que grauius domi & foris Friburgenses oppugnantur, quòd velut in medio versentur hostiū, tantò magis illi sanè industrio, fido,

In natali Tau-
rinorū Mar-
tyr.

i. Corin. ii.

i. Thess. 4.

potenti paratoque Patrono indigent, qui & Cleri & Senatus & Populi causam apud omnipotentē Deum assidue tueatur, & tuendo noxia submoueat, salutariaque prouideat, ac Ordines omnes tum in Spiritualibus, tum in Temporalibus, vt vocant, magis magisque sanctissime Trinitati commendet. Quibus de rebus ego cum aliis, tum in his Ferijs nostro Patrono institutis maximè cogitabo, curamque de illis suscipiam religiosè.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro multis otiosè viuētibus, et iustitiæ Christianæ fructum non querētib⁹, nec ostendētib⁹, quia velut sterile ficus, & infrugifera arbores præcisione dignæ & excidio proxime esse videntur. His ego Deum propitium, & ad meliora conuertendis patientem atq; longanimum desiderabo.

ORABO insuper, vt multi & idonei suppetant coloni, qui vinea Dominica passim iacenti & inculta tum orandi instantia, tum verbi ministerio, tum vitæ salutaris exēplo succurrant fideliter, & quoad eius fieri potest, è sterilibus arboribus frugiferas Deo & Ecclesiæ faciant.

PRAETEREA cœlestem opem implorabo, vt Sancti & eorum Reliquia, atque patrocinia, quibus omne precium ferè perijt, decenter habeantur, tantòq; diligentius Sanctorum cultus à Catholicis exerceatur, quanto virulentius hic sese opponunt noui Vigilantiani & Hagiomachi, quorum nunc innumerabilis copia se passim effundit.





IN SANCTI IO-
HANNIS BAPTISTAE
FERIIS NATA-
LITIIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

CONFIRMAT hoc Euangelium, Gabrielem ange- lum Ioannis Baptistæ patri Zachariæ vera in tem- plo prædixisse, cum hæc illi nuntiaret: Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannem: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Gaudent sanè vicini & cognati, Dei gratiam singularem agnoscetes, ipsiq; parentibus tota vita infæcundis & grandæuis gratulantes, quòd talem filium acceperint, qui totius familiæ columen esse possit. Gaudet mater quoque sancta Elizabeth tali prole aucta non sine singulari Dei munere, & præter omnium expectatione, vt sui & mariti diuturnis votis satisfiat. Hinc & illa eius confessio: Sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. Gaudet pater insuper ac sacerdos celebris Zacharias, cum videt Gabrielis promissiones magis ac magis impleri, suumq; filium, veri Messiaë præcursores in lucem edi, & hinc nouam læticiam in multis alijs excitari, qui de hoc filio præclara ominentur, & lætum celebremque rumorem passim spargere incipiant. Idem spiritu prophetico afflatus, cum primum linguæ officium quod amiserat, sibi restitui cernit, hymno proprio Deum benedicit, ac laudes illi eximias palam decantat. Porrò de nomine nati

Luc. i.

Luc. i.

Serm. 21. &
23. de San-
ctis.
August. in 1.
cap. Lucae.

infantis, cum iam esset circumcidendus, noua intercedit contentio: vincit tamen vtriusque parentis sententia, ut ille non alio quam gratioso Iohannis nomine, quod praedixerat Angelus, insigniatur. Multa igitur in hoc Euangelio concurrunt, quae Ioannis Baptistae sanctissimi prophetae diem natalem illustrant, & sicut Augustinus loquitur, corporali simul & spirituali cum gaudio celebrari potulant, sicut ille in Ecclesia tot saeculis etiam ante Ambrosium, Chrysostomum & Augustinum celebratus fuit.




E V A N G E L I V M

Lucae I.

LISABETH completum est tempus pariendi: & peperit filium, & audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est: in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit, Nequaquam, sed vocabitur Iohannes. Et dixerunt ad illam, Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens, Iohannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia verba haec: & posuerunt omnes qui audierant, in corde suo, dicentes, Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias

charias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetavit, dicens, Benedictus Dominus Deus Israël: quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

Audierunt vicini & cognati eius, quia magnificavit Dominus misericordiam cum illa (Elisabeth,) & congratulabantur ei.



ADMIRABLEM, & nunquam satis prædicatam Iohannis natiuitatem & infantiam esse ducam, vt hinc etiam dies eius secundam carnem Natalitius, (quod Sanctis alijs, Virgine Matre duntaxat excepta, tribui non solet) religione singulari & solenni ritu quotannis à tota Ecclesia celebretur. Petam igitur à Deo, & in meipso excita- bo gaudium spirituale, sicut & facit Ecclesia, hodie petens à Deo, pro se & fidelibus omnibus spiritualium gratiam gaudiorum. Nec enim ad vnam duntaxat ætatem pertinet, sed in nobis etiam debet impleri, quod futurorum cōscius Gabriel quondam prædixit: *Erit gaudium tibi & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudebunt.* Hunc enim paruulum inde ab initio sic elegit & prælegit Deus, totq; præclaris & insolitis ornavit miraculis, ac præpotentis gratiæ prærogatiuis instruxit, vt merito illi hoc tribuatur: *Erit magnus coram Domino,* sicut idem Gabriel apertè prædixit. Verè magnus, quoniam Angelico promissus & commendatus oraculo, singulari miraculo conceptus, ex effoetis parentibus procreatus, nomine proprio diuinitus imposito insignitus, inde à parentis alio sanctificatus, Christi & matris eius gratiosa visitatione con-

Luc. x.

Serm. 63. de
S. Iohan.
In 1. cap.
Ierem.

Ioan. 1.

Psal. 131.

Ioan. 5.

Luc. 7.

Ibidem.

firmatus, Spiritu sancto repletus, diuinaq; sapientia illustratus, vt mirabile Dominicæ incarnationis & Euangelicæ gratiæ sacramentum cognosceret, & mortaliæ omnium primus aduentum Domini mundo nuntiaret. Vnde quod Ieremiæ prophetæ à summo Deo dicitur, in hunc etiam rectè cōpetit, sicut Ambrosio & Hieronymo visum est: *Priusquam*, inquit, *te formare in utero, noui te, & antequam exires, sanctificauit te.* Quem quæso paruulum inuenias absq; verbo, doctore, sacramēto sanctificatum, & perfectè Christianum, nisi Iohannem, vtpote sanctum prius quàm natum, & ad sublimē maximi prophetæ munus excellentib. diuinæ gratiæ præsidij cumulatum & instructum, vt de illo Euangelista nō temerè dicat: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes. hic venit in testimonium: vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum?* De hoc ipso dictum extat Propheticum: *Parauit lucernam Christo meo*, quemadmodum Tertullianus & Cyrillus hunc locum explicant. Quin & Christus ipse qui hunc puerum non inuisere solū, sed etiam originali labe ante omnes alios purgare dignatus est, Iudæis palàm de illo asserit: *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Quid ergo mirum, quòd non solū à parentibus & vicinis, sed ab alijs etiam longè diffitis vox illa celebrata est: *Quis putas*, vel sicut nonnulli codices legunt, *Quid putas puer iste erit?* vtpote qui statim genitus, tantam sui admirationem vulgo concitauit, vt stupor omniū occuparet animos, certamq; iniiceret spem & expectationem rerum maximarū, quas per illum aliquando Deus in Ecclesia operaretur. Neq; verò illos sefellit opinio: quoniam, vt Lucas adiungit, *Manus Domini erat cum illo*, puta in imbecilla illa ætate præsens & efficax, sicut & antea cū in matris utero gestaretur. Et rursus Lucas hoc illi tribuit: *Puer crescebat & confortabatur spiritu*, quandoquidem præter modum communem duce atq; doctore Spiritu sancto consequebatur, vt non hominis magisterio, sed inspiratione diuina erudiretur, & maturè fieret drodidanz. Proinde hunc ego puerum æqualibus omnibus antepōnam, & cum

Episco-

Episcopo Taurinensi Maximo ingenuè dicam: Verè hic omnium beatissimus paruulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus, adesse Saluatorem mundi, quia necdum sermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Nullus ignorat omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem, inter ipsa lucis exordia mœstis cōcrepare vagitibus, solus Baptista Domini vltra legem nascentium, natiuitatem suam lætitiæ exultatione præuenit. Præmittam quod Origenes & Ambrosius notant, Iohannem vti interioris sanctificationis daret speciem, matri suæ gratiam prophetiæ subministrasse, seq; per illam diuinum vatem ostendisse, qui vix octo dies natus, patrem quoque Zachariam in cantico suo loquentem probè intellexit, sicut hoc Theophylactus euidenter affirmat. Quò maior est mihi pijsq; omnibus ratio hodierno die letandi, illo nimirum in lucem edito, quem^a Tertullianus antecurso rem & præparatorem viarum Domini, ac limitem quandam inter vetera & noua constitutum, ^b Gregorius verò Nazianzenus veterum & nouorum medium siue mediatorem appellat, alij verò finem veteris, ac initium noui Testamenti asserunt, vt ad Christi sententiam illam alludant: *Lex & Propheta vsq; ad Iohannem*. Hic enim, sicuti prædicatione, sic & natiuitate mirabili viam redemptionis & Euangelicæ gratiæ mundo prænuntiauit, Christi q; aduentum tam diu desideratum sicut lucifer solem, & aurora diem proximè præcessit, eo ipso quidem designans, insolitam & incredibilem consolationem non modò parentibus & amicis, sed omnibus etiam verum Messiam expectantibus statim affuturam, quemadmodum pater Zacharias in suo celebri cantico pluribus luculèter expressit. Nec desunt qui Angelicum illud præconium: *Multi in natiuitate eius gaudebunt*, sic accipiant, vt non solùm ad Fideles quoslibet, immò etiam ad Saracenos & Mahometanos hodiernū diem letè celebrantes referant & extēdant.

Ego verò bonorum omniū fonti Christo cum primis gratias agam, qui in medijs huius mundi, ac totius quoq; Iudææ tenebris tantam accendit lucem, quanta tot sæculis antea

Serm. 7. de
natiuit. Iohann.

Homil. 7. in
Lucam.
In Luc. c. 1.

In cap. 1.
Lucæ.

a Lib. 4. contra Marcion.
b Orat. in Athanas.

Matth. 11.

Luc. 1.

Malach 3.

Matth. 11.

Matth. 11.

Luc. 7.

Luc. 1.

Ibid.

nunquam apparuerat, sed solum Propheticeis verbis obscure promissa fuerat, Patre scilicet ad Christum Filium ita loquente: *Ecce ego mitto angelum meum, & preparabit viam ante faciem tuam.* Quæ verba Dominus Iudæis & sibi & Iohanni incredulis objicit, indeque suum præcursores laudat publicè, qui sit plus quàm Propheta & angelus, hoc etiam in signe præconium subiiciens & iuramento ipso confirmans: *Amen, dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista.* Proinde sicut vicini & cognati Zachariæ, de quibus tractat Euangelium, Iohannis parentibus ex animo sunt gratulati, eò quod in prouecta longaq; sterilitate tam felicem filium peperissent: ita & ego pro mea virili vniuersæ gratulabor Ecclesiæ de tali nato Iohāne, qui maiores Iudæis & Christianis, quàm Propheta quicquam alius, attulit vtilitates. Vnde non temere Iohannes dictus est à gratia, siue illam accipias, quæ decrepitis & infœcundis parentibus supra omnem opinionem obtigit, siue aliam intelligas, qua ipse à matris suæ vtero miræ sanctificationis munus accepit, siue illam spectes, qua filios Israël tam feliciter ac potenter instruxit, vt ad Dominum Deum nouo quodam successu conuerterentur. Hac de re pater eius non tacuit, cùm spiritu Diuino afflatus, conuerso ad ipsum Ioannem sermone, in hymno suo ita cecinit: *Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis. præbis enim ante faciem Domini parare vias eius ad dandam scientiam salutis pl. bi eius, in remissionem peccatorum eorum.* Gabriel verò angelus in eundem sensum loquitur: *Præcedet ante illum in spiritu & virtute Elia: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Dolebo interim vicem meam, qui à perpetua Iohannis huius innocentia & sanctitate tam procul abssum, & præclaram eius doctrinam vitamq; perfectam, qua suam ille vocationem mirum in modum exornauit, perrarò mihi ob oculos pono, nec serió fructum inde colligere conor; tantum abest, vt Ioannis vel amator, vel discipulus & imitator dici possim. Dolebo itidè, verum & ardentem charitatis affectum, quem ab alijs exigo,

in me plus æquò refrigerare, vt planè sim illis dissimilis, qui laudè habent in Euangelio, quando quidem nec rogati nec moniti, ad præstandum congratulandi officium vtrò ac libenter accurrerunt, & partim seniori Zachariæ, partim nouæ puerperæ Elisabethæ paratas obtulerunt operas ac impenderunt. Sciebant haud dubiè, charitatis esse officium, quod etiam Ethnicis suis cordibus insculptum gerunt, vt nos veluti fratres mutuò complectamur, & maxime cum gaudentibus non fictè sed sincerè gaudeamus, quemadmodum & ^a Paulum docuissè, & ^b Christum ipsum fecissè manifestū est. Ad hæc Christianis parentibus congratulabor, qui suos liberos bonis disciplinis ac honestis moribus imbuunt; illis que sunt duces ad immortalitatem, nihil intermittentes, vt se filijs verbo & exemplo magistros præbeant æquitatis, frugalitatis, continentia; modestia; pietatis, omnisq; virtutis. Nam tales profectò parentes Iohannes habuit, non modò generis nobilitate claros, verùm etiam iustitia & virtute coram Deo & hominibus vehementer illustres. *Erant enim (Zacharias & Elisabeth. sicut Lucas indicat) iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela,* hoc est quemadmodum Paulus loquitur, erant irreprehensibiles, sine crimine; coram Deo & hominibus bona prouidentes, legisq; factores. Magnum est sanè & pulchrum iuuentutis ornamentum atq; præsidium, ex probatis Deoq; charis parentibus originem ducere, sicut Isaac ex Abraham, ex Isaac Iacob, ex Iacob Ioseph, & Rechabithæ ex Ionadab, id est, piorum parentum pij filij prodierunt. Sed longè pulchrius atq; commendabilius videri debet, si bonos piosq; parentes filij non degeneres non solùm æmulentur, immò & præclaris facinoribus æquent ac superent, quemadmodum citra controuersiam, post Dauidem & Ezechiam suos parentes noster Iohannes longè superauit, vt hinc iustorum parètum iustior & sanctior filius ab Hieronymo censèatur.

Verùm ne sanctissimum Prophetam suo defraudem honore, nequaquam falli me sinam à nouis huius ætatis Secta-

a Rom. 12.
Galat. 6.
b Matth. 11.
Luc. 7. & 19.

Luc. 1.

1. Tim. 3.
Tit. 1.
Rom. 12. & 2.

1 Reg. 16
4. Reg. 18.

Lib. 1 adue:
Pelagianos

rijs, qui vt legitimā Iohannis laudē vel supprimant vel obscuret, vtq; cōmunem veteris Ecclesiæ sensum atq; consensum eludant, multa de illa falsa, & prioribus inaudita sæculis confingere, & imperito vulgo venditare non erubescunt. Vtenim ex his pauca commemorem, Iohannem nostrum alijs vulgaribus pueris exæquant, similem q; faciunt in schola, educatione, litteris, studijs ac præceptoribus. Volunt illum in defuncti Patris successisse locum, & in eius functione sacerdotali cum laude vixisse, qui suam quoque pueritiam & adolescentiam in œconomia parentum, & officijs domesticis, ad annos vsque triginta diligenter exegerit. Quod insuper Iohanni accidit, vt necdum natus cœlestes fidei motus & actus fenserit, vsuq; rationis habuerit, atq; in Christum crediderit, idem reliquis infantibus nondum in lucem editis, & quo tempore baptizantur, vsuuenire. Eundem non in deserto vel vasta solitudine, sed in oppidis ac pagis prope Iordanem constitutis, nec procul à montibus habitasse. Vestitum illius fuisse vsitatum, quo alij montana loca habitantes induebantur. Cibi genus nō peregrinum & insolens, sed assuetum his cum quibus agebat, extitisse. Locustas (Ioannis escam) ad genus marinorum piscium, & species cancrorum pertinere, eumq; hoc prohibito in lege cibo, pro Evangelica libertate vti voluisse. Mosaicas etiam cerimonias de facto & iure ab illo fuisse abrogatas. Eum carnali prudentiæ obsecutum esse, cum suum recusauit ministerium in Christo baptizando, & Christum quasi stultitiæ insimulasse. Hæc aliaque id genus complura, quæ nullo vel Scripturæ vel Patrum fundamento nituntur, nō verentur audacissimi homines in medium profundero, ne quid Ioanni amplius, quàm vulgariter educato puero & adolescenti tribuant, vtq; illum partim Mosaicum sacerdotem, partim semihæreticum doctorem, & nescio quem hypodidascalum faciant. De quibus figmentis, ineptijs ac nugis explodendis nos alibi plura ex professo tractauimus, nihil vt sit opus hîc plura subijcere & grauare Lectorem.

Tom. 1. comment. de corruptel. Ver. Dei, qui est de venerando Christi præcurfore.

*Puer autem crescebat & confortabatur spiritu,
& erat in desertis usque in diem ostensionis suae
ad Israël.*

SANCTI Iohannis, qui Baptistæ nomen inuenit, pueritia & adolescentia, immò & vita vniuersa, si vnquam aliàs, hoc quidem die mihi potissimum est meditanda, quam boni omnes meritò admirantur. Vix natus ille septem, vt putant, annos, reliquit parentes quàmlibet sanctos, cõtempnit patriam, facultates omnes abiecit, & quasi profugiens, vt ab amicorum se consortio subduceret, in eremum se contulit, sibi que & Deo tantum vixit ad annum vsque trigesimum, quando vt prodiret in publicum, præceptum diuinum accepit. Qui mundo licet ignotus, & à peccati illecebris remotus, perpetuòq; innocens foret, grauitè suum corpus afflixit, vitamq; duram & asperam duxit, siue secessum, siue victum, siue vestitum eius contempleris. Et quidem habitationem eius, vt ab hominibus alijs valde separatam, ita horroris etiam & paupertatis plenam fuisse in confesso est. Nam sicut Euangelista scribit, *erat in deserto, usque ad diem ostensionis ad Israël*: hinc vsque ad trigesimum ferè annum ætatis vitam suam in vasta & horrida eremo transegit, diuino interim cultui semper intentus. Quid enim aliud vir ille diuinus in eremo faceret, nisi vt vitans otium, quod malorum omnium origo est, die ac nocte totus orationis studio vacaret, ac Angelorum officium imitaretur, qui semper in Dei contemplatione & amore suspensi sunt? Quanto igitur minùs ille res terrenas curabat, & à mundi carnisq; impedimentis remotior erat, tantò sublimiùs philosophari, seq; propiùs cum summo bono coniungere, ac perfectiùs Deum æternum amare, inuocare & colere consueuerat. An non & ipse diceret: *Nostra conuersatio in cælis est. In terra deserta, inuisa, in aquosa sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam*? Origenes de illo ita scribit: Iohannes non expectauit, vt à patre nutrireretur vsque ad diem ostensionis suae ad Israël, sed recessit, fugiēs tumultum

urbium,

Luc. 1.

Luc. 3.

Luc. 1.

Philipp. 3.

Pfal. 62.

Homel. 11. in

Lucam.

Homel. 10.
in Matth.

Epist. 4. ad
Rultic.

Matth. 3.
Marc. 1.
Matth. 11.
Luc. 1.

Concione 1.
de ieiunio.

Oratione in
sancta Eumi-
naria.
Lib. 16. cōt
Faust.

Matth. 11.

Luc. 16.

Homel. 10.
in Matth.

urbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, & abiit in
deserta, vbi purior aër; & cœlū apertius, & familiarior Deus:
vt quia necdum sacramentum Baptismi, nec prædicationis
tempus aduenerat, uacaret orationi, & cum Angelis versare-
tur.] Nec minùs diuicidè à Chrysoftomo dictum est: Iohan-
nes statim vt natus est, in eremo viuit, in eremo nutritur, Chri-
stum expectans in solitudine.] His cōsonat Hieronymus cum
scribit: Iohannes Baptista sanctā matrē habuit, Pontificisq;
filius erat: & tamen nec patris affectu, nec matris opibus vin-
cebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret. castita-
tis. Viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, ni-
hil aliud dignabatur aspicere.] IAM verò quod ad cibū Io-
hannis attinet, fuit ille pertenuis, ac sanè parcissimus, Euange-
lista testante: *Esca eius locusta, & mel siluestre*: immò & Chri-
sto assuerante: *Veni Iohannes neq; manducans, neq; bibens*.
Sicut enim vinum & siceram ille non bibit, vt de illo præ-
dixerat Angelus: sic etiā in victu tam abstinens vsq; fuit vt si-
ne pane, carnibus, piscibus suum corpus foueret, simplicissi-
mo cibo contentus, qualem eremus illi suppeditabat. Vnde
scribit Basilius, Iohannis vitam vnicum & perpetuum fuisse
ieiunium; & Gregorius Nazianzenus illum non solum soliti-
tudinis alimant, sed & nullius cibi hominem vocat, quem-
admodum & Augustinus, Iohanni neque panem, neq; osera,
neq; aliud quicquam præter locustas & mel in esu, & aquam
in potu suppetiuisse restatur. Nec tacent Euangelistæ Iohan-
nis vestitum, qui camelorum pilis constaret, quem nonnulli
cilicium, aut aliud indumentum cilicio asperius interpretan-
tur, qui præterea zonam pelliceam circa suos lumbos gesta-
re consueuerit. Hanc vestitus vilitatem ac duritiem ita pro-
bauit Christus, vt ludæis palam proponeret: *Quid existis in
desertum videre & hominem mollibus vestitum? Ecce qui molli-
bus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Vt enim hoc loco com-
mendat Iohannem à vestitu inculto, sic diuitem epulonem
ob splendorem & mollitiē vestium obliquè perstringit. Pro-
pterea verò Iohannes vestimentum de pilis camelorum ha-
buit,

buit, Chrysoſtomo teſte, & vt habitu ipſo doceret mūdi contemptum, & omnem ſuperbiæ rationem eſſe cōculcandam; homines quoq; ad omnem laborem ipſo habitu præpararet. Qui enim ad prædicandam omnibus pœnitentiam deſtinatus erat, eam toto etiam corporis cultu & habitu voluit comprobare; vt ſuis auditoribus non factò minùs quàm verbo perſuaderet, eiusq; mens, lingua, victus & veſtitus ad viam optimam Chriſto parandam concordarent. Vt hinc etiam Hieronymus dixerit: Zona pellicea Iohannis, qua accinctus fuit & Elias, mortificationis ſymbolum eſt. ¶ Ac rurius: Veſtis aſpera; zona pellicea, cibus locuſtæ, melq; ſilueſtre, omnia virtuti & continentia præparata. ¶ Atq; vt verbo vno concludam, Iohannes veſtitu, victu, loco totus pœnitentia formatus incedit; quemadmodum ſcitè Chryſologus dixit.

Quid verò attinebat, hiſce de rebus externis Euangelistas tam ſedulò ſcribere, atq; nos monere, deſertum fuiſſe Iohanni domum, veſtem cilicium, lectum humum, menſam locuſtam & mel ſilueſtre, familiam verò ſolitudinem, quæ ipſi & miſtra & comes fuerit indiuidua? Proculdubio huius admirandi adoleſcentis & viri ductor ac magiſter erat Spiritus ſanctus, qui vt maiorem illi apud omnes autoritatem conciliaret, à ciuiliſſimis vitæ cultu eundem ad vitam adeò ſeueram traduxit; ac in locis deſertis tamdiu deliteſcere voluit. Deinde hac ratione illis conſulebatur, qui poſtea ſecuturi erant, Anachoretis & Eremitis, quoniam complures, vt ^a Chryſoſtomus, ^b Hieronymus, ^c Caſſianus & ^d Bernardus, Iohannem eundem faciunt Monachorum ducem ac principem. Et Chryſoſtomus quidem, qui contra vituperatores vitæ monaſticae tres edidit libros, ita ſcripſit: Sicut Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ſic Monachorum princeps Iohannes baptiſta eſt. ¶ Et ſemper habet Chriſtus in Eccleſia ſua peculiareſ amicos, qui Iohannis ſequantur ſpiritum & exemplum, vt ſolitudine gaudeant, victus paſſimoniam quærant, veſtis aſperitatem diligant, omnemq; ſeuerioris vitæ diſciplinam propter Dei regnum libenter ſuſcipiant; ac ſeriò amplectan-

In Matth.
4. Reg. 1.
Aduerſ Lu-
ciferianos.

Serm. 148.

a Homil. 1.
in Marc.
b ad Eusto-
ch. de custo-
dia virginit.
c Collatione
18. c. 6.
d Homil. de
Ioan. bapt.

Galat 5.

Matth. 7.

1. Corin. 9.

Tob. 7.

Ecccl. 12.

Thren. 3.

Ecccl. 11.

tur. *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Quare cōueniebat, cū aliorum verē piōrum, tum Iohannis huius institutis & exēplis angustam illam viam quæ ducit ad vitam, licet pauci eam inueniant, reddi cōmendatiorē, & iter quodāmodō præmonstrari, per quod carnis natiuam petulantiam comprimere, ac spiritui subigere debeant, qui velut Euangelici pugiles, ad cœleste brauium assequendum aspirant. Sed & Christiana iuuentus hīc suam habet admonitionem, vt etiamsi per omnia Iohannem ducem non imitetur, tamen illius exemplo in Dei timore, veraq; innocentia inde à primis annis sese contineat, ac saltem Tobiam imitandum sibi proponat. Is qui cū in sua tribu Nephtalim minor esset omnibus, nihil puerile gessit in opere: cumq; irent omnes ad colendos vitulos aureos ab Iero-boam rege Israël fabricatos, solus fugit consortia hominum, & concessit in Ierusalem ad templum Domini, ibiq; Dominum Deum Israël adorauit. Vterque igitur, Iohannes & Tobias, nostros pueros & adolescentes admonet, non passim, vti sit, vagari atq; lasciuire, non in turpi viuere otio, non suis & carnis affectibus magis quàm Dei & maiorum legibus obsequi, non rebus ludicris & vanis, ne dicam noxijs ac impudicis, potiùs quàm honestis, serijs & salutaribus operam dare: sed Sapientis obseruare præceptum: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. Bonum est enim viro, vt Ieremias affirmat, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Ac meritò irridet Ecclesiastes eos, qui iuuentutis suæ florem ad luxum abutuntur, suaq; carni laxant habenas. Letare, inquit, iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuū in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorū: & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.**

Vbi me rursus admonebit Iohannes, vt singularē Dei prouidentiam & bonitatem non solum in ipso, sed etiam in alijs pueris agnoscam & prædicem, quandoquidem, vt res ipsa quotidie docet, hi in corporis animiq; dotibus valde sunt dispares, vt alij alios vincant corporis decore ac robore, in-

Genij docilitate, memoria tenacitate, naturæ simplicitate atque candore, ac denique multarum virtutum natio amore ac excellēti studio pueri pueros, immò & fratres suos germanos frequēter excellent. Sunt enim & virtutum semina, quæ in vita hominum paulatim magis magisq; grandescunt & florent, suoq; tempore fructus egregios ac generosos proferunt. Hoc modo videmus fidei magnitudinem in Abraham patre credentium, in Isaac obedientiæ promptitudinem, in Iacob laborandi sedulitatem, in Ioseph pudicitiae studium, in Moyse clementiam & mansuetudinem, in Dauide pietatem & fortitudinem mirabiliter claruisse. Habet igitur & noster Iohannes singulares virtutes in ipso lucentes, vtpote conscientiae puritatem, mundi cōtemptum, pœnitentiæ studium, zelum iustitiæ, & ad prædicandi munus ardorem: nec dubium, iam inde à primis annis accessisse Spiritum, qui ad huiusmodi virtutum officia motus & impulsus quosdam suggereret, eosq; sensim auctos esse. Poterat igitur ille, quod ab alio dictum est, sibi quoq; sumere: *Puer eram ingeniosus, fortius sum animam bonam. Mirabilis profectò Deus in Sanctis suis*, immò & in pueris suis, quemadmodum in Ieremia, Daniele, Iohanne, Nicolao, & alijs benè feliciterq; natis, de quibus Propheta dixit: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Non ergo temerè dixit Euangelista: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.* Eòque rectius fecerit Christianus adolescens, qui Deo sese commendans, cum Dauide rogauerit saepe, *Delicta iuuentutis meae & ignorantias meas ne memineras. secundum misericordiam tuam memento mei propter bonitatem tuam Domine. In quo corrigit adolescentior viam suam: in custodiendo sermones tuos. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Sap. 8.

Psal. 67.

Psal. 8.

Luc. 1.

Psalma. 24.

Psal. 118.

Psal. 142.

SED & ego ex Iohannis pueritia & iuuentute fructum hunc colligam, vt varias peccandi occasiones, & illecebras quæ se mihi quotidie offerunt, sedulò deuitem, *Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram*, vtque studium Deo verè placendi, & animam exornandi augeam, velut ama-

Psal. 136.

bilem,

Pfal. 44.

Genes. 12.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 5.

bilem illam Spiritus sancti vocem attentè complectar: *Audi filia, inquit, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, (mundum scilicet hunc im-
mundum): & concupisces rex decorem tuum.* Igitur cum Iohan-
ne & Abraham, quoad fieri poterit, corde saltem egrediar de
terra mea, & de cognatione mea, & de domo patris mei, &
veniam in terram, quam monstrauerit mihi Deus. Dolebo
insuper, quòd præclaro Iohannis exemplo, immò & Spiritui
sancto sæpè sim hæctenus reluctatus, qui superiorem vitam
inde à primis annis in vanitate consumpsi, multisque vitio-
rum adhæsi sordibus, exiguâ gerens curam innocentia con-
seruandæ, & colendæ ex animo pietatis. Non enim ex illis fui
puctis vel adolescentibus, quos Iohannes Apostolus ita com-
pellat: *Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignâ. scribo
vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in
vobis, & vicistis malignum.* Quod si Iohannes ab ipsa matris
alio sanctus, cœlestiq; spiritu plenus, & ad omnem pietatis
cultum instructus, licet nullû lethale peccatû patrâsset, tam
rigidum vitæ institutum arripuit, & mordicus tenuit: cur ego
metum ac pudorem non concipio, sed mihi securitatem po-
tius audeo polliceri, qui spiritu vacuus, & ad malum omne
propensus, multisq; vitijs obnoxius, medijs tentationum la-
queis implicor, ac ferè tencor irretitus? Cur miser arma pe-
nitentiæ fugio, quæ Iohanni per omnem vitam erant familia-
ria, cum tamen male suadæ carnis illecebris me agitati sen-
tiam, multisq; præsidijs egeam in certamine contra veterem
hominem quotidie conficiendo? Si Iohannes quantumuis
innocens, perpetuò castus, plusquàm sobrius, & ad miracu-
lum vsque sanctus maceratione carnis indiget, tantâq; vi car-
nem spiritui subijcit: quam ego rationem adferre possum, vt
carnem meam tam blandè ac molliter tractem, variasq; cor-
poris dēlicias studiosè confectet? Quid istuc est aliud, nisi vt
vulgo dicunt, oleum camino addere? Si totus mundus in
malitia est positus, vt quidâ affirmat, quid ego nisi malitiam
& impuritatem omnem ex huius pellicis & meretricis con-

fuetudine

suetudine discere potero? De qua meretrice cauenda sic monet Salomon: *Qui applicabitur illi, descendet ad inferos: nam qui abscesserit ab ea, saluabitur. Ne abstrahatur in vijs illius mens tua, neq; decipiaris semitis eius. Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea.* Et alius docet: *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.*

Prou. 9. & 7

Ecccl. 13.

Quis demùm nisi cæcus non videat, quantoperè Ioannes noſter caſtiget ac verberet huius mundi Sardanapalos, & omnes ſiue Epicureos, ſiue, vt Paulus vocat, carnales homines, qui cùm ſeminant in carne, de carne certò certius metēt corruptionem. Hi ſunt crapulæ, luxui ac libidini vehementer addicti, immo etiam *crucis Chriſti inimici, quorum ſinis interitus quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum,* qui carnis opera committentes, regnum Dei non conſequentur, ſicut Apoſtolus clariffimè docet: tantum abeſt vt Iohannis illi diſcipuli aut ſectatores videri diciq; poſſint. Idem iudicandum eſt de nouis Euangelicis, qui veteris Eccleſiæ, ſi ſuperis placet, reformatores eſſe cõtendunt, & nouam in orbe ſpargunt Theologiam. Quid illi quæſo cum Iohanne habēt commune, ſiue vocationem, ſiue vitam, ſiue doctrinam eorum intueamur? Certè nec verbis, nec factis pœnitentiam non minimam Euangelij partem prædicant, blanda verò & mollia omnia cupidè conſectantur, & pro Euangelica libertate carnali licentiæ fauent atq; patrocinantur, vt confidenter etiam religionis & votorum vincula ſoluât omnibus, qui modò relictis Eccleſiæ caſtris, ad ipſorum confugiūt ſynagogas. Tantoperè ſunt iſti delicati, vt ſine abrogato Eccleſiæ ſolenni ieiunio, ſine reiecto delectu ciborum, ſine cõtempta cõfeſſione, vt vocamus, auriculari, ſine cõculcatis Episcoporum præceptis, ſine ducta vxorcula viuere ac docere nõ poſſint. Hoc eſt ſcilicet Iohannem Dominiq; præcurſorem ac doctorem Euangelicum præſtare: hoc eſt parare viam Domini, pœnitentiam vrgeri, fructus dignos pœnitentiæ poſtulare, & vi quadam ad ſe rapere regnum cœlorum.

1. Cor. 3.
Galat. 6.
Philip. 3.
Galat. 5. & 6.Matth. 3.
Ioan. 1.
Luc. 3.
Matth. 11.


EGO VERO qui tantam vitæ aſtuitatē, qua ſine in-

Prouer. 29.

Rom. 12.
Rom. 8.1. Tim. 5.
1. Cor. 9.

Gal. 5.

termiffione Iohannes eft vſus, præſtare non poſſum, tamen alios qui ad illam propiùs imitandam accedunt, nõ grauatim ſuſpiciam atq; laudabo, meque ita comparabo, vt ſine hypo- criſi in Dei timore perſiſtam, victum ac veſtitũ moderatum ſumam, luxum omnem mihi præſcindam, naturæ & corpo- ris neceſſitati potiùs quàm libidini ſeruiam, ventris carniſq; ſuperuacaneam curam abijciam, & æquo animo ſeram præ- ſentem penuriam, ſi quam ferre neceſſe ſit, aut ſi corpus ali- quando, vt ſeruus proteruus & contumax, duriùs atq; ſeu- riùs tractandum, atq; in ſeruitutem ſanctam redigendum eſ- ſe videatur. Scriptum eſt enim: *Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem. Exhibeatis corpo- ra veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Qui in car- ne ſunt, Deo placere non poſſunt. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis: viuētis.* Idemq; Paulus Timotheo diſcipulo quidem blādus, vt eum valetudinarium ad vinum modicè bibendum exhortetur, adeò ſibi ſeuerus fuit, vt apertè teſtetur: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe res probus efficiar.* Ac demùm verè pios ac germanos Dei filios à reliquis hac nota diſtinxit: *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam cru- cifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.*



DE IOHANNIS BAPTISMO ET
prædicatione.

Epiſtola ad
Iubaian.

INTER alios Patres, qui magni & incomparabilis Iohannis prophetæ laudes varias & amplas explica- runt, Cyprianus quoq; martyr, vt paucis multa com- plectatur, ita ſcripſit: Iohannes ille maior inter Pro- phetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris imple- tus, ille Elię ſpiritu & virtute ſubnixus, qui nõ aduerſarius Do- mini, ſed præcurſor & prædicator fuit, qui Dominum nõ tan- tùm verbis prænũtiauit, ſed & oculis oſtēdit, qui ipſum Chri-

ſtum,

stum, per quem baptizantur cæteri, baptizauit.] Quid verò Augustinus? Cùm is alicubi Patriarchas, Prophetas, Apostolos & Martyres nominasset, hoc addere non veretur: Nihil maius extitit in genere humano, quàm Iohānes baptista, nec in natis mulierum surrexit. Si quæris excellentiam hominis, Iohānes baptista est.] Tum Cyrillus autor est, diuinum baptistam esse, qui tanto virtutum excelluerit numero, vt ad summam humanæ iustitiæ & virtutis perfectionem peruenisse asseratur, vnde maximam de se admirationem omnibus cōcitauerit, adeoq; Christus fuerit existimatus. Ac plura id genus extāt Patrum præconia, quibus incredibilem Iohānis sanctitatem extollūt, & hunc velut terrestrem Angelum nobis admirādum simul & imitandum proponūt, quem demum & quatuor sacri Euangelistæ multis nominibus laudāt. Dolebo igitur nō iniuria, hoc electum & præcellens Dei organum, quod magnoperè in militante ac triumphāte lucet Ecclesia, mihi hæctenus in maiore pretio nō fuisse, vt maximum clarissimumq; Prophetam ex animo amarem, colerem ac venerarem. Nunc de illius baptismo & doctrina quædam ob oculos mihi ponere sit operæ pretium.

In Psal. 29.

In Iohan.
hom. 15.De baptismo
cont. Dona-
tist. lib. 5. c. 9.

Rectè notauit Augustinus, Iohānem hoc nomine Prophetis alijs præstare, quòd ad baptizandi munus vnice fuerit destinatus, vt ita Christo Domino & alijs sub Euangelica lege baptizandis viam præparāret. Ceterùm ex Euangelio clarissimè constat, quòd singulari præcepto Dei urgente, sicut ad docendum, sic etiam ad baptizandum ex eremo prodierit, illudq; munus fideliter ministrārit, plurimis hominum turbis vndiq; concurrentibus, ne publicanis quidem ac militibus exceptis, vt ab illo velut sanctissimo viro, qui Messias à populo habebatur, in aqua tingerentur. Præcipuè autem Baptistæ nomē illi est inditum, manetq; proprium, eò quòd Christum Dominum, qui solus in Spiritu sancto & igni baptizat, inter alios in Iordane flumine suis manibus baptizarit. Matthæus de illo scribit hoc pacto: *Exibat ad eum (Iohannem) Hierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem &*

Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.

Matth. 3.

Marc. 1.
Luc 3.
Ioan. 1.

Act. 1.

Act. 19.

Quæst 37.
ad Ortho-
dox.
Enchirid..
c 19.
Lib. de ba-
ptismo.

Ioan 1.
Heb. 5.

baptizabantur ab eo in Iordane, consentientes peccata sua, sicut & Marcus comprobatur. Addit & hoc Lucas, quod de baptismo suo docuerit auditores, sicut & Iohannes illis verbis magis explicat: Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Vbi non obscure distinguit inter suum & Christi baptismum, quod ille duntaxat ex aqua constaret, & circa aquam versaretur, ideoque languidus, imbecillus & imperfectus esset: hic autem virtutem conferret gratiamque; Spiritus ad sanctificandas animas, atque, ut homo ad vitam æternam regeneretur. Ita Christus etiam ipse cœlos petiturus, inter suum & Iohannis baptismum discrimen statuit, & Paulus duodecim Ephesios ab eodem Iohanne baptizatos, denuo sibi baptizandos putavit, ut nempe beneficio Christi suppleretur, quod illis ex Iohannis baptismo deerat ad gratiam spiritualem. Errant igitur Nouatores, sicut errarunt & olim Donatistæ, quod Christi & Iohannis baptismum exæquare, & efficacia prorsus cōuenire imperitè cōtendant. Ut enim Iustinus asserit, Iohannis baptismus Euangelicæ gratiæ quoddam fuit præludium, Augustinus præcursorium vocat ministerium, & perspicue scribit Tertullianus, Iohannis baptismum diuinum quidem fuisse mandato, non & potestate, nihil enim cœlestis præstabat, sed cœlestibus præministrabat. Vbi suo interim facto & exemplo nos Iohannes admonet, nulli ad sacra tractanda temerè profiliendum, sed certa vocatione, & legitima missione opus esse ad ministerium in Ecclesia rectè auspiciandum atque obeundum. Iohannes quippe docere & baptizare publicè ausus non est, nisi Dei mandatum haberet, essetque homo missus à Deo, sicut Euangelista docet, ad testimonium de Christo perhibendum. Confirmat igitur illam Pauli sententiam, ne quisquam sibi sumat honorem, sed ut futurus Ecclesiæ minister tanquam Aaron vocetur à Deo. Quanquam Iohannes non egebat manus impositione, ut cum autoritate prodiret in publicum, sed Apostolis postea visum est, ut designandi Ecclesiæ ministri manuum im-

positio.)

positionem ab Ecclesiæ præpositis peterent acciperentque, sicut Lucas in Actis ostendit. Fuit & illud nō mediocris obedientiæ opus, virum diurnæ solitudini, & perpetuæ quasi taciturnitati assuefactum, ab otio suo sancto abstractum ita in publicum pertrahi, vt innumerabili hominum multitudini, in quibus complures erāt hypocritæ & obstinati, palam concionaretur, eosq; baptizaret. Verūm difficultates omnes vicit iubentis Dei autoritas, neq; suam ille, sed Spiritus voluntatem sententiāq; sibi spectandam putauit, paratus ad mortem vsq;e, sicut & fecit, pro Dei gloria, & iustitiæ amore & bono publico fortiter laborare, vitamq; omnem profunderē. Hæc obedientia, hic zelus erat tanti propheta, qui totus ē Dei nutu spirituq; pendebat, ac neminem, ne Herodem quidem regem, in mundo verebatur, sed & superbos Phariseos impiosq; Sadducæos liberè increpabat. *Mens etenim iusti meditabitur obedientiam, & ab auditione mala non timebit, ac in æternum non commouebitur.* Sciebat utique viri constantis esse proprium illud quod Sapiens tradidit: *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsq;e ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

RELIQVVM est de Iohānis doctrina seu prædicatione aliquid addere, quòd illa nō minoris sanè momēti quam eius vita æstimari debeat, quòdq; Christi aduentum & Ecclesiam Dei vehementer illustret. Etenim qui sanctus antequam natus, & triginta propemodum annos à Spiritu diuino multis modis illustratus erat, longaq; experientia sapientiam cœlestem sibi confirmauerat & auxerat, nō poterat ille ad docendi munus, cui inde ab initio destinabatur, nō valde idoneus & habilis esse, sicut & felix rerum successus euidenter ostendit. Hoc enim ille docendo consecutus est, quod pater eius prophetico ductus Spiritu, disertè prædixit: *Ettu puer, propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Eòdem spectat Angelicum vaticinium de Iohanne, qui Spiritu sancto ex matris aluo repletus, multos filiorum Israël ad Do-

A. 13. & 6.
1. Tim. 5.Marci 6.
Matth. 3.
Prou. 15.
Psal. 111.

Eccle. 4.

Luc. 1.

Ibid.

Ioan. 5.

Ioan. 1. & 3.
Matth. 3.

Matth. 3.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

minum Deum ipsorum conuerteret, Christumq; præcederet in spiritu & virtute Eliæ, ac plebem Domino perfectam pararet, nimirum partim baptizandi, partim docendi ministerio. Quare optabo frequenter & ardenter, tales nobis prodire doctores, qualis doctorum omnium Euægelicorum speculum & exemplar Iohânes prodijt, qui sint & ipsi cum hoc viro lucernæ ardentes atque lucentes, quiq; nõ minùs exemplo quàm verbo suis præluceant auditoribus. Fatendum est autem, vniuersam Iohânis doctrinam, quæ à Deo, nõ ab hominibus profecta erat, ad quatuor ferè capita referri posse. Si enim ritè spectemus Euangelistas, docuit ille de Christo & fide in illum habenda, de pœnitētia, & operibus bonis fidelium. Utinam verò Christum ego ita cõtempler, sæpeq; mihi proponam, sicut Iohânes illum viuis velut expressit coloribus, quòd nõ sit Agnus pro tollendis mundi peccatis oblatas, & Filius Dei qui de sursum venit, & super omnes est, cui & spiritum nõ ad mensuram dedit Deus, diligens eum, & in manum eius tradens omnia, quiq; baptizat in Spiritu sancto & igni, sponsus etiam, nempe ob Ecclesiam fidelissimè sibi desponsatam, & qui suos amicos habeat ac familiares, ac demum instar agricolæ tenēs ventilabrum in manu sua, & permundans aream suam, qui sit tandem cõgregaturus triticum suum in horreum, paleas autem & arborem omnem infrugiferam exusturus igni inextinguibili. Magna sunt isthæc & notatu digna de Messia vero mysteria, quæ nobis & amorem & timorem diuinum meritò ingerant, & egregiam Christi cognitionem præbeant, si cuncta sedulo, & nõ frigide pòderentur. Deinde fidem docet ac exigit Iohannes, cùm loquitur: *Qui credit in in Filium, habet vitam aternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manes super eum.* Ecce, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus ut soluam eius corrigiam calceamenti. Nihil ergo mirum, quod Christus ipse Iudæis palam hoc obijcit: *Vos misistis ad Iohan-*

nem: & testimonium perhibuit veritati. Fuit enim ille, sicut Euangelista dixit, homo missus à Deo, qui venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Nec solùm de fide, sed etiam de pœnitentia, & dignis pœnitentiæ fructibus apertissimè docuit, vt hinc præ ceteris prædicator pœnitentiæ soleat appellari. Nam & prima huius doctoris vox est: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Siquidè satis illi non fuit, Deo Deiq; promissis credentes & fidentes habere auditores, sed eos formare voluit, qui suorum criminum pudore afficerentur, ac præsentem animi dolorem offenso Deo præstarent, ideoque sua peccata confiterentur, & dignos pœnitentiæ fructus facerent, atq; ad Dominum integrè cõuerterētur. Quod cum Pharisei & Sadducæi, vtpote arrogantes & peruicaces homines, nō facerēt, ac sine pœnitentia, sine fructu doctrinam eius acciperent, sibiq; nimium blandirentur, fiducia quadam diuinarum promissionum vana seducti, acriter illos ac publicè increpat, ac viperarum progenies vocat. Ita verò me quoq; docet Iohannes, nō solùm Dei promissis, Patrumq; & maiorum meritis fidere, sed etiam cum fide timorem & pœnitentiam coniungere, meq; filium Abrahæ vita & obediētia comprobare, nec solùm in Christum Dei Agnum & Filium credere, sed & dignos pœnitentiæ fructus præstare, vt cum publicanis, militibus, ac meretricibus per Iohānem cõuersis, offenso Deo reconcilier, ac vi quadam regnum Dei mihi vendicem. Non enim temerè à Christo dictum est: *A diebus Iohannis baptiste usq; nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Vnde Basilius Magnus cum Iohannis verba interpretatur, sapienter monet, pœnitentibus ad salutem nō esse satis, si à peccatis tantummodo recesserint, sed eis opus esse, fructus vt pœnitentiæ dignos ferant. Quam enim Scriptura mutatio appellat, hæc non solam consilij mentisq; mutationem includit, sed etiam dolorem, siue vt Paulus dixit, tristitiam quæ secundum Deum est, velut indiuiduum comitem postulat, vt homo seipsum neget, totusq; mutetur. sicut Am

Ioan. 1.

Matth. 3.

Matth. 9.
Marc. 1.

Matth. 11.

Moralium
cap. 4.

2. Corin. 7.

Lib. 2. de pœ
nitent.

Matth. 4.

Matth. 3.
& 6.

a c. 18.
b c. 18. & 33.
c Ioël 2.

d Marc. 1.
Matth. 21.

Agor. 20.

Luc. 1.

Tit. 2.

Mar. 6.
Matth. 3.

Luc. 3.

brosius docet. Quid quod Christus Iohannem suum præcur
forem planè imitatur, cum à pœnitentia orditur Euāgelium,
ac totidem verbis præcipit: *Pœnitentiam agite: appropinqua-
bit enim regnum cœlorum: quemadmodum & illam senten-
tiam Iohannis, quæ ad pœnitentiam referri quoque potest,
repetere non grauat: Omnis arbor quæ non facit fructum bo-
num, excidetur, & in ignem mittetur.* Nec dubium sanè, Iohan-
nem & Christum de pœnitentia priuata & publica, interna &
externa locutos fuisse, ac integram totius hominis conuer-
sionem requirere voluisse, sicut & Prophetæ^a Ieremias, ^b E-
zechiel & Ioël^c facere solent. Præterea pœnitentiam à fide
distingui, satis illa^d Christi verba produnt: *Pœnitementi & cre-
dite Euangelio.* qui & alibi docet Iudæos: *Publicani & mer-
trices crediderunt Iohanni: vos autem videntes nec pœnitentiam
habuistis, ut crederetis ei.* Et Paulus Apostolus se Iudæis ac Gen-
tibus testificari in Deum pœnitentiam, ac fidem in IESVM
Christum affirmat.

Neque solùm de fide & pœnitentia, verùm etiam de ope-
ribus bonis Iohannes disseruit, nō ignorans quàm sapienter
ipsius parens in suo cantico tradidisset, Messiaæ aduentum eò
destinari, *ut sine timore de manu inimicorum nostrorum libera-
ti, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus die-
bus nostris.* Hoc est, si Paulinis verbis uti velimus, *Dedit semet-
ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & munda-
ret sibi populum acceptabilem, scētorem bonorum operum.* Illud
in confessō est, Iohannem opera mala excelso spiritu repre-
hendisse, nec minùs opera bona à suis auditoribus exegisse.
Nam & vitæ suæ discrimine postposito, Herodem regem, à
quo libenter audiebatur, de turpi adulterio palàm corripuit,
& Pharisaeos, aliosque Dei consiliū spernentes, nō leuiter
increpauit, tum Iudæos plurimos, ut hypocritas & arbores
infrugiferas, quæ mox gehennæ pabulum forent, haud ob-
scure perstrinxit. Quòd autem operum bonorum ingentem
rationem habuerit, ac de illis fideliter docuerit, satis illa eius
dicta declarant: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui
habet.*

habet escas, similiter faciat. Rogatus item à publicanis, quid i-
 p̄lis facto esset opus: ita respondit: *Nihil amplius quam quod*
constitutum est vobis, faciatis. Militibus verò dixit: *Neminem*
concutiatis: neq; calumniam faciatis, & contenti estore stipendijs
vestris. Et subiungit tandem Lucas: *Multa quidem & alia ex*
hortans euangelizabat populo, ne cūcta quæ docuit, per scripta
 esse putentur, sicut etiam ex illo Christi verbo intelligi po-
 test, quod Iudæorum proceribus opponit: *Venit ad vos Iohannes*
in via iustitiæ: & non credidistis ei: publicani autem &
meretrices crediderunt ei. Proinde Iohannes noster fidum ac
 sedulum egit concionatorē, qui charitatis opera turbis præ-
 sentibus magnoperè commendauit, & iustitiæ officia, quæ
 maioribus proximisq; debentur, non minùs à profanis mili-
 tibus, quàm à vulgaribus alijs præstari postulauit, multa que
 id genus alia quæ præceptis decalogi continentur, & mora-
 lia opera dicuntur, cunctis obseruanda proposuit atq; incul-
 cauit. Præter hæc docuit itidem, vt baptizandi peccata sua
 confiterentur, vtq; sui discipuli frequenter orarent atq; ieiu-
 narent, sicut Euangelica monstrat historia, & si Tertulliano
 credimus, idem nouum quendam orandi ordinem siue mo-
 dum induxit. Quamobrem insulsum illorum errorem fu-
 giam, qui fingunt, opera bona, Deo q; grata non esse, nisi quæ
 certo Dei verbo & mandato consent, & in Scripturis expli-
 catè tradantur. Quasi verò suspecta vel inutilia opera videri
 debeant, quæ sine diuino mandato Iohannes & alij sincerè
 ad Dei gloriam instituerunt, vel quæ non præceptis, sed con-
 silijs Euangelicis consentaneè peraguntur, & cum Ecclesiæ
 vel authoritate, vel consuetudine, vel traditione congruunt.
 Nouerat sanè Iohannes triplex bonorum operū esse genus,
 quod ad veram Deo q; gratam iustitiam spectet, ieiunium, o-
 rationem ac elemosynā, sicut Christus de his tribus ex pro-
 fesso differit, & ieiunium quidem pròniuersa corporis ca-
 stigatione accipi: elemosynis autem omnem beneuolen-
 tiam ac beneficentiam proximo debitam intelligi: oratione
 demùm omnes sancti desiderij regulas cōprehendi. Per quæ

Ibidem..

Matth. 21.

Matth. 3.

Matth. 9.
Lib. 4. ad.
uerf. Mar-
cion..

Matth. 6.

Tit. 2.

Matth. 3.

Ioan. 1.

Matth. 3.

Ioan. 1.

tria etiam efficitur id quod Paulus fideles admonet, vt sobriè, iustè & piè viuant, & ea Christiana præstent officia, quæ nobis ipsis, quæ proximo, quæ Deo in hac vita debentur. Quæ propter sicut exemplo vitæ quotidianæ, ita & sermone frequenti Iohannes docuit, & mala vitare opera, & bona quæquæ; sectari, quæ non solum vtilia, sed etiam ad salutem credentium necessaria forent. *Omnis, inquit arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Parate viam Domini, & ceteras facite semitas eius: omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa: & aspera in vias planas.* Apud Iohannem Euangelistam ita docet: *Dirigite viam Domini.*

Quid multis? Prophetæ huius omnium præstantissimi atque sanctissimi vitam & doctrinam sic mihi commendatam habeo, vt inde mihi pudorem ac dolorem conciliem, quod me longo prorsus interuallo abesse videam à dignis pœnitentiæ fructibus, & præclaris operibus per illum verbo & exemplo maximè comprobatis. Quid obsecro illius tum vitam tum doctrinam fuit aliud, præterquam perpetua quædam vitiorum detestatio, & agendæ pœnitentiæ norma, & ad bene beatèquæ; viuendum seria ardensquæ; commonefactio? Quod si verum fatebor, parum ego & frigidè in agenda versor pœnitentiæ, ac dignis eius præstandis fructibus, quin potius nouis quoties die sordibus polluo conscientiam, & rarò medicinam curandis animæ meæ morbis atque vulneribus idoneam applico, ne illorum quidem temporum iustam rationem habens, quibus mater Ecclesia suis filiis pœnitentiæ disciplinam exercendam iniungit atque præscribit. Illorum verò consuetudinem mihi prorsus interdicitam putabo, qui perinde ac Pharisæi & Sadducæi, multiquæ; Iudæorum olim fecerunt, ad pœnitentiæ faciendam à Iohanne frustra vocantur, quoniam Dei bonitatis & promissis, & Sanctorum meritis nimium fidunt, vt etiam sine pœnitentiâ, sine confessione Deum sibi placatum, & peccata remissa esse confidunt, certèquæ; statuunt, se non solum Abrahamæ, immò & Dei filios esse, & propter semè Abrahamæ Christum,

stum, in quem credūt & fidunt, salua sibi omnia polliceātur. His tantū illa Iohannis placet oratio, quæ fidem exigit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: reliqua verò nō placet, aut certè nō sapiunt, quæ idem adiungit de iustitiæ officio, de timore Dei, de virtute pœnitentiæ, de pœnis peccatorum, de vltimo iudicio, & igne inextinguibili. Postremò inter alias Iohānis baptistæ virtutes, quæ plurimæ sunt & maximæ, singularem illius humilitatem ac reuerentiā erga Christum Dominū, mihi cum primis obseruandā, ac sedulò imitandam existimabo. Totam quippe vitam suam in horrida eremo traduxit, corpus innocens, vt nemo ferè alius, seuerè tractauit, ac cœlestis philosophiæ partes omnes excoluit, vt aptus præcurfor esse posset veri Messia, cuius maiestatem eximiam etiam in vtero materno conclusus, mirabiliter agnouit, & subsiliendo monstrauit, ac quodammodo adorauit. Triginta fuit annorum, cū hunc ipsum de facie ignoraret, & modestiæ causa inuisere nō auderet. Et cū præcurforium munus docendo palam obiret, de suo ministerio nunquam est gloriatus, neque Prophetæ aut Angeli nomen, vt poterat, sibi sumpsit: multò minùs Messias voluit existimari, sed velut manibus pedibusque dignitatem omnem in mundo repudiāns, vt legatis Iudæorum ad se missis aliquid responderet, sat habuit ita dicere: *Ego vox clamantis in deserto. Ego non sum dignus vs soluam eius corrigiam calceamenti*, hoc est, vt vel infimum ac vilissimum nostro Messia seruitium exhibeam. Accedit, quòd Iohānes apud discipulos & apud populum studiose curat, vbiq; seipsum ac munus suum extenuare, & quacunque ratione potest, maiorem Christo auctoritatem apud omnes vendicare, cū tamen vir summus & sanctissimus passim haberetur. Venit ad illum Christus, baptismum eius expetens: ille verò sicut Domini dignitatem extimuit, ita suam exiguitatem tanquā seruus agnouit, inquiens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*: Iussus ergo fecit nō quod voluit, sed quod debuit, cū audiuisset præceptum Domini: *Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam*. Tanta

erat

Ioan. r.
Matth. 3.
Luc. 3.
Marc. 1.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Luc. 3.

Matth. 3.

Luc. I.

erat Iohanni religio, sacrum Christi verticem attingendi, & Iordanis aqua perfundendi. Cur enim non extimesceret filius Elisabethæ matris, quæ cum grauida esset, ac Deiparam hospitio exciperet, ingenti metu concussa, sublato clamore dixit: *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Hæc mira & perpetua Iohannis humilitas, & erga Christum reuerentia singularis mihi calcar addet, partim vt qualemcunque iactantiam & elationem, vanamq; gloriam obrepentem omnino retundam, partim vt in diuino cultu leuitatem ac dissolutionem omnem excludam. Semper enim ob oculos ponam illa: *Non sum, non sum. Christum oportet crescere, me autem minui. Ego non sum dignus. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo.* Sicut & Abraham sese demittens, dixit ad Angelum: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis et cinis. Vbi enim est humilitas, ibi est sapientia,* teste Salomone.

Iohan. I. & 3

Genes. 18.
Prou. II.

DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

Luc. I.

PRECANDVS est mihi Deus, vt praeclarum & natalitium Iohannis baptista festum, quod à veteribus Theologis valde commendatur, & magno tot saeculis honore celebratur, hodie maiore in precio habeatur, & sancto spiritaliq; potius quàm carnali gaudio cohonestetur. Non enim temerè Angelus prædixit: Et multi in natiuitate eius gaudebunt.

ORABO itidem pro parentibus, magistratibus & alijs qui Christiana iuuentuti prodesse possunt, suam vt dent operam ministris & magistris Ecclesie maturè formandis, ac sedulo instituentis. Nam ex bonorum puerorum seminario digni Iohannis nomine colliguntur, qui & ipsi lucerna ardentis & lucentes fiant, Christiq; Domino plebè parent perfectã in hac mundi effata senectute.

DIVINAM quoque gratiam implorabo pro diuini verbi concionatoribus, vt secundum Iohannis exemplum non modo fi-

dei,

dei, sed & pœnitentiæ doctrinam urgeant, & magno cum fructu populi sint voces in deserto clamantes, nec verbo tantum, sed etiam exemplo suam ornent vocationem, ac perfectam Domino viam præparent.

MIHI quoq; & alijs gratiam à Deo petam ad Iohannem rectè imitandum, maxime in mundi contemptu, carnis mortificatione, pœnitentiæ studio, precandi ac meditandi cōsuetudine, præsertim verò in charitatis ac iustitiæ officijs proximo exhibendis.



IN FERIIS MAXI-
MORVM APOSTOLO-
RVM PETRI ET
PAULI.

Sequentis Euangelij Argumentum.

CÆSAREA Philippi ciuitas est, quam Philippus tetrarcha Ituræ & Traconitidis regionis, in honorem Cæsaris ita vocauit, & apud quam Christus agens, suos Apostolos interrogat, quidnam ipsi in tanta opinionum varietate, quæ de Christi persona spargebantur, de illo ipso sentiant atq; confiteantur. Vbi Petrus Apostolici ordinis vertex, princeps & caput, sicut veteres frequenter appellant, nomine sociorum omnium è vestigio responderet, Christum ipsum, quicquid alij iudicent, plus quam hominem, verumq; Messiam, immò & Deum Dei, que filium esse, dignum scilicet, qui Sanctis omnibus merito anteponatur, quandoquidem nullus præter vnum Christum naturalis Dei filius dici haberiq; potest. Vt

hinc

In 16. cap.
Matth.

Serm. 2. in
natiuit. A-
postolorum.

Ioan. 1.


hinc etiam Euthymius afferat: Solus Petrus verè Christum & natura & propriè filium Dei intellexit, quem & Hilarius primum Filij Dei confessorem esse testatus est. Cuiusmodi fides, cognitio, & cõfessio de Christo, iustificãdis quidem & saluandis omnibus cū primis est necessaria, sed quam in Petro valdè perfectam & excellentem esse oportuit, nimirū ob singulare donum Patris æterni, qui tantam lucem alijs non reuelauerat, & ob quam Christus eundem mirificè laudat, beatumq; prædicat, ac peculiaribus prærogatiuis nulli alijs communicandis exornat. Etenim ne pluribus quàm vni Petro loqui videatur, has voces luculèter adiūgit: *Beatus es Simon Bar-Iona. Ego dico tibi, quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo. Tibi dabo claues regni cœlorum. Sensus verborum est, vt Leo magnus interpretatur: Sicut Pater meus tibi manifestauit Diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam. Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, vt qui facio vtraq; vnum: tamè tu quoq; petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.] Hic igitur Petri vel Cephæ nomen Simoni primum imponitur, de quo antea ei prædixerat Dominus: Tu vocaberis Cephæ, perinde ac si hoc modo testaretur: Quia tu es Petrus, id est planè saxum, rupes & petra, in nominis mei confessione firmus & solidus; idcirco super hanc petram, id est, super te tam firmum & solidum, qui fide fideiq; confessione alijs antecellis, posthac ædificabo nouam, Christianam, & visibilem Ecclesiam ab vno ceu visibili capite gubernandam, cuius Ecclesiæ post me fundamentum dici haberiq; possis, & quæ tanquam domus supra firmam petram fundata oppugnari quidem, sed expugnari nunquã valeat, quoniam viribus & machinis dæmonum ac hominum victrix perpetuò præualebit. Demum claues regni cœlorū eidem Petro eiusq; successoribus à Christo promittuntur, vt certò constet, singularem & summam in Ecclesia potestatem esse, per quam regnum cœlorum & verè credentibus aperiatur, & indignis alijs occludatur, per*

quam

quam insuper peccata quantumuis enormia pœnitentibus remitti, simulque impœnitentibus retineri possint. Quòd verò Petrus claves regni cœlorum, sicut & principatum iudiciariæ potestatis hic accipit, præ cæteris Apostolis specialiter accipit, teste Beda. Nec dubium est, hinc promissa, Petro postea Iohânis c. 21. tradita exitisse. Hinc miratur Hilarius ita scribens: Dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset. Beatus hic est, qui ultra humanum oculos intendisse & vidisse laudatus est: non id quod ex carne & sanguine erat, contuens, sed Dei filium cœlestis Patris reuelatione cōspiciens: dignusq; iudicatus, qui quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq; ædificatione illius Petra, qui Inferni leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claves æterni aditus tradûtur, cuius terreste iudicium præiudicata autoritas fit in cœlo, vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.]

Homil. de festo præfenti.

In Euang. Matth.




EVANGELIUM MAT-
thæi XVI.



VENIT IESVS in partes Casarea Philippi: & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt, Alij Iohannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis IESVS, Vos autē quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit, Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem IESVS dixit ei, Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis non reuelauit

tibi,

tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauēs regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM ET
FESTVM.

Vos autem quem me esse dicitis?

Jerem. 17.

Ioan. 8.

Rom. 10.

1. Tim. 3.

ERTO' credam Christum cogitationes hominum intimè perspicere, & verum sciutorem esse cordium, qui suo iure dicat per Prophetam: *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Fuit ille idem ab omni semper ambitione alienus, sicut illis verbis probat: *Ego non quero gloriam meam: est qui querat & iudicet.* Quòd ergo suos interrogat discipulos, ad illorū facit vtilitatem, vt suam ipsi fidem è Magistri doctrina manantem, ac præcipuā totius fidei partem apertè profiteantur. *Corde enim creditur ad iustitiam, vt Paulus affirmat: ore autem confessio fit ad salutem.* Deinde hoc exemplo Doctores submonet, vt si muneri suscepto velint satisfacere, non solùm conscientiæ, sed etiam famę suæ rationem habeant, ac idcirco ab his etiam qui sunt foris, probatum testimonium adferant, sicut Apostolus exigit. Ad hæc magni refert, nō solùm quæ recta sunt & salutaria in medium adferre, sed etiam ab ijs auditoribus perceptę doctrinæ rationem aliquando repositi ac repeti. Proinde suos hic discipulos iampridem de multis instructos rogat Dominus,

veramq;

veramq; illorum fidem probat & ad examen reducit, vt quantum in illa profecerint, sua confessione declarent. Nihil autem vel maius, vel difficilius, ac vtilius poterat interrogari, quam quod ad veram Christi cognitionem ac fidem pertineret. Vbi etenim hæc totius iustitiæ ac salutis nostræ basis deest, frustra discuntur ac retinentur cætera; nec sine illa fidei professione viuus Christi lapis & saluus quisquam esse potest. Vbi vero illa ritè constat, bonorum omnium iactum est firmum fundamentum, ac æternæ salutis apertum ostium, Christo ipso restante: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant re solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Petrus autem Apostolus & Apostolorum omnium princeps, quem alij etiam vbique præponunt Euangelistæ, laudem hinc insignem promeretur, & suæ nunquam satis prædicatæ confessionis præmium à Christo singulare accipit, sicut nullus vnquam accepit: quando quidem suum in fide profectum euidenter ostendit, quod supra captum humanum sapiens, & vulgares opiniones omnes rejiciens, certam de Christo & eximiam confessionem adferat, ipsum nempe vnicum esse Messiam & simul viui Dei filium naturalem, quem & Pater suum dilectum esse filium voce clarissima declararat. Hanc fidem non homo, sed idem Pater Deus Petrum docuerat, mentem illius diuino Spiritu mirum in modum illustrans, nihil vt dubitaret, in Christo, quamuis homine vili, paupere & abiecto, illa cuncta concurrere, quæ ad summam Dei maiestatem & amplitudinem pertinent, & à Prophetis passim cõmendantur. Idem Petrus apud Ioannem non minus quam hoc loco apertè profitetur: *Domine ad quem ibimus? Verba vite æternæ habes, & nos credimus, et cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Græci addunt articulum: Tu es ille Christus, ille filius Dei. Quis autem hoc Petro felicior, quem & Christus ipse ore sacro beatum appellat? quid hac petra in fide firmius atq; robustius, qui sicut hoc loco intra priuatos parietes Christum confessus est, sic & postea Hierosolymis coram totius populi principibus ac senioribus hoc præclarum Christo testimo-

Ioan. 17.

Matth. 10.
Marc. 3.
Luc. 6.Matth. 3. &
17.

Ioan. 6.

Act. 4.

nium tulit: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

Hic ego termiseros planèq; infelices deplorabo Iudæos, Turcas, impiosq; omnes, qui a Petri fide & confessione alieni sunt. nec Christo, vt vero Deo & homini iuxta Christianã confessionem, suam dant gloriam, quiq; aliqua ex parte de tota Trinitate sanctissima vel apertum fouët errorem, vel tacitam dubitationem admittunt, aut demùm de nomine & honore Christi liberè profitendo suum nõ faciunt officium, quod illis verbis Christus ipse complexus est: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eam coram Patre meo qui in cælis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum corã Patre meo qui in cælis est. Quin & illi nobis lugendi sunt, qui fidem Petri viuam & ardentem non adferunt sed fatuas virgines imitantur, quæ cum crederēt ac fiderent, inaniter tantùm aiebant, Domine aperi nobis. Huc spectant, qui sunt amatores voluptatũ magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & ore quidem non factis confitentes, vt Paulinũs verbis vtamur. Proinde cum idem Petrus virtutes multas in epistola sua numerasset, quas fidei adiungere oporteat, fideles illis ipsis destitutos vocauit homines vacuos, & sine fructu, qui vera Christi cognitione careant, sintq; cæci penitus. Et horrendum eiusdem Apostoli verbum esse ducam illud: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnittonem reitorum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato. Deum quanto amplius Petrus ob suam confessionem à Christo laudatur, tantò magis ego mihi metuendum arbitrabor, cum idem Dominus ad me iudicandũ accedet, & in iudicio suo, quod nullus effugere poterit, meus erit examinatus similq; testis & iudex. Tunc reddi à me volet rationem cum aliorum à me gestorũ, tum fidei meæ, an eam intimo sim corde complexus, & fidelis semper ore confessus, vt neque peri-**

culis, neq; humano timore ac pudore vlllo fractus & impeditus, ab illa descinerim, aut in ea titubarim. Paucorum enim est profectò, persecutionis ac tentationis tempore firmam & inconcussam fidei confessionem præstare. & cum Paulo sincerè testari: *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui.* Beatus autem ille seruus, cui ab herò suo tãdem dicitur: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Vtinam & mihi cõtingat, quod Apostolo Petro non sine summa gratia obtigit, vt pro me Christus petat & impetret fidem non deficientem, solidam, perpetuam, & plenam fraternæ charitatis, vt alios etiam in fide infirmos, cum opus fuerit, ritè con firmare, & cū fructu stabilire possim. Cū quo Petro & Apostolis omnibus identidē dicam, *Domine adauge nobis fidem.*

Ego verò illorum causa dolebo maximè, qui hodie priorem huius Euangelij partem sic amplectuntur, vt reliquam cæcis velut oculis prætereant, atq; nihil ferè ad se pertinere arbitrentur. Vnde illi de Christi cognitione & fide gloriantur, seq; beatos certò statuunt, eò quòd Christum Dei filium apertè ac firmiter confiteantur. Sed enim si rectè spectes omnia, ijdem virtutem & fructum omnem fidei iustificantis & beantis amittunt, neq; Christi vel discipuli vel oues dici merentur, quia Petrum Apostolorum & Ecclesiæ principem diuinitus constitutum, actotius Christiani ouilis pastorem à Christo ordinatum indignè auerfantur. Tum à portis inferorum, id est, ab hæresibus & hæresiarchis, vt Epiphanius interpretatur, miserè superantur, quoniam extra domum Petri firmo veritatis præsidio & fundamēto nullo nitūtur, super arenam potius quàm petram fundati. Adhæc ab ingressu regni cœlestis arcentur, commissis Petro clauibus destituti, quantumuis interim clamitent, Domine, Domine. Præterea peccatorum vinculis manent irretiti, & vera Ecclesiæ membra esse non possunt, qui à Petri Ecclesiæ, & summa eius potestate, ad remissionem & retentionem criminum tradita, sunt alieni. Non illi cum Christo colligunt, qui cum Satana vni-

2. Tim. 4.

Matth. 25.

Luc. 22.

Rom. 14.

Luc. 17.

In Ancho-
rato.

Matth. 7.

Luc. 11.
Luc. 1.

Iudæi.

Matth. 23.

Num. 16.

In epist. ad
Rogarian.
& ad Ma-
gnum.In Psalmum
106. & 138.Epist. ad Da-
masum.

tatis & ordinis omnis perturbatore dispergunt, dum & dominationem spernunt, & maiestatem blasphemant. Postremo qui Petri successores in Romana contemnunt Ecclesia, & ab illa se prorsus segregant, non benedictionis, sed maledictionis & perditionis æternæ se filios esse testantur, in Dei regno, quod ad morigeras & obedientes oues pertinet, nullam partem habituri. Quibus de rebus paulò post plura nos profereamus, sicut res ipsa postulat, cōtra insanos omnes Petri ac Romanæ Ecclesiæ aduersarios: Et sunt isti quidem nō dissimiles admodum suis antiquis Patribus & Patriarchis Chore, Dathan & Abyron, qui seditiosi homines eundem Deum vnā cum Moyse & Aaron olim colebant, pariq; lege & religione cum reliquis pijs vivebant: sed quoniam aduersus Aaron summum Sacerdotem murmurare, superbire, suamq; ceruicem extollere ausi sunt, ob hoc schismatis & inobedientiæ crimen Deum adeo senserunt iratum vt omnes hiatu terræ ad vnum absorpti fuerint & deuorati, pœnasq; statim sacrilegæ audaciæ persoluerint, sicut Cyprianus etiam non semel annotauit. Quid obsecro indignius, & apud homines verè Christianos nefandum magis videri potest, quàm quod nouereligionis homines summū Christi Vicariam, verumq; Petri successorem detestandi Antichristi nomine conspurcent, & ex odio Vatiniano passim apud vulgus infament? Verùm hac ratione & insigni contumelia non efficiunt, vt à vetusti Arnobij sententiā discedamus, à quo scriptum habemus luculenter: In Christo vniuersa flumina benedicuntur vsque hodie à Petro: qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti pereat. Petrus est, inquit, Episcoporum episcopus, cui maior gradus redditur ploranti, quam sublatus est deneganti; quia nullus Apostolorum nomen Pastoris accepit.] Proinde cum Hieronymo hæreticorum malleo dicere non dubitabo: Qui cathedræ Petri iungitur, meus est.] & cui libet Sectario seu Petromastigi idem ego fidenter opponam, quod vir eximie doctus & sanctus, quem & Augustinus prædicat, Donatistæ cuidam obiecit: Sic enim habet Opratus Milëitanus: Negare

non

non potes, scire te in vrbe Roma primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorū caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur.] Et cū idem autor Romanos Pontifices ad suam ætatem vsque in medium produxisset, præclare subiunxit: Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.] Ita enim sacra vetustas rectissimè iudicauit, nec vnitatem, nec successionem Ecclesiæ veræ constare posse, nisi suus Petro eiusque Romanæ Ecclesiæ primatus attribuat, sicut nos deinde pluribus conuincemus. Aequè grauiter dixit alius è Patribus: Quisquis Petro principatū æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.]

Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.

SI vllò vnquam tempore, nunc maximè quidem Christo sapientissimo Pastorum principi, & maximo Pontifici, æternoq; animarum nostrarum Episcopo gratias agam peculiare, qui pro sua miranda prouidentia Ecclesiæ catholicæ vt optimum, ita & vtilissimum & præstantissimum, vt pote monarchicum regimen instituit atq; conseruauit, vt fideles omnes ex vnus autoritate suprema penderent, & in ijs quæ ad fidem animiq; salutem pertinent, velut ab vno capite gubernarentur. Testatur enim & Paulus, Deum ex vno fecisse omne genus hominū: & sicut Cyprianus affirmat, rex vnus apibus, dux vnus in gruibus, & in armentis rex vnus existit. Hinc ille Scripturæ mos est, vt Ecclesia rebus illis quæ ad vnum veluti caput ac originem certam referri possunt, sæpè conferatur, quemadmodum^a exercitui ordinato, vni sponsæ, vni^b regno, vniq; corpori. Et notus est locus ille^c Pauli: *Vnum corpus, & vnus spiritus: sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrae, vnus Deus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptis-*

Lib. 2. cont. Donatist

Vide & Augustin. in no. & vet. Test. q. 10.

Leo Magnus epist. 89. ad Episcopos.

Añ. 17. Tract. de idol. vanitate.

^a Cant. 6. & 4. ^b Matth. 20. & 25. ^c Ephes. 4.

Deuter. 17.
& Num. 27.

Apocal. 19.
Ephes. 1.
Colossen. 2.

Epist. ad Da-
masum.
Cont. Luci-
ferianos.

Lib. de vnita-
re Ecclesie.
Lib. 1. epist. 3.

ma. Ad hæc in veteri Testamento lege diuina sancitum erat, vt vnus omnibus præmineret, summusque sacerdos esset, quem & iudicem supremum fideles omnes agnoscerent, eiusque sententiam sub pœna grauissima sequerentur, ac velut pro diuino haberent oraculo. *Venies*, inquit, *ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* & paulò post: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël: cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Nec minores ego gratias agam Christo Domino, qui cum sit Rex regum & Dominus dominantium, & caput omnis Ecclesie triumphantis in cœlis, & super terram militantis, in nouo Testamento vnū quosque cunctis præesse voluit, & in hoc nominatim Petrum eiusque successorem loco suo Vicarium, ac totius ouilis Ecclesiastici Pastorem elegit, & in hunc vsque diem conseruauit, potissimum vt visibilis mysticique corporis quod est Ecclesia, visibile quoque caput in terris existeret, ac eiusdem corporis maior firmiorque vnitas & consensus permaneret in doctrina fidei, in dispensatione Sacramentorum, in diuini cultus exhibitione, in politie Ecclesiasticæ cōseruatione, ac demum in alijs omnibus, quæ ad religionem animique salutem pertinēt. Quomodo enim in tanta gentiū & populorū amplitudine vnitas cōstaret fidei, & religionis cōcordia permaneret, si nō ad iudicem vnum, qui natas componat controuersias, & de rebus maximis cum potestate respondeat, veniretur? Quamobrem Hieronymus dixit: Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.] ac rursum alio loco: Ecclesie salus in summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si nō exors quædam, & ab hominibus eminentes detur potestas, tot in Ecclesijs efficiuntur schismata, quot Sacerdotes.] Tūm ante Hieronymum perspicuè scripsit Cyprianus: Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur.] Nec veretur idem Cyprianus asserere, hæc

re, hæc

re, hæreses & schismata non aliunde nasci quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtēperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.] Sed & ante hunc Anacletus, qui Apostolorum vixit ætate, palàm testatus est: Licet omnes pares essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolorum.] Atque ita de mùm impleri cernimus, quod in veteri Testamento prædixerat Deus, *Suscitabo super eos Pastorem vnum.* & rursus: *Pastor erit vnus omnium eorum:* quodq; Christus ipse fore vaticinatus est: *Erit vnus pastor & vnum ouile,* sicut & Theodoretus hūc locū explanat. Eòdem spectat & illud: *Qui inter vos maior est, fiat sicut minor. & qui est præcessor.* (Græcè *ὁ μὲν & ὁ ἄλλος* id est, dux & princeps); *fiat sicut ministrator.* Quis autem obsecro, nisi cæcus, nō videat & agnoscat in Euangelio, quàm disertè Christus hunc primatum Ecclesiæque principatum, multis in locis ostenderit, remq; scitu dignam & necessariam modis varijs demonstrarit?

CUM PRIMVM Andreas fratrem suum Simonem ad Christum adduxisset, intuitus eum Dominus dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Non vacat certè mysterio, eum qui semper Simon dictus erat, à Christo Petrum & petram, (idem enim est Græcè *πέτρος* & *πέτρα*) Syriacè autem & Chaldaicè Cepham appellari, vt futura illius dignitas & principatus in ædificio Ecclesiastico designetur. Etenim Cephæ vocabulum saxum firmum, & magno ponderi sustinendo aptum significat, illiq; maximè competit, qui se in nominis Christi confessione præ cæteris firmum ac solidum demonstrabat. Quod igitur apud Iohannem promittitur, apud Matthæum exhibetur, cum Simonis nomē planè commutatur, quemadmodum nulli Apostolorum factum cernimus. An luculenta verba nō sunt, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Sicut enim Deus Abrahæ loquens, Tu vocaberis Abraham, ratio-

Epist. 3.

Ezech. 34.
& 37.Ioan. 10.
Luc. 22.

Iohan. 1.

Ioan. 1.
Matth. 16.

Genes. 17.

nem eius appellationis à futura illi dignitate ducens, statim adiunxit, *Quia patrem multarum gentium constitui te*: ita Christus hoc loco, sicut antea prædixerat, futuram Simoni dignitatem & principatum expressit, illum scilicet propterea Petrum de cætero esse vocandum, quoniam Ecclesiasticæ domus & ædificationis singulare fundamentum præstaret, vt tota cœlestis fabrica ei tanquam firmæ petræ inniteretur, ipseq; tanquam rector & pastor, fideles alios sibi subiectos dirigeret atq; sustentaret. Petrum enim primum elegit Dominus, super quem ædificauit Ecclesiam teste Cypriano. Hæc fortissima petra ab illa principali petra (Christo) communionem & virtutis sumpsit & nominis, vt Prosper inquit Aquitanicus. Tùm Augustinus Petrum Apostolorum caput, cœli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum appellat. Et Græci quidem Patres cum Latinis conueniunt, vt Origenes, Chrysostomus, Epiphanius, Theophylactus, videlicet Petrum Ecclesiæ fundamentum à Christo dici, qui tanquam saxum immobile, totius operis Christiani compagem molemq; contineat, vt etiam scripsit Ambrosius. Præclarum & illud, ac vni Petro dictum est, *Tibi dabo clauēs regni cœlorum*; ne dubitemus, summam planè potestatem illi promissam ac traditam esse, qui summum dignitatis gradum & iurisdictionis amplitudinem in Ecclesia obtinere debebat, & qui, vt Bedæ verbis vtatur, specialiter clauēs regni cœlorum, & potestatem iudiciariæ potestatis accepit, vnde & regni cœlestis ianitor à veteribus appellatur. Principalis & ordinarius ille Pastor est, præsertim quantum ad autoritatem remittendi peccata, & potestatem conferendi Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ pertinet, & cui demum totius Ecclesiæ plena & primaria cura vt nulli Apostolorum, commissâ est. Rursus huic soli demandatur à Christo *Simon Ioannis, pasce oues meas, pasce agnos meos*; idq; tertio repetitur coram Apostolis omnibus, vt apertè constet, Petrum eiusq; successorem fidelium & Episcoporum, cæterorumq; antistitum; quocunq; illi munere & dignitate fungantur, pastorem ac moderatorem esse supremum, cui Christus

Epistol. ad
Quint.
Lib. 2. de vo
catione gēt.
c. 9.
Epistol. ad Ca
sulan.

Sermon. 47.

Homel. in
fest. Pet. &
Paul.

Ioan. 21.

non promiserit solunt, sed & ante suum in cœlos ascensum tradiderit curam omnem Ecclesiæ vniuersalis, quemadmodum Synodorum decreta, & Patrum testimonia luce clariùs comprobant. Quòd autem ille à Christo iubetur pascere, tantundem valet, ac si regere moneretur, quoniam hæc duo Scriptura confundit, & alterum pro altero sæpè accipit. *Reges eos*, inquit Psaltes, *in virga ferrea*; vbi Hebræi legunt pascere; & Cyrus rex ab Isaia pastor appellatur. Quod igitur à Iohanne scribitur *uisuauis*, significat, regendo & præsidendo pasce, sicut & Augustinus ait, quòd Christus oves suas pasce, id est, docendas regendasq; Petro commiserit; quando & Homerus regem Agamemnonem *πολιτευσαύην*, id est, pastorem populorum frequenter appellat. Ex quo Euāgelij loco confirmandæ fidei meæ certum capiam argumentum; & cum Augustino ingenuè dicam, Tenet me (in Ecclesiæ gremio) ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pasce oves post resurrectionem suam Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.] Arque huc spectat quod monet Cyprianus, Christum hinc suam implere promissionem; *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*, quodque notat Theophylactus, Petro, nõ alijs, præfecturam ouium per vniuersum mundum assignari. Eximia quoque; nec alijs Apostolis communicata laus est, quòd Petrus Christum adeò sibi fauentem & sollicitum procuratorem habeat, vt ipsi soli coram alijs omnibus dicatur in vltima cœna: *Simon; Simon, ecce Satanas expe- tiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Etenim specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur (Leonis Magni verbis vtar) tanquàm aliorum status firmior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur.] Nec dubium, Christi preces pro Petro factas, magisq; quàm socijs alijs eiusdem necessarias, tam efficaces fuisse, vt pro sua reuerentia sit exauditus, & hinc puræ sanctæq; fidei fructus, qui primùm in Petro splenduit, ad eius porrò Ecclesiam per-

Psal. 2.

Isai. 44.

Ioan. 21.
In eund. lo-
cum.Iliados
lib. 2.
Contra epi-
stolam Ma-
nichæi. c. 4.Lib. de vnita-
te Ecclesiæ.
In c. 2. i. Ioã.

Luc. 22.

Serm. 3. de
die annuer-
sario assupt.
sua.

Hebr. 5.

uenisse, atq; in illa ipsa incorruptè seruari. Non enim defecit, nec deficere potest siue fides Petri, siue Ecclesia eius, sed contra portas inferorum stat inexpugnabilis, vt hæreticæ perfidiæ ac impietatis labe nunquã inquinetur. Quòd si aliorum Apostolorum spectes Ecclesias, in quibus illi docuerunt, defecit illis planè fides, & partim cum Turcica, partim cum hæretica infidelitate commutata est, vt portas inferorũ illic iam præualuisse certo certius experiamur. Quocirca Irenæus Apostolicorum temporum vicinus, & egregius Christi martyr scribere nõ veretur: Ad hanc Ecclesiam (à Petro & Paulo fundatam) propter potentiorem principalitatem necesse est omnem cõuenire Ecclesiam, hoc est, (ut ipse inquit) omnes qui sunt vndique fideles, in qua semper ab ijs qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.] Et Cyprianus quoque martyr eandem Ecclesiam principalem, Petri cathedram, radicem & matricem Ecclesiarum, ad quam perfidia accessum habere non possit, euidenter appellat, eamq; in fide fortem esse pronuntiat. Quam tanti quoq; facit Augustinus, vt apertè fateatur: In Romana Ecclesia semper viguit Apostolicæ cathedræ principatus.] Accedit quòd Evangelistæ constanter hunc morem obseruent, vt cùm Apostolos recensent, primas quidem Petro tribuant, eumq; alijs antepont, non ad ordinem sanè temporis vel ætatis, sed dignitatis respicientes. Vt enim Ambrosius docet: Prior secutus est Andreas Saluatorem, quàm Petrus, & tamen Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.] Et pulchrè Chrysostomus Petrus os facit Apostolorum, quòd ille horum omnium nomine loqui cum Christo soleat & interrogare, nullusq; cum Domino crebrius agat ac familiarius. Præterea vbi sedet obsecro ac docet Christus, nisi in Simonis nauis? rogans enim vt à terra illam ipsam subducat, per illum colligit amplissimam piscium multitudinem: illius piscatione maximè delectatur. Quare tradit Ambrosius: Hanc solam Ecclesiæ nauim ascendit Dominus (cùm duæ essent naues propositæ), in qua Petrus magister est constitutus. Præludebat enim hac ratione

Lib. 3. ep. 3.

Epistol. ad
Cornel. &
de vnitare
Ecclesiæ.

Epist. 162.
Matth. 10.
Marc. 3.
Luc. 6. 9. &
10.

1a 2. Ep. ad
Corin. 12. c.

Homel. 55.

Luc. 5. & ibi.
dè Ambros.

Christus, Petri studio & labore futurum, vt homines veluti pisces fluctuantes, ex huius mundi pelago ad veram Ecclesiam & portū æternæ salutis adducerentur, & quòd Petri quidem Ecclesia primaria sibi maximè fauentē, ac in Petro benedicentem vsq; haberet suum nauclerum, ac fidum gubernatorem. Nec temerè Patres obseruârunt, vt Origenes, Chrysostomus & Hieronymus, ad singularem Petri honorē pertinere, quòd iubeatur pro se & pro Domino ijs qui tributum exigebant, staterem, id est, duos denarios pendere, eoq; tacitè significatum est, Petrū alijs collegis anteferri, qui voce Christi caput ac princeps faturus erat omnium. Iam verò post Christum in cœlos assumptum Petrus suo non deest muneri, sed sicut bonum & vigilantem pastorem decebat, vnus omnibus in eâdem domo conclusis cōcionatur, & ad Iudæ successorem eligendum hortatur, remq; totam cura & industria singulari perficit. Postquàm verò vnà cum alijs repletus est Spiritu sancto, primus in medium ille prorumpit, & Euangelicū rete in vasto velut mari laxat, omniumq; sociorum nomine promulgat Euangelium, nec solū apud populum, ex quo multa hominum millia Christo lucrifacit, sed etiā coram Iudaicis magistratibus potentem oratorem ac excellentem Theologum publicè profitetur ac præstat, nullum vt sibi parem haberet ex vniuersis. Primus ipse non modò Iudæis, sed etiam Gentilibus præstat Ecclesiasten, sicut illum Deus cœlesti visione commonefecerat. Primus ab illo baptizatur centurio Gentilis, vt primitiæ Gentium, velut nouæ creaturæ ad Euangelicam receptæ gratiam, Deo dedicentur ac reconcilientur. Primus ille ad patrandum accedit miraculum, cū pedes claudo Hierosolymitano restituit integros: quod primum Petri miraculum etiam Augustinus agnoscit. Primus insignem hypocrisin Ananiæ & Sapphyræ detegit, corda & cogitationes hominum perspicit, & auctoritatem Apostolicam in occulto etiam crimine castigando demonstrat. Vndique in Ierusalem adducuntur ægroti, quos Petrus duntaxat vmbra sua depellit, omniq; morbo potenter liberat. Ambrosius apertè fate-

Matth. 17.

Act. 1.

Act. 2.

Act. 4.

Act. 10.

Act. 3.

Homil. 2. de
fest. præf.

Act. 5.

Eodem cap.

Serm. 47.

tur,

Homil. 3. in
Acta.

Act. 15.

Epist. 11. ad
Augustin.

Homil. 21.
in Acta.

Galat. 1.

Epist. ad Au-
gustinum.

Galat. 1.

Can. 39. ex
Arabico in
Latin. con-
uers.

tur, Petrum in nationibus fidei fundamēta posuisse; & Chry-
sostomus admonet, quòd agnoscens Petrus creditum sibi à
Christo gregem, in hoc choro princeps est, & vbique primus
omnium incipit loqui. Cùm aliquando ventū esset ad Con-
cilium Hierosolymis celebrandum, & inter se consultarent
Apostoli de obseruatione legalium, primus loquitur Petrus,
remq; definit tanquam princeps decreti, vti affirmat Hiero-
nymus. In summa, vbique Petrus primus inuenitur, quando
eligendus est Apostolus, quando respondendum Iudæis, nō
esse Apostolos ebrios, quando curandus est claudus, quan-
do concionandum, quando agendum est aduersus princi-
pes, quando aduersus Ananiam, quando ab vmbra fanatio-
nes fiebant, vt Chrysostronus annotauit. Nec piget Paulum
relictis negotijs alijs Hierosolymam ascendere, vt videret Pe-
trum. Dignum enim fuit, si Ambrosio credimus, vt eum vi-
dere cuperet, qui primus erat inter Apostolos, & cui Salua-
tor curam Ecclesiarum demandauerat. Vt hinc etiam Hiero-
nymus dixerit: *Tantæ Petrus autoritatis fuit, vt Paulus in E-
pistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam
videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.*

His & alijs prerogatiuis quas omnes recensere non atti-
net, Christus Dominus Petrum insigniter decorauit, eumq;
lectissimum Apostolum, & Apostolorū caput ac principem,
primumq; Christianorum Pontificem, & supremum totius
Ecclesiæ Pastorē in terris effecit, nec illi solū, sed eius quo-
que successoribus non solū honoris dignitatem, sed pri-
matus quoque autoritatem concessit. Cur enim nos pudeat
aut pigeat Patrum vestigijs insistere? qui in celeberrimo, &
primo Concilio Niceno collecti, vno velut ore ita sanxerūt:
Ille qui tenet sedem Romæ, caput est & princeps Patriarchar-
um; quando quidem ille est primus, sicut Petrus, cui data est
potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos
eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cun-
ctos populos, & vniuersas Ecclesias Christi. Et quicumq; con-
tradixerit, à Synodo excommunicatur.] Nec dubitat Euse-

bis Cæsarensis dicere, Petrum Christianorum Pontificum esse primum, omniumq; Apostolorum probatissimū & maximum, primorum principem, & ducem ac magistrum militiae Dei. Testatur & Gregorius Nazianzenus, Petrum vnum ex omnibus discipulis electum esse, cuius curā ipsa Fidei fundamenta commissa sint. Vocat eundem Ambrosius à Christo prælaturum omnibus, & tanquam Vicarium in terris relictū. Quis obsecro è sanctis Apostolis primis Ecclesiæ columnis cœlesti illuminatione præuentus & imbutus, tam clarū & sublime de Christo mysterium agnouit atq; confessus est: vt idcirco. ^a Athanasius & ^b Chrysostomus, asserant, quòd Petrus primus omnium Christi cognouerit diuinitatem, & ^c Hilarius illum Filij Dei confessorem primum appellet. Quis itidem Apostolorum, si verum fatebimur, Dominum IESVM maiore charitatis affectu complexus est, illumq; dilexit ardentius, ac vicissim à Christo magis ornatus, & ampliore dignitate cohonestatus est: An quisquam grauius ac longius cum hæretico decertauit, quàm Petrus cum primo hæresiarcha, omniumq; hæreticorum principe, vt eum Irenæus vocat, Simone mago congressus est: quoniam is nō modo Cæsarem, sed & totum ferè orbem suis præstigijs dementabat. De quo Simone, quem Petrus tandem Romæ, Christo inuocato, retudit, atque disiecit, veteres apertè testantur, Egesippus, Clemens, Arnobius, vt posteriores omittam, ex quibus Augustinus clarissimè scripsit: In vrbe Roma beatus Apostolus Petrus Simonem Magum, vera omnipotentis Dei virtute exiit.] Hieronymus in hunc modum: Simon Petrus ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit.] Quis Pontificum in hunc vsque diem succedentium suam Christo fidem diutiùs ac illustriùs comprobauit: quoniam ad vigesimum quintum vsque annum in Sede Romana Episcopus perseuerauit, vel vt idē Hieronymus inquit, Cathedrā Sacerdotale tenuit vsque ad vltimum, id est, decimum quartum Neronis annum, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, sicut ipse postulauerat, ne exæquari Domi-

In Chronico, & lib. 2. histor. c. 14.

Oration. de moderatone in disputatio.

In c. vlt. Lucæ & c. 1. ad Galatas.

a Serm. 4. cōt. Arian.
b In 16. cap. Matth.
c Ia Psal. 121.

Act. 8.

Lib. 1. c. 20. & initio lib. 3.

Libro de hæresib. c. 1.

De viris illustribus.

1. Cor. 15.

no videretur, quemadmodum Egefippus, Origenes, Eusebius & Damafus apertè confirmant. Paulus quidem plus omnibus Apostolis in spargendo Euangelij semine laborauit, & Gentium Doctor meritò celebratur: sed quis obsecro præter Petrum, plures in Dominicâ messiem extrusit operarios, ac plures passim Episcopos instituit, qui prima fidei nostræ iacerent fundamenta? Quis Alexandrinæ Ecclesiæ Marcum, & Antiochenæ Euodium præbuit antistitem? Vnde Italia Ra-uennæ Apollinarem, Acquicolis Marcum, Lucæ Paulinum, Aspren Neapoli, Prosdocimum Patauij, Iulianum Cenomanis, Epaphroditum Terracinæ Episcopum primum accepit, nisi ab hoc Petro, qui eos omnes instituit & ordinauit? Quis dedit Siciliae Pancratium, Martianum, aliosq; plures episcopos, quibus Philippum licet annumerare? Petrus profectò dedit. An Gallia huic Apostolo non ferre debet acceptos primos illos Episcopos Memmium Catalauni, Sixtum Remis, Frontonem Petragoricæ, Saturninum Tholosæ? Idemque Petrus Germaniæ nostræ non desuit, sed ad illam fidei luce illustrandam, ne diutiùs maneret in tenebris, charos misit discipulos Maternum, Eucherium & Valerium, ex quibus primos constituit Episcopos Treuirenses, Colonienfes & Tungrenses, vt veteres ac fide digni narrât Annales. His Episcopis Beatum Heluetiorum primum Apostolum, & eundem Petri discipulum & presbyterum fas est aggregari. Extat Innocentij Epistola, quæ disertè tradit, nullum Apostolorum in Hispania vel Gallia populum Gentilium docuisse, sed illos tantum, quos in eas regiones Petrus Apostolus destinauit.

Ad Decentium.

MIRABOR igitur, & mirando ingemiscam, remque piorum omnium lacrymis prosequendam putabo, quòd nouæ religionis homines tam parui æstiment tot tantaq; beneficia & priuilegia, quæ Christus summa quadam benignitate Petro concessit, & per illum in Ecclesias plurimas copiosè diffudit. Hunc ab optimis maximisq; scriptoribus, in nouo & Euangelistis celebratum, nunc primum in ordinem redigere student, & exiguo vel nullo honore dignantur. Adcòque tanta

quo-

quorundam Sectariorum est impudentia, ut laudatissimi Petri virtutes prætermittant, lapsus autem & peccata ex Evangelio studiosè coaceruent, vulgòq; inuidiosè ob oculos ponant. Petri verò primatum, claves, ecclesiam angue & canepius oderunt, quòtquot malè volunt Catholicæ religioni: tum quicquid ad cathedræ Petri laudem & auctoritatem spectat, id ad regnum & characteres Antichristi non minùs virulenter quam seditiosè & contumeliosè referre contendunt. Breuiter ex petra & fundamento Ecclesiæ, sicut veteres Christum in Evangelio loquentem intelligunt, isti petram scandali faciunt, & lapidem offensionis, non dissimiles quidem Iudæis rabiosis ac perfidis, dum Christum ipsum in suo Vicario contemnentes, perpetuò clamitare videntur: *Nolumus hunc regnare super nos.* Quid istuc, quæso est aliud, quam diuinum violare præceptum, quo sancitum est, *Principi populi tui non maledices?* Sic nouus hic mundus Deum in glorioso hoc Apostolo prædicat, immò multis modis dedecorat, nosque tam illustri quàm necessaria nota priuat, qua si vnquam antea, hunc maximè Catholicum à non Catholico discernere oportebat. Ego verò si de vilo alio magistro, doctore, pastore, martyre vel Apostolo, certè de Petro ipso reuerenter sentire & loqui consuescam, & quoad viam, nò modò personam eius, sed etiam potestatem singulari veneratione prosequar, utpote quem Dominus ac Deus meus præ cæteris discipulis, quos vnquam habuit, mirabiliter honorauit, ac suis ouibus honorandum præposuit ac reliquit, ut sine illius clauibus in regnum suum neminem intrōmittat. Nec mihi solum, sed & Catholicis omnibus hinc sanctè gloriandum putabo, quòd in Petri nauis inter sæuissimas tempestates hoc æuo nauigemus, quòd q; tot hostium insidijs & machinis circumuallati, huic firmissimæ petræ, quæ nobis ad certum præsidium diuinitus est constituta, firmiter adhæreamus. Quis ergo vel inuitis Petromastigis nos separet à Petri Ecclesiæ teniper inuicta, verèq; Apostolica: cuius fides in toto mundo in de à Pauli tempore annuntiatur, cuius auctoritate C

Luc. 19.

Exod. 22.

Rom. I.

Lib. 3. cap. 3.

cœcumenica cōgregantur atq; confirmantur, cuius iudicium de maximis fidei rebus semper ualuit, cuius cathedra caput, mater, radix & magistra Ecclesiæ tot seculis est agnita, ad quam demum propter potentiorẽ principalitatem, ut iterum sequar Irenæum, fideles omnes concurrere necesse est, modò turpissimam schismatis vel hæresis notam effugere cupiant.

Ioan. 11.
Matth. 26.

Sed clamitant aduersarij, nunc deesse Petrum, & Successores eius à prima integritate & sanctimonia procul diuississe, nonnunquam & criminibus inquinari. Quid tum postea insigniter sceleratus fuit Caiphas, sed tamen quia Pontifex erat anni illius, Spiritu sancto ad prophetandum incitante minime fuit destitutus. Peccauit & Petrus nõ leuiter, cum Christum Dominum ter abnegauit: nec idcirco illi perijt primatus autoritas, quam illi Christus integram conseruauit. Enormiter peccarunt præpositi synagogę super Moyse cathedram sedentes, atque spiritualia gubernantes: & tamen penes illos docendi ac regedi mansisse ius Christus ipse commonstrat.

Matth. 26.

Matth. 23.

Omnia quaecumque dixerint uobis, ait, seruate & facite, secundum opera uero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Valeat antiquus & damnatus error Donatistarum & Apostolicorũ: hos Augustinus & Bernardus rectè coarguunt, quandoquidem Apostolicam Ecclesiam illis attribuebant, quibus uita esset Apostolica, nec uidebant, incertam prorsus fidem ac salutem nostrã fore, si illã ex uita & sanctitate rectorum ac ministrorum ponderemus.

Luc. 22.

Suus ergo cathedrę seruandus est honos, quomodo cunq; uiuat qui in ea præsidet, qui certe propter cathedram iuxta diuinam ordinationem hoc habet priuilegium, nullam ut hæresim profiteatur, nullumq; in fide defectum sentiat, quandoquidẽ orauit & exorauit Christus, ut ne Petri fides deficeret, qui suos fratres in uera doctrina debet ubiq; gentium confirmare. Proinde his obtretrato ribus, qui malorum Pontificum uitia libenter numerant, cum Augustino fidenter illud opponam: Si omnes per totum orbem tales essent, quales uanissime criminariis, cathedra quid

Lib. 2. cont.
lirer. Petili.
cap. 51.

fecit

fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedet, & in qua hodie Anastasius (vel Clemens VIII.) sedet? Quare appellatis cathedram pestilentia cathedram Apostolicam? Et concludit tandem: Hæc si cogitaretis, non propter homines quos infamatis, blasphemaretis cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Tum alibi de hac ipsa cathedra & Ecclesia Romana loquens, aperte testatur: Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum portæ. Nec dissentit Hieronymus inquit: Quicumq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Igitur ô miserandâ summæq; nobis deplorandam tot mille animarum stragem atque perniciem, quæ si ob nullum crimen aliud pœnam demereretur æternam, saltem ob summi Pastoris contemptum à summi Dei regno seipfos excluderent, & gehennam ignis non possent effugere, partem cum electis & obedientibus Christi Petriq; ouibus nunquam habituri. Ac nisi cæci essent, viderent sanè, quo se crimine obstringant parricidæ & matricidæ, & quotquot de mum in Ecclesiasticam hierarchiam, & reliquam totius corporis Christi compagem dissoluendam inuolant: hac enim semel vel negata vel amissa, indissolubilem animorum fidelium, Christianæq; doctrinæ vnitatem atque coniunctionem rumpi atq; dissolui necesse est. Sed surdis canit hoc Cyprianus: Non pertinet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. habere iam non potest Dominum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

Postremò in hoc summo Apostolo & Apostolorum principe nihil magis ego, quam incredibilem modestiam humilitatemq; mirabor, ac simul imitari contendam. Is enim, vt pauca è multis repetam, conspecto Dei miraculo in captura piscium, quam Lucas describit, ita sese demittit, vt ad magistri genua supplex procideret, seq; illius conspectu iudicaret indignum, ac diuinam eius præsentiam extimescens diceret, *Exi à me, quia homo peccator sum.* Cùm verò Christus discipulorum pedes lauare instituisset, solus Petrus tâta personæ seruiantis maiestate deterritus, oblatum recusat ministerium ac

In Psalmum
cont. part.
Donati.
Epist ad Da-
masum.

Lib. de vnita-
te Eccles.

Luc. 5.

Ioan. 13.

Aët. 9. & 3.

Galat. 2.

Aët. 4.

Luc. 22.

Homil. de
festo.

velut horrore concussus, *Domine, inquit, tu mihi lauas pedes: non lauabis mihi pedes in eternum.* Iam verò post Christum in cœlos assumptum, cum reliqui ab illo ceu capite penderent, ipseq; pastorem Ecclesiæ summum ageret, non aliò quàm ad Simonem coriarium petendi hospitij causa diuertit, tamque diues fuit, vt diceret, *Aurum & argentum non est mihi.* Ad hæc sese à Paulo palàm argui sustinuit, nec grauatim passus est, quòd ab alijs Apostolis in Samariã mitteretur. Adeò memor hic fuit sententiæ, quam à Christo humilitatis omnis magistro acceperat, suoque pectori semper gerebat infixam: *Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior: & qui precessor est, sicut ministrator.* Demum ad supplicium crucis à crudelissimo Nerone damnatus, ex nimia humilitate, (sic enim loquitur Maximus) æqualitatem crucis Dominicæ declinavit, poscens se verso corpore crucifigi: quòd indignum se esse diceret, qui ita vt Christus Dominus moreretur. O mortis genus acerbum, præsertim in sene, sed tantò pretiosius & acceptius Deo, quantò maior tum amoris tum humilitatis Petri erga Christum affectus accessit, virique sanctissimi mortem impensius commendauit.



DE VSV FESTI BEATORVM PETRI
& Pauli Apostolorum.



PX præsentè festo die, qui orbe toto Christiano est, nostrisq; maioribus vsq; fuit percelebris, ego spiritualem lætitiã concipere, & præ me ferre conabor, vt eò rectius Deum æternum prædicem cum Ecclesia vniuersa, quæ in duobus primarijs Christi Apostolis Petro & Paulo per immanem Cæsarem atq; tyrannum Neronem occisis, vehementer exultat. Fuit annus ille septimus & trigessimus post Domini mortem, decimus autem quartus & vltimus imperij Neroniani, ac idem planè dies, quando Petrus cruci affixus, & Paulus gladio cæsus, immortalem Apo-

stolatus

stolatus & Martyrij lauream simul in cœlis obtinuerunt. Fabulentur vtut velint historiographi noui, qui per summam impudentiam Petrum Romæ fuisse, post hominum memoriam primùm audent inficiari, velut ille Romæ nec docuerit Euangelium, nec patrarit miracula, nec in crucem suffixus fuerit, sed nescio vbi vitam suã cum morte cōmutãrit. Igitur ne quis credat istis impostorib⁹, è multis paucos dabo melioris fidei testes atq; scriptores, & in primis Paulum Orosium, qui ad Augustinum perspicuè scribit: Exordio regni Claudij Petrus Apostolus Domini nostri IESU Christi Romam venit, & salutarem cunctis fidem fideli verbo docuit, potentissimisq; virtutibus approbavit, atq; exinde Christiani Romæ esse cœperunt.] Tum Eusebius Cæsareensis autor grauis, qui præcessit Orosium, non minùs luculenter affirmat: Salutaris prædicationis verbo primus in vrbe Roma Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit.] Vetustior adhuc est Tertullianus, cuius testimonio Ecclesia Romana à Petro & Paulo fundata, & foelix prædicatur, eò quòd Apostoli Petrus & Paulus Romæ doctrinam cum sanguine suo profuderūt.] Profuderunt autem ambo Romæ docentes, & vno eodemq; tempore simul martyrio coronati, sicut Dionysius Corinthias, qui centum annis pòst floruit, Romæ scriptum reliquit, vt idem Eusebius comprobat. Confirmat hæc omnia Egesippus Apostolicorum temporum planè vicinus. Erant, inquit, Neronis temporibus Romæ Petrus & Paulus doctores Christianorum sublimes operibus, clari magisterio: qui virtute suorum operum Imperatorem aduersum se commouerant, captum magi Simonis deliramētis, qui sibi animum eius conciliauerat.] Quibus verbis euidenter apparet, non modò Petrum & Paulum Romæ, vt præclari nominis viros, sub Nerone Cæsare docuisse, sed etiam eundem principem sibi infensum & infestum habuisse ob hominem deterrimū, sed Neroni familiarissimum Simonem Magum, qui diuinos honores sibi voluit exhiberi, & cuius igne quadrigè ad Christi inuocationem Petri ore conflata, si Arnobio credimus,

Lib. 7. hist.
cap. 6.

Lib. 2. hist.
c. 4.

De p̄script.
hær.

Lib. 3. de ex-
cidio Hiero.
fol. c. 2.

Lib. 2. cont.
Gentes.

Serm. 2. de
Pet. & Pau.

causam præbuerunt, vt Roma tandem ad Christum conuerteretur. Ego verò non video, quibus epithetis hos duos Apostolos rectius ac succinctius exornem, quam quæ mihi Petrus Damianus alicubi suggerit, cum eosdem vocat duos Apostolorum principes, Ecclesiæ luminaria, martyres summos, legis doctores, sponsi amicos, sponsæ oculos, gregis pastores, mundiq; custodes, qui hodierna die cœlestia regna feliciter martyrio conscenderunt. Alter est princeps regni cœlorum, inquit, alter raptus ad tertium cœlum, alter Iudæis prælatus, alter Gentibus datus: in vita socij, consortes in morte, in corona pares, æquales in gloria, iudices orbis, Domini confessores. Quod autem hic Damianus, alijq; plures D. Paulum Apostolorum principem faciunt, id præcellenti dignitati Petri, quam ille à Christo sibi delatam habuit atq; confirmatam, neutiquam derogat: quoniam vnum Ecclesiæ caput summumque pastorem ouium Christi esse, sicut multis ostendimus, necessesse est, ac totus Patrum chorus vno uelut ore assueerat, solis interim reclamantibus Acephalis, qui vnitatis Ecclesiasticæ nocentissimi sunt perturbatores. Tenet interim Paulus quemdam, vt sic dicam, principatum inter Apostolos, vt illorum etiam princeps dici queat, quandoquidem à Christo in cœlis regnante vocatus, inter angelos didicit ea quæ hominibus in terra prædicaret, & in pluribus prouincijs fidem Christianam docendo tam latè plantauit, vt Doctor Gentium non immeritò appelletur, qui & longissimum tractum, utpote à Ierusalem vsque ad Illyricum Euangelio cuncta repleuit, & in hoc verè Apostolico negotio plus omnibus alijs ac abundantius laborauit: tum conscriptis pluribus Epistolis, quæ adhuc extant, se notiores orbi reddidit, non iniuriâ per antonomasiam Apostolus passim nominatus, alijsq; Apostolis doctrina & sapientia, quam Petrus illi quoq; largitur, præstare iudicatus.

Rom. 14.

1. Corin. 155

2. Pet. 3.

C O N S T A T igitur hos duos Apostolos, rectè aliorum principes dici atq; honorari, quos primos Christianorum Patriarchas, & præcipua duo mundi lumina meritò dixerim, &

in qui

in quibus Deum nunc maximè glorificabo. Etenim per hos veluti coriphæos Christiana religio suum sumpsit exordium, & longissimè per omnium gentium regiones propagata est, & quod admirabilius ducam, inter sauos motus ac hostiles plurimorum impetus tot sæculis inuicta perdurat. Expandunt illi sua retia, licet nullius pretij homines mūdo viderentur, vt hominum fierēt Piscatores, sicut illis Christus demandārat, tantamq; Iudæorum & Gentium veluti piscium innumèrabilium ceperunt multitudinem, vt multæ amplæq; naues complerentur, ac ipsi religionis nostræ aduersarij satis non possent admirari, quum viderent sanguinem Martyrum semen fecundum esse Christianorum. Iam horum duorum vocatio, vita, doctrina, professio, patiētia & mors incōspectu Domini pretiosa, & coram hominibus tam præclara fuit, vt à nullo pro dignitate prædicari possit, quoniam nō solum prima fidei nostræ, qua nihil incredibilius videbatur, in orbe vasto fundamenta iccerunt, sed etiam primis & grauissimis certaminibus superatis, de nefarijs hostibus victoriam amplissimam reportarunt: tam potens & efficax Christi spiritus in illorum dictis & factis operabatur. Eòq; maior & vberior occasio mihi suppetit, vt ad festum hoc ritè celebrandum diuinam admirer sapientiam, & his propositis Apostolis ex animo gratuler, qui sicut in vita fuere coiunctissimi, sic in morte quoque non sunt separati, sed vno die, eodem in loco, & sub vno tyranno, sicut notauit & Maximus, vitam sanctissimam glorioso prorsus sine terminarunt. Præclarum quidem illis initium obtigit, cum alter piscator inops, perfecta confessione sua in Christi schola discipulus primus euasit, alter verò è sauo persecutore in Vas electionis assumptus, Doctorē Gentium summo cum fructu præstitit. Quam felix autem vtriq; finis obtigit militiæ spiritualis, quando post longum arduumq; conflictum iustam victoriæ coronam in cœlis amplissimam retulit, ac in terris etiam obtinuit, vt ad memoriam piscatoris (sic enim Augustinus loquitur) nunc etiam flectantur genera Imperatoris, & Dominus non solum ex piscatore fa-

Matth. 4.

Homel. 5. de festo.

A&. 9.

Homil. 3. de festo.

ciat Apostolorum principem, sed etiam ex persecutore constituat Apostolicum Confessorem. Nec temerè factum putabo, ut illi vitam amittant, atq; ad mortem à Nerone damnentur, nimirum ut eò magis crudelissimi tyranni sauitia illorum virtutem ac innocentiam illustret ac augeat, certamq; simul consolationem futuris Martyribus aliisque fidelibus præbeat, cum vident, suos veluti duces ac principes tam durè & acerbè ab illo tractari, qui ob summam immanitatem à suis etiam Ethnicis bellua potius quàm homo iudicatus est, & primus Imperatorum in Christianos diram cruentamque mouit persecutionem. O si mihi etiam indigno contingat, horum Apostolorum exemplo patienter ob iustitiam pati, vitam presentem qua nihil fragilius, contemnere, mortem Deo gratam expetere, meque ad Felicem exitum præparare, quemadmodum illi futuræ mortis præscij, diligenter sese haud dubiè præpararunt. Nam de Petro legimus, quòd imminentis mortis suæ non fuerit ignarus, sed apertè scripsit: *Certus sum quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster IESVS Christus significauit mihi.* Et Paulus itidem suum admonet Timotheum: *Ego iam delibor. & tempus resolutionis mea instat.* Ac alio loco suum exponit desiderium, ut dissoluatur & cum Christo uiuat. *Mihi enim, ait, viuere Christus est, & mori lucrum.* Ego certè non malè ad mortem instruar, si probè in fide fundatus, & relictis rebus, id est, amotis vitiorum impedimentis & occasionibus, vnà cum Petro dixerò: *Domine laua mihi non tantum pedes, sed & manus & caput. Domine iu scis, quia amo te. Domine saluum me fac:* si præterea dolorum aculeos, qui mortem præcurrunt, generosè cõtemnã, & cum Paulo fidenter illud mihi sumpsero: *Libèter gloriabor in infirmitatibus meis. Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum quia neg, mors, neg, vita, neg, creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Quòd si adhuc in terra illi positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo, sicut Bernardus loquitur, quid non poterunt viuentes hodie cum Christo in

2. Pet. 1.

2. Tim. 4.

Philipp. 1.

Matth. 4.
& 19.

Ioan. 13.

Ioan. 21.

Matth. 14.

2. Cor. 12.

Rom. 8.

Sermon. de
Pet. & Paul.

aeterna

æterna felicitate? Quocirca hodierno die mihi curandū est, vt hos ipsos cœli terræq; principes ex animo venerer atque colam, quandoquidem non solum vrbis Romanæ, verum etiam totius per orbem propagatæ Ecclesiæ, si Catholicè credimus, Patroni & protectores peculiare existunt. Et quoniã nos vt fratres ac filios diligunt, haud dubiè suo apud Christum Dominum officio fideliter vsq; funguntur, nostramq; causam agunt sedulo, & longè plura nobis Orthodoxis beneficia, quàm æstimare & verbis assequi possimus, à Diuina maiestate petunt & impetrant, quemadmodum & Leo Magnus experientia teste, compertum esse demonstrat. De Apostolo Paulo plura diximus; cùm illius conuersionem tractarem.

VBI non leuiter ponderabo, præcipuam horum Apostolorum vocationem & prouinciam in eo sitam fuisse, vt in varijs orbis partibus pergrandis laboriosè obambulant, sacrumq; Christi Euangelium ingenti cum zelo disseminarēt, nihilq; curarent magis, quàm vt ipsorum in Dominica vinea colenda conatus indefessi feliciter cederent, nimirum ad Diuini nominis gloriam, & animarum salutem vbiq; gentium promouendam. Ita cooperante Christo factū est, vt illi complures & amplas Ecclesias tum in Oriente, tum in Occidente fundarint atq; constituerint, quæ diu postea præclare floruerunt, & Apostolicæ traditionis ac disciplinæ lineam fideliter conseruarunt. Quàm verò miserandum atq; dolendum est, dormientibus hominibus inimicum accessisse Satanam, & iacto in terrâ ab Apostolis tritico, sua zizania superfeminasse, & fertilem antea Christi agrum tantoperè vitiasse, vt Episcopales ædes illæ, & peruetustæ Ecclesiæ, nempe Antiochena, Alexandrina, Corinthiaca, vel prorsus corruerint, vel pro veris Pastoribus rabiosos lupos admiserint, multisq; seculis nō sine aperto schismate fouerint? Quàm tristis rerum facies, vbi spinis & zizanijs plena sunt omnia, & veteris quidem pietatis vix umbra tenuis apparet, quandoquidem Mahumetana impietas, vel hæreticorum furor, quicquid sanum & in-

Serm. r. de
festo Pet. &
Pau.

Matth. 13.

regum illic supererat, ita profanauit atque deuastauit, ut siue Ecclesiasticam siue Politicam gubernationem spectemus, nihil non illic portis inferorum, ac tyrannorum libidini seruire atque subesse cernamus. Eares ut mihi, ita sapientibus omnibus non modò mœrorem ingentem incutere, sed grauem quoque metum iniicere debet; ne præclari primiq; conatus Apostolorum & Apostolicorum hominum magis magisq; funditus pereant, ac similes aliarum veterum Ecclesiarum profanationes atque vastitates breui plurimæ consequantur. Quare si sapiam, precandi curam & studium adhibebo, ut rogatus Dominus messi, sicut ipse mandauit. Pastores & Doctores necessarios extrudat, quorum opera tot Ecclesijs labatibus iamq; subuersis maturè subueniatur, utq; maiores religionis distractiones præcaueantur, minusq; noua isthæc impiorum hæreticorum tyrânis barbarica noceat, quæ nunc indies magis magisq; Christianam rempublicam lacerat atque perdit. O Deus in quæ nos tempora reseruasti?

POSTREMO etiam atque etiam desiderabo, Deum ita mihi propitium esse, ut hos duos Apostolos, immò Apostolorum principes mirè in cœlo fulgentes aliquando intuear coram, utq; illos ipsos cum supremo iudice Christo de cœlo magnificè descensuro mihi fauentes habeam. *Veniet enim, Dominus ad iudicium cum senibus populi sui & principibus eius,* quemadmodum prædixit Iaias. Nec mentiri potest Veritas luculenter afferens de venturis duodecim Apostolis, qui super duodecim thronos & sedeant, & iudicent. Chryostomus illos vocare nō dubitat duas lampades splendidissimas, quæ cum ex thecis uis Romæ conditis surrexerint, in occursum Domini iudicis mirabiliter sursum ferentur, magnumq; splendorem effundent: Quam amicè & blandè illi tunc rediuiui contemplabuntur, immò etiam consolabuntur electos, quos propter fidei constantiam & obedientiæ sinceritatem suo testimonio, & apud summum iudicem patrocinio dignos comperient. Rursus autem quam seuerè & austerè aspicient sui Domini ac iudicis omnes aduersarios, in-

primis

Luc. 10.

Isai. 3.

Matth. 19.

Homil. 32. in
ep. ad Rom.

primis verò hæreticos atque schismaticos, quos uti nefarios Apostolica fidei, doctrinæ, Ecclesiæq; violatores atq; perturbatores, & quia Christi sciderunt tunicam, accusabunt, sicut & Moyses suos perfidos Iudæos accusaturus est: Stabant certe in magna constantia aduersus Diuini nominis & sancti Euangelij hostes siue occultos siue manifestos; contra hypocritas & pseudochristianos omnes vindictam diuinam expectent, & ardenti zelo se illis opponent, qui in domo Dei steriles velut arbores sine fructu iustitiæ apparuerunt: Reipsa tunc comperietur, quod in terris olim docuerat Petrus, melius esse scilicet, *viam veritatis non cognouisse, quam scientes post agnitionem retrorsum conueriti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Sed & Paulus in memoriam improbis reuocabit, quam verè ipse monuerit, terribilem expectationem esse iudicij, & æmulationem ignis, quæ consumptura sit a turbarios. Ea propter ego magis magisque desiderabo, hosce tantos Apostolos, ac futuros mundi iudices, eorumque reuerendam potestatem hoc tempore gratiæ passim agnosci, ac iuste timeri, ab illis maximè, qui patronos illos ignorant, nec implorant, & idcirco eisdem seueriores postea censores, & apud Christum æquiores vindices expecturi sunt. Nisi enim homines iudicio Sanctorum subijcerentur, summo quidem iudici Christo sua semper authoritate & potestate seruata, non scriptum esset, quòd Sancti iudicabunt nationes, & dominabuntur populis; neque diceret Apostolus: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* Et iterum: *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Non potest certè Sanctorum non grauis & formidabilis esse potestas, si Christus in Apocalypsi verum pronuntiauit: *Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, si uel & ego acccepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.*

Ioan. 5.

2. Pet. 3.

Heb. 10.


Sap. 3.

1. Corin. 6.

Ibidem.

Apoc. 2.





DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS mihi Deus est, ut huius temporis fideles, super Christum petram & fundamentum, ut appellant, fundam: entorum, ac simul super Petrum petram inexpugnabilem ritè fundam: u maneant, nullis verò noua doctrina ventis ac tempestatibus, immò neq. presentibus vel futuris inferorum portis se terreri patiantur, quo minùs summù Christianarū ouium Pastore Pontificem ac primariam eius Ecclesiam honore debito prosequantur. Nec enim Christi oues esse, & ad dexteram eius in iudicio stare poterunt, qui Petri Ecclesia, clauibusq. contemptis, Petrum & Successorem Catholica fraudant reuerentia obedientiaq.

ORABO itidem, ut Catholici summò visibilis Ecclesie capiti, Christiq. Vicario, cum in alijs rebus, tum in his quæ ad potestatem & iurisdictionem Apostolicam spectant, suum ius, suamq. auctoritatem legitime tribuant, ac demùm ut clauces Petro commissa, quas ministri & pastores Ecclesiarum sibi communicatas habent, usum & fructum debitum assequantur.

PETAM & Ecclesia Romana quæ nunc grauitè oppugnatur, desertoribus atq. aduersarijs grauiam, ut ex hadis oues fiant, & longè grauisimum crimen hæresis atq. schismatis ritè cognoscant, modiq. omnibus detestentur, ne alioquin in schismate ac diuisione cum Core, Datan & Abiron peccant, sed potius, ut verè conuersi, velut oues errantes ad suū ouile, summùq. Pastorem reuertant, utq. per clauces Petri Deo & Ecclesie reconcilientur & viuant.

Num. 16.

DEMVM benè precabor Pontifici Max. ex cuius incolumitate tam multa pendent, ut Apostolorum Petri & Pauli potestate & sapientia, præsertim ad summos in Ecclesia motas hodie componendos, præclare surgatur, utq. necessarios ad suum officium legatos habeat ac ministros.



IN DIE FESTO
DEIPARAE VIRGINIS,
QVOD VISITATIONIS,
APPELLATVR.

Sequentis Euangelij Argumentum.

INDICAT Euangelista Lucas, statim ante hoc Euange-
lium Gabrielem Archangelum suam in Nazareth le-
gationem obijisse apud Mariam Virginem, ac inter cætera
illi exposuisse, suam cognatam Elisabetham, quantum-
uis grandæuam & sterilem, Dei beneficio iam factam esse
gravidam, & filium concepisse Iohannem scilicet. Hac oc-
cassione Virgo, quæ iam & ipsa Dei Filium conceperat de
Spiritu sancto, ad eandem cognatam suam instituit iter,
& per montosam regionem transijt ad urbem (siue Ieru-
salem siue alia fuerit) in qua Zacharias cum sua coniuge
morabatur. Fuit autem Mariæ in votis, non modò cogna-
tam gravidam piè salutare, sed eidem lætè quoq; congra-
tulari ac obsequi. Cùm illuc ventum est, inter vtramque
gravidam amicum colloquium instituitur, in quo altera
cum altera certat humilitate singulari: ambæ autem pro-
phético complentur spiritu, neque profanis, sed sacris de
rebus conferunt religiosè. Miraculum est, Elisabetham
tot mysteriorum, quæ à nullo mortalium acceperat, esse
consciam & confirmatricem. Etenim cõfiteatur diuinum
in Maria conceptum, eamq; Domini & Dei sui matrem
reuerenter agnoscit: sed & fidem qua verbis Gabrielis
assensa est, extollit, ac felicem rerum omniũ quæ conse-

querentur, exitum pollicetur. Miraculum est, quod suum filium Iohannem velut is presentem Dominum cognosceret, in utero suo sentiat exultatem. Tum miraculo adscribi potest, Mariam Dei spiritu afflatam, in Zachariae aedibus tam diuine cum Deo colloqui, & sacrum hymnum recitare, tamque perite & ardentem, ut nusquam alibi legimus, magnis de rebus modulari.



EVANGELIUM

Lucee II.

EXURGENS Maria, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariae, & salutauit Elisabeth. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariae Elisabeth, exultauit infans in utero eius, & repleta est Spiritu sancto. Elisabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo. Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, Quia respexit humilitatem ancillae suae. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. & misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae, Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM ET
FESTVM.

Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione.

DANTO gratior & celebrior hic mihi dies erit, quanto plura & præstantiora de Christo Domino, eiusq; benedicta matre, & sancta Elisabetha per Lucã denuntiat. Est Christus quidem vtero suę matris inclusus, & vir tamen haberi meretur, de quo prædixerat Ieremias: *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum.* Benedicta certè inter mulieres Maria, quæ sola iure suo testari potuit: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Circumdedit illa virum, quando post cõceptum, Deum simul et hominem complexa est, eumq; tam potentem ac sapientem, vt quamlibet idem pusillus corpore videretur, tamen animi dotibus omnibus abundaret, idemq; inde ab initio suæ conceptionis plenus esset gratia & veritate, ac idcirco, etiam infans sese Magis obtulit in stabulo adorandum. Quod cum ita sit, quemadmodum post Cyprianum & Bernardum nos alibi docuimus, cum primis Christo boni omni auctori gratias ingentes agam, quòd post conceptionē suam (summum

Ierem. 13.

Ecccl. 24.

Ioan. 1.
Marth. 2.
Serm. de natiuit. Dom.

Dei

Luc. i.

Psal. 24. & 15.

Luc. i.

Ierem. 1.

Isai. 7.
Psal 18

Cant. 2.

Dei miraculum) statim virginem matrē egit ac impulit, vt ea cognata inuisendæ consilium caperet, ac laboriosam profectiōnem postpositis omnibus susciperet, totumq; iter illud, quod satis longum fuit, absolueret festinanter. Nec enim temerè scripsit Lucas, *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione*. Nihil autem dubitabo, hoc Mariæ propositum ac factum ex ipso filio, quem in vtero gestabat, prouenisse, vt pote cum illum familiarem atq; salutarem doctorem atq; monitorem haberet, ac meritò subinde repeteret illa verba: *Oculi mei semper ad Dominum: prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne commouear*. Quam verò ob causam Dominus ad hoc negotium ac iter matrem suam inuitat ac impellit? Nimirum vt Iohannem sexto iam mense conceptum, quem præcursorem & præconem suum destinauerat, ab originali peccato citius eriperet, ac Spiritu sancto repleret, sibiq; famulum ac testē præpararet. Ita quippe compleri debuit, quod Angelus in templo Zachariam alloquens promiserat: *Spiritu sancto replebitur (Iohannes) adhuc ex utero matris suæ, quodq; de hoc nouo Ieremia Deus ipse fuerat iam antè testatus: Priusquam te formarem in utero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificauit te*. Hoc autem Christi consilium, qui vixdum in vtero materno conceptus, ad iter eiusmodi properat, meam erga illius bonitatem excitabit fiduciam, & charitatem augebit, cò quòd videã ardentem illius cupiditatem & singulare studium, sicut de Iohanne, ita & de mortalibus omnibus benè merendi, suamq; illis beneuolentiam ac præsentiam gratis offerendi, etiam si neq; Iohannes, neq; quisquam alius talem gratiam promeretur. Est enim hic verus Emmanuel, qui, Propheta teste, tanquam sponsus processit de thalamo suo virginali, & præterea exultauit vt gigas ad currēdam viam suã. Id quod sponsa in Canticis fore prauidit, quum velut sibi gratulans lætè dixit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus caprea, hinnuloq; ceruorum. en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*. Neq; so-

lūm

lūm Christus vt conceptus est, ad sterilis Elisabethæ filium sanctificandum festinat; verū etiam cū in Bethlehē natus est, Magos longē distitos per stellam ad se vocat; suiq; copiam illis licet indignis præbet, magna eos fidei luce collustrans, sicut ad Zachæum quoq; festinans descendit, suum apud illum hospitium quærens. Benedictus igitur ille, qui vt Messia muneris satisfaciatur, sicuti properat, ita & ardentem ad seruos suos nō rogatus accedit, verē miserator & misericors Dominus, qui venit non ministrari, sed filijs hominum ministrare, opemq; præsentem adferre, vt iure suo testetur: *Delicia mea esse cum filijs hominum*. Multum ergo consolationis hinc ego capiam, quod idem Messias de cœlo alto descendens, & se negligens, tanti nos faciat ac diligat, quiq; suum officium à sanctificatione Iohannis exorsus, tam propensè multiplicem illi præstat gratiam, vtpote ab originis peccato emundationem, Diuini spiritus abundantiam, præmaturum rationis ac intelligentiæ vsum, mirabilem fidei lucem, & incredibilem charitatis affectum. Vnde idem Iohannes licet visceribus maternis maneret inclusus, tamen præsentem Redemptorem agnoscit, eiq; non obscuram animi grati significationem exhibet, sicut mater eius Deiparam alloquens, verbis illis declarat: *Ecce vti facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo*. Tam salutaris, immò necessarius est Christi aduentus non solum adultis, verū etiam paruulis, vt à communis peccati, quod inde à primo conceptu Adæ filios polluit, & à Dei gratia reddit alienos, liberentur, vtque diuini spiritus ad salutem consequendam æternam participes fiant. Hinc scriptum legimus: *Quis potest facere mundum de immundo conceptū? seminet nonne tu qui solus es? Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo IESU*. Qui de seipso etiam palam affirmat: *Venit filius hominis querere & saluum facere quod perierat*. Non enim est voluntas ante Patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Ac nisi hoc mediatore & redemptore omnes egerent, Iohannes idem postea ve-

Matth. 2.

Luc. 19.

Psalm. III.

Matth. 20.
Prou. 8.

Luc. 1.

Iob. 14.
Rom. 3.

Luc. 19.

Matth. 18.

Iohan. 1.

Ioan. 7.

1. Corin. 1.
Serm. 14. de
verbis Ap-
stol.
Lib. de fide
ad Petrum
c. 26.

Ephes. 2.

Matth. 3.

1. Cor. 6.

Galat. 3.

luti digitum in illum intendens, non publicè docuisset: *Eccè Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: nec scripserat* Apосто-
lus: *Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos fa-
cere. Christus factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanc-
tificatio & redemptio.* Quid autem illo Augustini dicto cla-
rius? Nos dicimus paruulos aliter salutem & vitam æternam
non habituros, nisi baptizètur in Christo.] Manet igitur Ful-
gentij canon in Ecclesia inuiolabilis: Firmissime tene & nul-
latenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri
& mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impia-
ti subditum, mortique subiectum, & ob hoc iræ filium nasci.
De qua dicit Apostolus: *Eramus enim & nos natura ira filij,
sicut & ceteri.* A qua ira nullus liberatur, nisi per fidem Me-
diatoris Dei & hominū hominis IESV Christi, qui sine pec-
cato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus,
peccatū pro nobis factus est, id est, sacrificium factus est pro
peccatis nostris.] Eoq; magis Domino IESV, qui totius iu-
stitiæ nostræ principium & finis est, ex animo gratias agam,
qui me licet non in matris utero constitutum, sicut Iohan-
nem, sed natum tamen infantem sua prauenit gratia, & im-
mundum baptismi sacramento purgauit, ipse enim baptizat
in Spiritu sancto, meq; purgatum, alijs filijs adoptionis & gra-
tiæ clementer aggregauit, vt illud Apostoli dictū ad me quo-
que pertineat: *Ablui estis sanctificati estis, iustificati estis in no-
mine Domini IESV Christi. Quicumq; enim in Christo baptiza-
ti estis, Christum induistis.*

ERRANT autem nostro seculo grauius, qui vt sacri Ba-
ptismi, & Sacramentalis, vt vocant, gratiæ tollant necessita-
tem, mirabiliter de Iohanne philo. ophāntur, vanèq; fingūt,
collatam illi gratiam nostris etiam paruulis communicari, vt
hi in materno utero positi, & sine accepto Baptismi sacra-
mento per Christum quoque iustificentur atque saluentur.
Tum si Baptismum accipiāt, fidem propriam, & nescio quos
rationis motus illis ipsis largiuntur ac tribui volunt. Etenim
quod priuilegium vni Iohanni Christus hoc loco gratiosè

conce-

concedit, in consequentiam trahendum non est, & expresso Deiverbo magis quàm eiusmodi commentis humanis niti debemus. Ex verbo autem Dei constat, natos paruulos in Christo renasci oportere ex aqua & Spiritu sancto, ut vitam consequantur æternam, & baptismum quo saluantur homines, lauacrum esse regenerationis & renouationis Spiritus sancti; multos insuper, sicut è Scripturis Bernardus conuincit, aliena fide saluari. Docet igitur Augustinus, Iohanni puero acceleratum esse usum rationis & voluntatis, ut intra viscera materna posset Christum ad se venientem agnoscere, credere & consentire: sed adiungit, id in miraculis diuinæ potentia habendum, non autem ad humanæ naturæ exemplar trahendum esse: Nec quod in Iohanne factū est, inquit, contemno, nec inde argumentum quid sentiendū sit de paruulis, figo.] Quocirca mihi curandum arbitrabor, ut salutē paruulorum, siue in materno utero latentium, siue in lucem editorum, summo Deo sæpe commendem, ne Christi gratia & baptismi Sacramento fraudentur, ne uè cum originali peccato vitam hanc finiant, antequàm à Christo in aqua uitæ mundentur atq; sanctificentur. Est enim verissimum Augustini axioma illud: Quisquis dixerit, quòd in Christo uiuicabuntur etiam paruuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiã.] Qui rursus alibi docet: De circumciso non nascitur circumcissus: Sic de baptizato non potest nasci baptizatus, quia nemo renatus antequàm natus.]

Ioan. 3.

Tit. 3.

Sermon. 66
sup. cant.
Episto. 157.
ad Dardanū

Eph. 5.

Epist. 28. ad
HieronymDe verb. A-
postoli.
sermon. 14

*Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus
ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Do-
mini mei ad me?*

DV A S insignes forminas, quarum laus erit semper in
Euangelio, Lucas hoc loco depingit, Mariam nempe virgi-

nem visitantem, & Elisabeth Zachariæ coniugem ac Iohannis matrem utilissimè visitatam. Inter has duas verè sanctas fœminas plus quàm fœminea, id est, religiosa de rebus grauiissimis colloquia instituuntur, quibus & DEVS præclara quædam adiungit miracula, ut nullum alium in scriptura reperias tam pium ac sacrum conuentum atq; conuictum mulierum. Etenim Elisabeth mysteriorum Dei, quæ antea non audierat, fit conscia, & ad vaticinandum Spiritu sancto repletur: Iohannes nondum natus, præsentem cognoscit Redemptorem: & cognoscens exultat. Maria deniq; psaltricem & prophetissam hîc nobilem exhibet, ac de Deo diuinisq; rebus differit in domo Zachariæ, quæ velut DEI templum efficitur, & gaudio completur spirituali. Sic demum nos viri à mulieribus quoq; discimus, non futiliter colloqui, & fabulando tempus terere, sed Apostolicum illud seruare præceptum: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad adificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei. Ac rursus: Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis & canticis spiritualibus.* Breuiter, ut princeps Apostolorum hortatur: *Si quis loquitur, tanquam sermones Dei.* Quapropter harum duarum verè piarum matrum exemplo admonebor, spiritum gratiæ in me habitantem sedulo conseruare, illiq; in familiari etiam conuictu prodere, ut me proximo grauem ac spiritualem potiùs, quàm leuem mundi q; filium exhibeã. *Ipsi de mundo sunt,* ait Ioannes: *ideo de mundo loquuntur:* & sicut Paulus affirmat, *corrumpunt mores bonos colloquia mala.* *Euigilate iusti, & nolite peccare. Quæ pacis sunt sectemur: & quæ ad adificationem sunt, inuicem custodiamus.*

Ceterum ut Virginem Matrè, cui sacer hîc dies est, rectiùs mihi proponam ac contempler, quatuor in illa se mihi consideranda offerunt, eius charitas, humilitas, prudentia & gratiarum actio. Audiuerat illa ex Angelo Gabriele, cognatam suam Elisabetham è sterili anu iam grauidam esse factam, filio nempe Iohãne ex præpotenti Dei virtute concepto. Sed

Ephes. 5.

Eodem cap.

1. Pet. 4.

1. Iohan. 4.

1. Corin. 15.

Rom. 14.

Lucæ 1.

& ipsa Virgo proximè conceperat, ut sicut Isaias prædixerat, & Angelus promiserat, mater fieret Emmanuelis. Primum igitur rara & admiranda fuit Mariæ charitas, ut tenera illa virguncula, & recens grauida, ad insuetum laborem sese accingeret, ac longum asperumq; iter sponte ingrederetur, quoniam ex Galilæa in Iudæam, ex prouincia in prouinciam, per montes & saxa multis diebus fuit peregrinandum, ut ad Zachariæ domum perueniret. Charitas illam ad gratulationis officium ultrò præstandum excitauit, ut etiam nõ vocata, neq; expectata cognatam adiret, ac reuerenter saluaret. Nec dubium, quin eadem charitate duce, paratam offerret operam, ut in iisdem ædibus ministraret, nihilq; laboris ac studij domestici, si quid agendum esset, recusaret. Accedit, quòd non grauatim cooperatur, vt Iohannes in matris utero mundetur atq; sanctificetur: nec dubium, quin de hoc peculiari ac præstanti munere cognouerit, simulq; gratias Deo egerit, gaudens utiq; cum gaudentibus, & ex animo gratulans & matri & filio, cum utriq; permultum spiritualis gratiæ suæ visitatione conferri cerneret. Tam fida & officiosa Dominae nostræ charitas fuit, quæ meritò mihi pudorem adferat, quoties ad fraternæ charitatis & misericordiæ opera segniter ac tardè procedo, vel id quod ad proximum iuandū probè inceptū est, tædio victus facilè desero. Quasi verò ad me quoq; nõ pertineat plenitudo Legis dilectio, & Iohānes frustra moneat: *Non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate: in hoc enim cognoscimus, quoniam ex veritate sumus. Charitas autem, si Paulo credimus, patiens est, benigna est, non quarit quæ suæ sunt, congaudet veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Nec minus humilitas quàm charitas in elucet Virgine, quæ ad eò seipsam negligit, ut non cogitet amplius, quàm sit honorificè nuper ab Angelo salutata, in quantum honoris gradum euecta, ut summi Dei matrem præstaret, nec meminit se sacris quidem studijs potius quàm istiusmodi peregrinationibus & excursibus affluens factam esse. Nihil illa sublime

Isai. 7.

Rom. 12.

Rom. 13.

1. Iohan. 3.

1. Corin. 13.

Luc. 2.

2. Reg. 6.

Ecclef. 3.

1. Pet. 5.

1. Tim. 2.

præ se fert, sed sub vili habitu in publicum prodiens, nihil regij habitus ac terreni splendoris, nullamq; familiam aut comitum turbam ostentat, ut simplicem & inopem abiecti fabri sponsam posses agnoscere. Non magnifico curru vehitur, sed pompæ ac vanitatis omnis ignara, pedestri itinere contenta est, neq; curiosè circumspèctat, aut salutat passim obuios, non diu in via moratur, sed maturat iter, ut suum urgeat institutum, quemadmodum & pastores, ut Christū quærent, relicto grege Bethlehem festinantes petiuerunt. Venit illa propinqua ad proximam, (Ambrosij verbis utor) iunior ad seniore: nec solū venit, sed etiam prior salutauit, nihil optans magis, quàm seniori in futuro partu obsequi ac ministrare. Hoc enim modo decebat, ut virgo Dauidica verè humilis, germanam se filiam eius patris declararet, qui superbæ Michol non temerè dixit: *Ludam ante Dominum, qui elegit me, & vilior sum plus quàm factus sum: & ero humilis in oculis meis.* Ita demum hæc filia Sion prudentissima me quoque docet illud seruare præceptum, *Quandò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Et Petri Apostoli verbum est: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Cum hac ipsa humilitate, quæ satis laudari non potest, coniungit Maria prudentiam, ut cum alijs, tum virginibus perpetuum & viuum exemplar præbeat seruandæ eximiæ honestatis, grauitatis & verecundiæ, quoniam sui semper similis, domi ac foris, priuatim ac publicè suum facit officium, iam quieti contemplationis intenta, iam charitatis negotio occupata, in Euangelio quidē vix septies loquens, (mulieris enim proprium est tacere magis quàm loqui) nusquam verò diutius, quàm in diuinis laudibus recitandis vel decantandis solita immorari. Hinc celeberrimum illud Mariæ canticum, quo clauditur Euangeliū hodiernum, quodq; tali Prophetissa est dignissimum, & pro dignitate nunquam satis commendabitur. Etenim cum beatissima Virgo multis nominibus se ab Elisabeth laudari ac

nimaduer-

nimaduenter et intelligeretq; laudes illas omnes diuinæ benignitatis dona & beneficia esse, nihil sibi ex illis sumere voluit, sed cuncta soli Deo accepta referens, cognataq; laudantis obliuiscens, in voces illas verè dulces erupit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, quod in Hebraïca lingua dicitur, in Deo I E S V meo. Verùm quæ mens concipere, quæ oratio explicare unquam valeat, quo animi ardore incensa Virgo hoc ipsum canticum protulerit, & quo deuotionis affectu eius anima Dominum magnificauerit, ac simul spiritus in Deo exultarit? Hic illa velut in cœlum rapta, altissimum Deum illuminatis aspexit oculis, ac præcipuas eius virtutes, misericordiam, potentiã & veritatem, variaq; beneficia & opera miro modo suspexit & publicè commendauit, nobisq; omnibus, si bonorum omnium auctori non ingrati esse velimus, quotidie commendanda reliquit. Mihi cum primis optabo, ut ad præclarū hoc exemplum Deiparæ monear sapè ac mouear, propriã ac humanam laudationem contemnere, mentem in Deum attollere, illi corde & ore gratias agere, in Redemptore meo sincerè gloriari, cum Deo sanctam fouere familiaritatem, ac demum ad eius gloriam benefacta referre omnia. Ac tantò magis nitar me ipsum deicere, & authorem bonorū extollere, quantò pluribus & maioribus ipsi^o muneribus quotidie cumulo, atq; in corpore animoq; foueor & conseruor. Est sane hoc canticum ut eruditissimum, ita & sanctissimum atq; dulcissimum, ac primus veluti hymnus noui Testamēti, quo incomparabilis Virgo non modò laudes publicè immortalis Deo celebrauit, sed & Credētibus omnibus ut & ipsi sequantur, præcinit, & virgineum hoc epithalamium subinde nobis repetendum præbuit. O humilem simul & excelsam Prophetissã, quæ Spiritu sancto plena non corpore minùs quàm corde in Deo salutari suo incredibiter exultauit, ut verè cum Propheta testari posset: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Ac decenter quidem, nec minùs religiosè mos inoleuit, ut hoc virginale vaticinium, sicut Otigenes vo-

Plal. 83.

cat, siue hic Marianus hymnus in Vespertinis laudibus quotidie recitetur, quoniam peculiarē Dominicæ incarnationis memoriā nobis refricat, & Christiana pietatis affectum qui in Maria semper emicuit, cum primis excitat atque confirmat. Quidam hoc Mariæ psalterium decachordum appellant, ubi fortissimam Iudith audimus, quæ de hostibus diuina virtute subactis, non suo tantum, sed & totius populi per Christum liberati nomine, aptissime gratulatur. Nec solum compendio quodam veteres historias repetit, in quibus Deus mirabilem & potentem se prodidit sæpè, sed etiam utriusq; Testamenti electos artificiosè depingit.

Iudith 13.

OBSEVABO interim Elisabethæ voces ab auctore Spiritu sancto profectas, & non sine ingenti huius matronæ stupore proclamatas, quæ diuinas potius quàm humanas Virginis Mariæ laudes continent & explanant. *Benedicta tu*, inquit, *inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Sicut enim Christus Mariæ fructus & filius, inter viros omnes primatum obtinet, omnisq; virtutis, laudis, benedictionis & gratiæ fons est atq; largitor, quoniam in eo gentes omnes benedicuntur: ita & matrem ille suam inter mulieres omnes quamlibet laudatas atq; laudabiles primariam constituit, & Angelis simul & mortalibus post se maximè venerandam, toti q; omni per celebrem fecit. Tota enim illa pulchra & immaculata est, in conceptione, ut alibi diximus, in natiuitate simul & vitæ conuersatione, ab omni mulierum maledictione semper immunis. Tota insuper illustis & clara summis virtutibus, quæ perfectam Virginem & incomparabilem Dei amicam atq; sponsam exornare possunt: tota deniq; gloriosa inter Sionis filias, & super Angelos in corpore & anima exaltata, ac omni ex parte benedicta mulier, quæ amicta sole, & cuius pedibus luna subiecta in Apocalypsi prædicatur. Igitur Elisabeth hoc dicto confirmat præcedens Angeli præconium, quo Virginem eandem, ut diximus, verbis perquam honorificis non suo tantum, sed etiam Dei nomine salutauit. Ambo autem, Angelus & Elisabeth, nos tacitè docent,

Luc. 1.

Genes. 22.

Cant. 4.

Apocal. 12.

eandem

eandem Domini matrem, quam in cœlo & terra electi præ alijs suspiciunt atq; benedicunt, libenter salutare, ac peculiari laudatione prosequi, ut Dominus ac Deus noster, qui in Sanctis suis laudari gaudet, in sua quidem genitrice vel maximè celebretur. Est enim proprium electorum opus *collaudare sanctos, ac timentes Dominum glorificare*: summoq; Deo placet hic spiritus Euangelicus, quem generationes verè credentium ad Deiparam celebrandam in se ac alijs excitant, alunt ac prouehunt. Hoc est sanè, quod & Virgo ipsa prophético spiritu afflata cognouit, & in hodierno cantico ad summi Dei gloriam vaticinata est inquiens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est*. Ego verò infelix illud genus hominum dixerim, qui hoc verè germano & Euangelico spiritu destituti, & è serpentino semine procreati, se atheos, Iudæos & hæreticos potius quàm Christianos declarant, quòd sacratissimum hoc Dei tabernaculum vel apertè blasphemant, vel debitis laudibus spolient, ideoq; receptis eius titulis detrahant, solennes ferias illi decretas abrogent, eandem Euangelicis salutare verbis contemnant, cultum omnem Catholicum, qui clam palamq; Mariæ præstatur, in ludibrium vertant, illamq; sacrosanctam, & Sanctis omnibus augustiorem Virginem impuris ac menstruatis seëinis sacrilegè conferant & exæquent. Loquuntur enim è spiritu non sancto, sicut Gabriel & Elisabeth, sed sicut suggerit illis spiritus nequam & diabolicus, qui iam olim Saul reiectum à Deo regem exagitauit. Addit porrò Elisabetha: *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Hic ego videre & audire mihi videbor mirabilem doctorem Spiritum sanctum, qui momento citius Iohannis matrem de multis magnisq; rebus hætenus inauditis instruit, atq; simul, ut arbitror, summo stupore complet. Cognitionem enim illa Virginem matrem, quam mirè modestam spectabat ob oculos, sine ullo viri commercio de Spiritu sancto concepisse, veri q; Messie tamdiu exoptati naturalem esse matrem, adeoq; Verbum Dei, Deum verum humanam in il

Psal. 150.

Psal. 14.

Luc. 1.

Apocal. 13.

1. Reg. 16.

la naturam assumpsisse, verumq; hominem similem nobis passibilem factum fuisse, & nunc homines iustificare posse. Quam felicem igitur Elisabetham esse censebo, quæ horum & plurium mysteriorum conscia, immensam Dei bonitatem & in genus humanum charitatem admiranda suspexit, ac insuper talis tantæq; matris dignitatem merito est reuerita, quin etiam sese illius præsentia, visitatione & salutatione prorsus indignam existimauit. Accedebat, quod semestrem infantem utero inclusum commoueri, ac Domini sui præsentiam agnoscere, immò & præ gaudio exilire re ipsa senserit, sicut verbis etiam expressis indicauit. Adhæc illa diuino spiritu edocta, Mariæ fidem, quæ beatam illam redderet, discretè commendauit, satis declarans, hanc Virginem sub vili ac humili habitu, quæ fabri tantum sponsa esse putabatur, Sanctos omnes ut virtutibus ac dignitate, ita fide quoq; præstanti superare: *Beata*, inquit, *quæ credidisti*. Cùm enim Angelus illi de tribus personis Diuinis, de Christi regno perpetuo, de verbi Dei omnipotentia, alijsq; pluribus mysterijs, quæ humanæ mentis captum excedunt, multa disseruisset, Virgo hæc sine dubitatione ac firmiter dictis illius omnibus assensa est, nullo miraculo expetito, sicut sancti Patres, *a* Abraham, *b* Gedeon, *c* Ezechias, *d* Zacharias & alij ad confirmationem suæ fidei signa quædam & miracula sæpenumero expetierunt.

a Genes. 15:
b Indic. 6.
c 4. Reg. 28.
d Luc. 1.

3. Reg. 21.

POSTREMO Elisabeth veluti noua Prophetissa non modò de præteritis & præsentibus, sed futuris etiam de rebus vaticinatur, illud fore promittens, ut quæ opera Dei in ipsa Virgine inchoata erant, certum & felicem exitum sortirentur. Id verò factum esse constat, cùm natus Emmanuel ad patris sui Davidis regnum peruenit, verusq; ipse Salomon suam exaltauit ac honorauit matrem, uti nemo filius alius matrem propriam unquam honorauit. Hanc enim ille in regno suo cunctis claram, celebrem & venerandam proposuit, quam Angeli ac Fideles, ut augustam cæli terræq; reginam libenter agnoscunt, omnesq; gentes & linguæ certatim præ-

dicant

dicant ac benedicunt. Quæ omnia luce clarius demonstrare possunt, quàm verè scripserit Salomon, ne quisquam facile se iactet atq; commendet. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.* Nam sicut idem admonet: *Humilem spiritu suscipiet gloria. Melius est ut dicatur tibi: Ascende huc, quàm ut humiliaris coram principe.* Cuius rei clarissimum præbet exemplum virgo Deipara, quæ siue cum Angelo, siue cum cognata disserat, seipsam valde deiecit, ac pro infima ducit, eòq; tantùm ancillam se Domini etiam Mater electa nuncupat, parata insuper ad obsequium anui exhibendum. Quantò autem illa cautiùs suas reticet occultatq; virtutes (*gloriam enim precedit humilitas*, ut ait Salomon, & honor sequitur fugientem): tantò magis eam illustrat & honorari vult Spiritus sanctus, ut multos habeat ubiq; gentiùm præcones, iuxta id quod verè Christus pronunciauit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Atq; utinam ego sanctæ & sapientis Elisabethæ sequar exemplum, ut matrem Domini, quã satis colere non possum, laudatione & veneratione pro mea virili prosequar, & Euangelicis insistam vestigijs, quæ ad Deiparam honorandam iure mortales omnes inflammant. Hæc enim est, quam Gabriel, Baptistæ mater, aliq; apud Lucam pia mulier, atq; adeò Ecclesia tota supra Sanctos omnes benedictam, fide singulari præditam, Domini matrè beatam, gratiaq; plenam disertè prædicant, quam Diui omnes maximis vehunt laudibus, & quam demum Christus ipse, ut matrem filius, inprimis gaudet honorari. Vnde testatur Methodius Domini Martyr, cuius & meminit Hieronymus: Deo uniuersi debemus, Mariæ verò etiam ille debet. Proinde qui dixit, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, ut is decretum à se promulgatum obseruaret, atq; hac in parte alios (filios) excelleret, omnem Matri gratiam & honorem impendit, quæ certam secundæ natiuitatis ministram illi se præbuit.] Et cum Petro Damiano Mariam alloquens dicam: Summa gloria est post Deum te videre, adhærere tibi, & in protecti-

Prouer. 27.

Prou. 29. &
15.

Luc. 1.

Prou. 15.

Matth. 5.

Luc. 18.

Luc. 1. & 11.

Oratione ad
hypopantè
Domini.
Exod. 20.Serm. 2. de
natiuitate
virginis.

Matth. 8.
Luc. 7.

In hoc Eu-
angelium.

Ifai. 53.

Ioan. 17.

Pfal. 83.

onis tuæ munimine demorari.] AD extremum sacram Eucharistiam ego sumpturus consultè fecero, si & matris Elisabethæ, & filij eius Iohannis exemplum notatu dignū in memoriam reuocauero. Illa quippe mirum in modum extimescit, cū Domini matrem tot modis benedictam ante oculos videt, & salutationem eius excipit, seq; ad illa conferens, indignitatem & exiguitatem suam libenter agnoscit, inquit, *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Nec est dissimilis humilitas Euangelici centurionis, cum suam erga Christum summisionem apertè profitetur. Iohannes autē nondum natus, & Spiritu sancto illustratus, cū Christum in matris utero inclusum adesse cognouit, non solum cordis gaudio, sed corporis quoq; motu illum reueretur, suumq; redemptorem & sanctificatorem in utero subsiliens veneratur, perinde ac si dicat: *Quid ego vinctus & clausus hic detineor? meoq; Messia debitum honoris officium præstare differo? Exibo, præcurram & prædicabo cunctis: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, quemadmodum Chrysostomus philosophatur.* His Euangelicis exemplis me ipsum excitare, & ad studium religionis commouere nitar, quoties præsentem in Eucharistia carnem & sanguinem Domini sumere desiderabo. Tunc etenim veracem mei Saluatoris honorabilem aduentum agnosca, meamq; vilitatē et indignitatem cum sensu doloris cogitabo, ac simul ab illo purgari cupiam, de quo scriptum est: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Nam & Christus de seipso palam affirmat: *Pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Eodem spectat, ut ad Christum sincerè conuertam animum, cogitans illud, *Respice in faciem Christi tui; utq; totus cum Ioanne ad illius aspirem obsequium, qui se mihi totum usq; ad mortem crucis impendit, ac pro me sacrificauit.*



DE SALVTARI FESTI HV.

ius usu & fructu.

QUOMPLURA sunt, quæ diem hunc Deiparæ sacrum, & à visitatione vocatum mihi iure commendent, fructumq; afferant singularem. Agnosco hinc in primis diuinæ bonitatis magnitudinem, & insolitam celestium donorum vbertatē, ex Christi aduentu manantem, sed & primitias Euangelicæ gratiæ, quæ vt antea nunquam, in Maria, Elisabeta & filio eius Iohanne mirum in modum se prodidit. Gaudebo igitur & gratias agam clementissimo Deo, quòd Christus vtero matris inclusus, & necdum natus ita festinet, vt veri Messiæ officium in terris auspicetur, quòd q; matrem suam incitet ac extrudat ad sterilis Elisabethæ filium sanctificandum. Etenim hoc ipso declarat, quanto nos impuros amore prosequatur, paratus & cupidus ad peccatores omnes iustificandos, & ad Spiritus sancti dona electis impertienda. *Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis, plenum gratia & veritate: & de plenitudine eius nos omnes accepimus. In hoc enim apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum, & ipse sit propitiatio pro peccatis nostris,* quem admodum Iohannes admonet luculenter. Atq; hæc prima & præcipua visitatio per Christum facta mihi notanda est, quoniam *visitauit nos Oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis,* vt Zachariæ verbis vtamur. Cum hoc ipso patre Iohannis sublimem hanc verèq; perfectam, & omnibus necessariam Christi visitationem non solum agnoscam, sed etiam grato pectore celebrabo, vt libenter ac frequenter dicam, *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis sue.* Nisi hic Mariæ filius velut Lux in tenebris lucens, accessisset, nullum vel salutis autorem, vel sanctificatorem haberemus, sed sine hoc benedicto semine, sicut I.

Iohan. 1.

1. Iohan. 4.

Luc. 1.

Isai. 1.

faias afferit, quasi Sodomæ & Gomorhæ similes, id est, impij & perditī prorsus essemus.

Z.

NOTABO insuper visitationem alteram, quæ per Mariam Domini matrem facta mirabiliter contigit, cum illa cœlesti edocta nuntio, & Spiritu sancto duce, post celerem profectioem Zachariæ domum intrauit, & suam cognatā antea sterilem, nunc per miraculum grauidam effectam inuifit, atq; salutauit. Quam præclarum & amoris plenum illud fuit colloquium, vbi matres illæ, & gloriosæ prophetissæ, quæ totius nostræ salutis quasi primordia in vtero circumferebant, de rebus tam diuinis conferunt, sibiq; mutuo non sine incredibili gaudio congratulantur, ac miris modis in laudes diuinas prorumpunt. Ego illud in primis admirabor, quod nostræ Virginis aduentus & visitatio in illis adibus tam fuerit efficax, vtilis ac salutaris, vt hinc Ecclesia Iohannis exemplum sequens meritò gaudeat, suumq; gaudium præsentibus ferijs testetur publicè. Primùm enim Maria visitans efficit, vt cognata continuò Spiritu sancto repletur, & prophetiæ dono imbuatur, neque aliud nisi sacra mysteria velit ac possit eruere. Vox enim Mariæ, quæ & vox turturis, matris huius annosæ aures pulsauerat. Deinde Mariæ visitatio Iohanni infanti & visceribus maternis incluso id contulit, vt is postquàm vocem illius sonantem percepisset, perinde ac si præsentem Redemptorem eiusq; Matrē agnosceret ac reuereretur, quos poterat maximos gaudij & venerationis motus ederet, simulq; in matris vtero sanctificaretur. Fuit enim illic Deipara viuum & animatum instrumentum, quo Christus in vtero licet delitescens, vt voluit ad matrem Elisabetham simul & Iohannis animam mirandis muneribus illustrandam atq; confirmandam. Fatentur hoc quoq; Patres, ex quibus Ambrosius asserit, quod Maria Iohannem Baptistam visitauerit, & inde factum esse, vt priusquàm ille nasceretur, in matris vtero exultaret. Addit porrò sequentia: Si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, & repletur

Lib. de in-
sitatione
virg. c. 7.

Spiri-

Spiritu sancto mater infantis, quantum putamus vsu tanti temporis (cùm tribus nempe mensibus in ædibus Zachariæ diuersaretur) sanctæ Mariæ addidisse præsentiam?] Nec dubitat idem Ambrosius affirmare, Mariæ visitatione meid em Iohanni tantum profuisse, vt ille oleo gratiæ imbutus, corporis castimoniam & mentis innocentiam consequeretur. Cyrillus Alexandrinus apertè pronunciat: Salutatio sanctæ Virginis Mariæ I E S V M ferentis in vtero Iohannem mouit ad Prophetiam.] sicut & Bernardus docet, uocem salutationis Mariæ rantum valere, vt ipsos etiam infantes in gaudio faciat exultare. Hinc ego maiorem in me fiduciam excitabo ad Deiparam colendam & honorandam, utpote per quam Christus, à quo & ad quem omnia, libenter ac potenter sua bona dispensat, suaq; beneficia gratiosè multis etiam indignis elargitur. Sicut enim Deus Pater omnia hominibus bona per Filium donat; ita Filius per Matrem nec pauca, nec leuia concedit Fidelibus, vt & Pater in Filio, & Filius in Matre honorificetur, præsertim cùm illi precibus pijs & rectè factis Domini Matrem sibi conciliare, ac propitiam reddere student. Meminero certè illius, quod ab Augustino traditum accepimus, B. Virgini plus gratiæ quàm cæteris Sanctis propter Filium esse collatum, & quòd idem Augustinus non semel se huic Virgini reuerèter commendat, inter alia rogans: Sancta & immaculata virgo Dei Genitrix Maria, & Mater Domini nostri I E S V Christi interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum.] Tum ante Augustinum viri percelebres Athanasius & Ephræm floruerunt, & Mariam verbis planissimis inuocarunt, sicut & Gregorius Nazianzenus, cùm ita scribit: Tibi offero Regina, quòd me plurimis dignata quondam gratijs, varijs adhæc me libera semper calamitatibus, multisq; defensas ab Aduersarijs, tam qui videntur, quàm videri qui haud queunt: Me flecte tandem, quomodo in vita auctior virtute fiam, teq; semper præsidem vitæ meæ, ac demum benignam ac sedulam habeam aduocatam Filio coram tuo.] Nam & antiquissimus Irenæus

Libro de re-
sta fide ad
Regin.
Serm. i. de
assum. virg.

De natura
& gratia
cap. 38.

In Euange-
lium de S.
nostra Dei-
para.
Oratione
de laudibus
Dei Matris.
In traged.
Christ. pat.

Lib. 5. cont.

hærefes.
Homil. 2.
de laudibus
virginis. &
Sermon. 2.
Dominica
I. post octa.
Epiph.
Ioan. 2.

Genes. 18.

Genes. 19.

Genes. 30.

4. Reg. 4.

Matth. 10.
Luc. 10.

Hebr. 13.
Eod. cap.

us Mariam Eua virginis facit aduocatam, & Bernardus illam vt misericordiae matrem inuocat, ac inuocandam proponit, propterea quòd si illa piè à nobis pulsata fuerit, necessitati nostræ non sit defutura, sicut eadem ad nuptias inuitata, egenis coniugibus compassa est, & singulare Filij beneficium non sine miraculo impetrauit.

Est & aliud præclaræ visitationis genus, quo Deus per aduentum & præsentiam suorum amicorum multos exhilarat, ac singularis gratiæ participes reddit, sicut varijs diuinæ Scripturæ testimonijs facillè potest euinci. Venerunt tres Angeli ad Abraham, quibus hospitio exceptis, cum pro peregrinis haberentur, Patriarcha ille diuturni voti compos factus est, vt in extrema ptopemodum ætate contra expectationem omnium ex vxore sterili & decrepita filiū & hæredem diu optatum consequeretur. Venerunt rursus Angeli duo, & ad Lot apud Sodomitas demorantem diuerterunt, nec solum hospitem suum, sed eius quoq; filias duas summo vitæ periculo liberarunt, vt communi & horrendæ vastationi patriæ incolumes superessent. Venit Iacob ad iniquum & impium Laban, suoq; aduentu singularem Dei benedictionem locero obtinuit, sicut idem verbis illis fatetur: *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propterea.* Venit Elifeus ad hospitam suam benignam Sunamitidem, atq; vt se illi gratum monstraret, filium eius mortuum ad vitam reuocauit. Venerunt Apostoli pacem domesticis, ad quos fortè se contulissent, elargientes, vt si pacis illic esset filius, super illum pax eorum requiesceret. Hæc aliq; plura id genus exempla indicant satis, Deo inprimis placere, & nobis frugiferum esse bonorum aduentum, studiūq; hospitalitatis, de qua dixit Apostolus: *Beneficentia & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Ac rursus: *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis.* Præterea hinc moneor, piorum & sanctorum hominū vti consuetudine amicitiaq; , per quos frequenter Deus etiam immerentibus opitulatur, sicut & propter Mariæ visita-

tionem

tionem totam Zachariæ domum benedixisse videtur, quam diu Maria electum Dei organum tribus mensibus illic demorata est. Si enim Dominus olim ad præsentiam aræ fœderis, domui Obed Edom, ac Aegyptijs propter Ioseph benedixit, quanto est credibilius ex visitatione Mariæ nõ Ioanni solùm, sed & Zachariæ & Elisabethæ domicilio magnum commodum accessisse? Certè sicut ille *qui tangit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo, induit superbiam*, quemadmodum Sapiens docet; ita vicissim qui cum electis verèq; pijs & religiosis versatur, peculiarem per illos Dei gratiam sapè sortitur, & si non in bonis ditior, tamen in vita & moribus melior fieri solet. Vt hinc doceat Salomon: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur.* Curabo insuper, vt si diuinam expetam visitationem, qua multùm egeo, Christum ipsum non solùm in hominibus probis, sed etiam in pauperibus ac miseris excipiam, eosq; mihi reddã familiares. Non enim mentiri potest Veritas nobis apertè promittens: *Qui recipit vos, me recipit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Qui suscepit vnum paruulum in nomine meo, me suscipit.* Tum Iacobus Apostolus perspicuè docet: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Ac talem sanè visitationem permagni facit Christus, vt in extremo iudicio sit palàm suis dicturus electis: *Hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me.* Inhumanis autem, & à Christiana hospitalitate alienis illud exprobrabit: *Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me, infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Discedit igitur à me maledicti in ignem æternum.* Igitur qui proximum piè visitat ac iuuat, vicissim visitatur ac iuuatur à Domino, tales recepturus amicos & remuneratores, qui quum opus fuerit, in æterna eum recipiant tabernacula. *Pietas enim ad omnia utilis est, pro-*

2. Reg. 6.
Genes. 50.

Eccles. 13.

Prouer. 13.

Matt. 110.

Matth. 25.
& 18.


Iacob. 1.

Matth. 25.

Luc. 16.

1. Tim. 4.

Iacob. 2. *misionem habens vita que nunc est, & futura. Iudicium autem sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.*



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO Festoq; coniungendis.

Epist. 32. ad Bonif.

ROGANDVS est mihi Deus pro grauidis mulieribus, ut post suos angores feliciter pariant, & pro paruulis, ut ante susceptionem baptismum à vita ita non discedant sed per sacrum laucrum à Christo mundentur atq; sanctificentur, fide interim Ecclesie illis opitulante. Sic enim & Augustinus tradit: Pie recteq; creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offeritur.

Ioan. 5.

ORABO etiam pro Fidelibus, ut libenter ac frequenter visitent pregnantas, egrotos, & pauperes, utq; ex charitate non ficta fiant à multis visitationes xenodochiorum, nosocomiorum, & hierocomiorum. Hoc enim est cum Deipara domum Zachariae siue seniorum visitare: immò & cum Christo piscinam inuisere probaticam cum singulari quadam miserorum consolatione.

DEO insuper commendabo Magistratus, aliosq; praefectos, ut illi tanquam ordinarij visitatores, suum obeant munus, in reformanda utraq; Republica, & in exequendis legibus necessariū.

Salm. 33. & 102.

PRAETEREA ut propositum Deipara sequar exemplum, clementissimum Deum in rebus prosperis laudare consuescam, scilicet mihi sumam illud, Magnificat anima mea Dominum. Nec est dissimile Christianae gratitudinis exemplum in Propheta regio, qui cecinit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Benedic anima mea Domino; & omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius.



IN DIE FESTO BEATAE MARIAE MAG- DALENÆ.

Sequentis Euangelij Argumentum.

Simon Pharifæus Christum Dominum aliosq; sui ordinis viros ad conuiuium vocat, quandoquidem erat ex illo genere hominum, qui communi hypocritarum morbo laborabant, ac propriæ iustitiæ opinione turgidi, alios præsertim criminosè viuentes, præ se facillè despiciabant, & Christo vehementer inuidebant, ad aliorum dicta factaq; carpenda valdè procliuēs. His noua se offert occasio calumniandi, cùm vident notæ turpitudinis mulierem etiam non inuitatam ingredi, & ad Christum accumbentem accurrere, magnæq; pœnitentis aperta signa declarare, licet verbis nihil proloqueretur. Nec satis est illis lugenti mulieri succensere, eamq; profus auersari, nisi & cõtra Christum ipsum tacitè mulsent, quòd is Prophetæ personam sustinens, inhonestæ huius scœminæ contactum admittat, sibiq; potestatem ad remittenda eius peccata sumere videatur. Facit interim officium suum Christus, dum afflietam & mœstissimam scœminam velut benignus medicus excipit, & lacrymantem consolatur, & ab alijs accusatam excusat atq; defendit, simulq; hospiti suo Simoni exprobrat inhumanitatē. Peculiariter autem in hac peccatrice tres eximiæ virtutes elucēt, fides, pœnitentia & charitas, quas in illa quoq; Christus commendauit. Hæc peccatrix enim fide instructa, & diuinitus illuminata offensi Dei iustitiam timuit,

& antea vitæ impudicitiam deplorans, ad cœlestem illum animarum medicum confugit, à quo illud verbum audiuit: Fides tua te saluam fecit. Nihil enim ea dubitabar, quicquid obmurmurarent alij, potestatem remittendi peccata à nullo alio, sicut à Domino I E S V rectè peti & accipi oportere. Rursus de mulieris huius pœnitentia seria & vehementi Lucas disertè testatur, & Christus ipse Simoni hospiti & conuiuis assidentibus ita differit, vt his omnibus illam præferre, ac sanctiorem facere videatur. Postremò peccatricis charitatem satis commendat, quod verissimus conscientiarum testis ac iudex Christus perspicuè loquitur: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quapropter hanc mulierem non modò peccatricem, sed & pœnitentem, omnium pœnitentium exemplar & specimen clarissimum spectare debemus, quoniam ex toto corde à peccatis ad DEUM, à carne ad Spiritum sese conuertit, fructusq; pœnitentiæ dignos facit publicè, nec verbo aut lingua, sed opere & veritate diligens, offenso Deo per Christum reconciliatur. Nec fuerit abs re verba Petri Chrysologi subiungere, quibus ille vsum & fructum huius præclaræ historiæ breuiter cõprehendit. Si nos, inquit, esse peccatores nouimus, & esse nolumus peccatores, pedib. Christi demus lacrymas, spargamus capillos, figamus oscula, pietatis oleum tota deuotione fundamus: vt dicatur nobis, Dimittuntur tibi peccata multa, quia dilexisti multum. Imitemur hanc mulierem, quã conspicimus non solum caruisse peccatis (post actam pœnitentiam) sed ad totum sanctitatis verticem peruenisse.

Ioel 2.

Matth. 3.
I. Ioan. 3.Serm. 2. in
hoc Euang.

E V A N G E L I V M


Lucaë VII.



*I*n illo tempore rogabat I E S V M quidam de Phariseis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei, discubuit. & ecce mu-

lier

lier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod IESUS
 accubisset in domo Pharisei, attulit alabastrum vnguenti:
 & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius,
 & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vn-
 guento vngebat. Videns autem Phariseus qui vocauerat eum,
 ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtiq; quæ & qua-
 lis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens
 IESUS dixit ad illum, Simon, habeo tibi aliquid dicere. At
 ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori,
 vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non
 habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisq;. Quis ergo eum
 plus diligit? Respondens Simon dixit, Aestimo quia is cui plus
 donauit. At ille dixit ei, Recte iudicasti. Et conuersus ad mu-
 lierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum
 tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis ri-
 gauit pedes meos, & capillis suis terxit. osculum mihi non dedi-
 sti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.
 Oleo caput meum non vnxi: hæc autem vnguento vnxit pe-
 des meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata mul-
 ta, quoniam dilexit multum. cui autem minus dimittitur, mi-
 nus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et
 cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic,
 qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulie-
 rem: Fides tua te saluam fecit.
 vade in pace.





NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.
Tum de Simone hospite & Pharisæis.*

Rom. 14.



IN AM alios in suo abundare sensu, & ædificatio-
nis potiùs quàm contètionis studium æmulabor,
nihilq; mihi habebò commune cum cõtentiosis,
qui de propositæ peccatricis nomine libenter disceptant, vt
ex vna Magdalena tres fabricent atq; in medium protrudant.
Mihì sat erit, probatam eorum amplecti sententiam, qui no-
men, conuersionem & pœnitentiam præsentis peccatricis,
quam Lucas exprimere noluit, vni tribuunt Mariæ Magdale-
næ, quæ passim in Euãgelio multis nominib⁹ præclarè com-
mendatur. Hanc marthæ & Lazari sororem faciunt doctis-
simi Theologi, nominatim Ambrosius, Hieronymus, Au-
gustinus, Gregorius, Beda, vt recentiores & Latinos alios
prætermittam. Adhæc permagni faciam Ecclesiæ sanctæ au-
thoritatem, quæ hoc festum in honorem magdalenæ certò
celebrat, & in eo dictam historicam Euangelicam de hac pec-
catrice legendam, cantandam ac tractandam disertè propo-
nit, multaq; inde cantica ad eandem personam prædicandã
accommodare solet, nec obscurè illorum cõfirmat senten-
tiam, qui illam ipsam peccatricem Euangelicam iam pridem
appellant. Cuius magdalenæ nomen eò mihi est eritq; cha-
rius, quòd multa & eximia de illa commemorent Euangeli-
stæ, vt nulla mulier alia secundum sacratissimam Deiparam
Christo acceptior & familiarior fuisse videatur. Tantoq; li-
bentius Christum vt summum optimumq; pastorem agno-
scam: qui per Prophetam promiserat: *Ecce ego ipse requiram*

Ezech. 34.

oues meas, & visitabo eas. Tum eidem ex animo gratias agam, qui vt suscepto Messiaë muneris satisfaciatur, arundinem quassatã non confregit, & linũ fumigans nõ extinxit, sed & oues cõplures errantes in hoc deserto collegit, pereuntes reduxit, malè sanas restituit, hoc est, ex perditis hominibus multos insigniter iustos sibiq; percharos effecit, quemadmodum sanè Matthæũ, Zachæum, publicanos & peccatores. *Venit enim filius hominis querere & saluum facere quod perierat.* Veruntamen ex conuersis omnibus haudfacilè comperies aliquem, qui præter Magdalenam, in illis Euangelicæ gratiæ primordijs publicã pœnitentiam instituerit, ac illustriorem Christianæ pœnitentiæ typum peccatoribus & peccatricibus omnibus præmonstrãrit. Illa profectò in suo sexu idem sibi sumere, & ad Christi gloriã cum Paulo dicere potuit: *Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Proculdubio permultis ac enormibus flagitijs illa Deum offenderat, Satanæ seruierat, gehennam promeruerat, corpus animumque conspurcarat, & bonorum malorumq; oculos ad turpitudinẽ prouocarat, quæ si Gregorio magno credimus, vniuersis vitijs plena fuit: vnde scripsit Marcus Euangelista, Christum de hac Magdalena septem dæmonia eiecisse.

Notabo in super huius mundi ingenium veteremq; morẽ, qui semper obtinet, suo nempe principe in hoc cooperante, vt ad meliorem vitam, & præclaram iustitiæ perfectionem aspirantibus libenter obstrepat & obsistat, variasq; remoras Dei seruis & ancillis iniicere gaudeat. Vnde statim atq; Matthæus & Zachæus de mutanda vita, de mamona vitando, Christoq; sectando cogitant, euestigio insurgunt inuidi Pharisæi, & si nõ ipsos Neophytos, tamen magistrum eorum Christum inuidiosè sugillant, ac Apostolis etiam negotium exhibent. Rursus vt primùm ad Euangelicam pœnitentiam Magdalena se præparat, & moræ impatiens, proprium animæ suæ medicum coram accedit, morosus & superbus hospes Simon calumniatur, & vnà cum alijs Pharisæis durum & iniquum censorem se illi palam exhibet, vt pœnitentis quoque conspectum auerfa-

Matth. 12.
Luc. 15.

Matth. 9.
Luc. 19.
Matth. 21.
Luc. 15.
Luc. 19.

1. Tim. 1.

Marc. 16.

Matth. 9.
Luc. 19.

Luc. 7.

Isai. 65.

Luc. 10.

Matt. 26.
Ioan. 12.Luc. 10.
Matt. 26.
Marc. 14.Marc. 16.
Iob. 12.
4. Reg. 2.2. Tim. 3.
Ecclef. 2.

Thren. 3.

retur, Christumq; ipsum superciliosè damnaret. Rectè igitur Isaias in persona huiusmodi hypocritæ dixit: *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es.* Iam verò Magdalena ad meliorem frugem conuersa, cum fideliter Christo adhæreret atq; seruiret germanam suam sororem, quæ Martha dicta est, infestam habere cogitur, & apud Christum velut otiosa & rei domesticæ negligēs, palam accusatur. Neque multò ante mortem Domini accidit, vt quidam discipulorum pium huius fœminæ institutum ob profusum vnguentum communibus sententijs reprehenderent, ac præclarum eius conatum à Christo ipso defensum, sed velut cum pauperum iniuria coniunctum, deprauarent. Adeò difficile est, vt boni malis, & Christiano candore carentibus faciant satis: quin potius ad inuidiam & calumniam etiam quod bono fit animo, iniquè rapiunt ac detorquent. Constans verò & sincerus amicus est nobis Christus, sicut & Magdalenæ fuit, eiq; fidum se patronum præbuit, vt causam illius non solùm aduersus Phariseos calumniantes, sed & contra sororem exoptulantem, ac discipulos obmurmurantes defenderit ac propugnarit. Cur igitur facilè subirascor, ac molestè fero, si vota & consilia mea non prosperè succedunt, sed ab alijs vel impediuntur, vel reprehenduntur? Cur non cogito, crucem electis promissam, viamque crucis terendam esse his qui cum Magdalena Christum crucifixum colunt & amant? *Nolite expauescere,* inquit Angelus: *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum.* Deridetur à pueris iusti Elisæi simplicitas: sed & statim per sæuos vrsos, qui discerpserunt pueros, facta seruo Dei contumelia seuerè vindicatur. Quid multis? *Omnes qui piè volunt viuere in Christo IESV, persecutionè patiuntur,* Apostolo teste. Et sapiens inquit: *Fili, accedens ad seruitutem Dei, stas in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Scrutabor quoque vias meas, vt cum Propheta loquar, & ne fallat me amor proprius qui philautia dicitur, sæpè dispiciã, an in me fermentum aliquod Pharisæicum hæreat, quod mihi cum Simone & sodalibus eius commune sit, nec solùm ani-

mæ meæ puritatem vitiet, sed & oculos diuinæ maiestatis offendat. Eiusmodi fermentum prorsus expugnandum est, verbi gratia, cristas erigere, de me ipso magnificè sentire, honorificè ab alijs indulgenterque tractari velle, benefacta & merita propria vel palàm iactare, vel occultè prodere, æquales aut inferiores præ me despiciere, nãuos & festucas aliorum potiùs, quàm vitia mea notare atque exaggerare, suspicionibus vanis ac iudicijs temerarijs indulgere, de proximi successibus, correctione vel resipiscencia nihil aut parum confidere, denique illa quæ aliqua ex parte excusari, vel bono animo fieri possunt, denigrare, & in deteriorem partem rapere, carpere & mordere. Etenim his modis etiam Christiani Simonem à Christo reprehensum æmulamur, & Pharisaico fermento polluimur, ac simul Christianum candorem cum supercilio Iudaico commutamus. Exigua quidem hæc vulgo, sed apud Deum non prorsus leuia peccata censentur, quæ tantò grauiùs ille puniet, quantò magis in his patiens, benigna, candidaque charitas læditur atque violatur. *Iudicium enim sine misericordia fiet illi qui nõ fecerit misericordiam, vt Iacobus affirmat.* Cur igitur ad voces illas Euangelicas obsurdesco: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui?* Magnam sanè operam dabo, vt cum lapsis ac relapsis proximis agam candidè, & singularem in eos compassionem, humanitatem ac benignitatem exerceam, vtq; fraternæ charitati nullum à me præiudicium fiat. *Debemus enim firmiores, sicut Apostolus præcipit, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Ac proprium est spiritualium officium, vt si homo in delicto fuerit præoccupatus, cuiusmodi lapsum instruant in spiritu lenitatis, & considerent seipos, ne & ipsi tententur, vt idem Paulus postulat.

Quanta verò Christi clementia & misericordia hoc in loco mihi non modò spectanda, sed etiam imitanda sese offert? quo-

1. Cor. 5.

1. Cor. 13.

Iac. 2.

Luc. 6.

Matth. 7.

Rom. 14.

Galat. 6.

Matth. 11.

Rom. 7.
In ferm. de
ablut. pedū.Luc. 7.
Ioan. 12.
Luc. 10.
Matt. 16.

Marc. 16.

Luc. 8.
Iohan. 19.
& 20.

Luc. 10.

niam is æmulorum, & mala semper pro bonis rependentium conuictum mensamq; communem non refugit, technas eorum & calumnias sustinet patienter, sui copiam publicanis & meretricibus vltro præbet, lethalter ægrotos curat, immò & mortuos ad vitam reuocat, venientes ad se omnes clementer suscipit, & non venientes citra delectum amanter inuitat. *Venite* inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.* Talem ac tantam Christi bonitatem in Magdalena mirabor maximè, quæ cum tamdiu flagitijs, immò & dæmonibus vitiorum omnium authoribus, corpore & animo velut mancipium inseruiuisset, ex lebete tandem in auream phialā, & ex vase contumeliæ in vas gloriæ translata est, vt si de vlllo alio peccati seruo vel ancilla, certè de illa vel maximè vbiq; gentium prædicari possit: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Huic mulieri (infamē personam Cyprianus appellat) Christus sole purior, corpus suum contingendum, vngendum, & osculandum porrexit: pedes suos ab illa lauari tergiq; voluit, huius patrociniū etiam non rogatus vltro suscepit; eius opus vnum aduersus aliorum querimonias tanti habuit, vt promiserit, eius scēminę memoriā, vbiq; sonabit vox Euangelij, perpetuò celebrandam esse. Nonne Magdalena primū post mortem apparuit rediuius? eamq; velut Apostolam Apostolorum, vt Bernardum sequar, inter piās mulieres primariam fecit internuntiam, quæ de sua resurrectione mœstis discipulis annuntiaret? Nullam, vt opinor, aliā in Euangelio reperiā, cui Christus clariora intimæ familiaritatis & mirabilis amicitia signa communicauerit, quam ad sublimiorem diuinæ dilectionis gradum perduxerit, & quæ insuper mundo magis mortua, contemplantis aut vitæ studiū & cultum exactius declararit. Hæc illa Maria est, quæ non modò Christo de suis facultatibus ministrauit, sed & docentem illum vsq; comitata est, vt neque ab illius cruce & monumento diuelli posset. Hæc est, quæ alijs alia curantibus, totam se Christo & Euangelicæ pietati tribuit, de qua sola scriptum legimus, quòd sedens secus pedes Domini audiebat verbum il-

lius, animo nempe cupidissimo, & cum inexplibili iustitię siti-
 tantaq; cum voluptate, vt suo iure testaretur illud, *Bonum mihi*
lex oris tuis, super millia auri & argenti. Quam dulcia faucibus meis
eloquia tua; super mel ori meo? Hęc illa Maria est, quę Christo
 iudice, licet non vacaret hospitalitati, tamen optimam partē
 à paucis quęsitam inuenit, ac inuentam retinuit mordicus,
 quam nulla tentationum vis, nec mortis terror & horror illi
 posset auferre. Pretiosum in suo alabastro vnguentum attulit,
 quo Christi caput & pedes vngeret, eiusq; vnguenti fragran-
 tia totam compleuit domum Ecclesię. Miranda certē mulier,
 quę, vt Gregorius loquitur, quot in se habuit oblectamenta,
 tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerū
 numerum criminum, vt totum Deo seruiret in pœnitentia,
 quicquid ex se Deum contempserat in culpa.] Christo autem
 semel reconciliata, ingentem consolationem ex illo verbo
 Vade in pace conceptam non amisit, quia bonę conscientię
 testimonio deinde semper gauisa, & in gratia confirmata est,
 vt cum Paulo reconciliato fidenter dicere posset: *Gloria nostra*
hęc est, testimonium conscientię nostrę. Iustificati ex fide, pacem ha-
bemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Viuo iam
non ego: viuio verò in me Christus. Quod autem nunc viuio in cari-
ne, in fide viuio filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro
me. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Quę omnia mihi
 ad festum hoc celebrandum tantò gratiora esse debent, quā-
 tò maiorem vim adferunt, si ritè ponderentur, ad summam
 Christi misericordiam peccatoribus & peccatricibus omni-
 bus fortissimè commendandam, atque ad singularem nostris
 animis erga illum fiduciam & charitatem ingenerandam. Is
 enim est qui *patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed*
omnes ad pœnitentiam cum Magdalena reuerti, quique pœni-
 tentibus & veniam promittit, & viam tribuit iustitię, certissi-
 mè præstans quod pollicitus est: *Pœnitentiam agite: appropin-*
quauit enim regnum cęlorum. Pœnitimini & conuertimini vt de-
leantur peccata vestra.

Psal. 118.

Iohan. 12.

2. Corin. 1.
Roman. 5.

Gala 2.

Rom. 8.

2. Pet. 3.
Eccl. 13.Matth. 4.
Agor. 3.

Attulit alabastrum unguenti: & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.

MIRABOR equidem, hodie complures de sola fide iustificante gloriari, ac de operibus bonis quæ ad pœnitentiam atque iustificationem nos præparent, tam futiliter loqui, ut nullum eorum pretium agnoscere, sed fordida potiùs & hypocritica illa æstimare, prorsus quæ despiciere videantur. Nam longè aliter hoc loco sentit Lucas, dum opera peccatricis siue Magdalenæ postea iustificatæ depingit, & Christum ipsum introducit, qui eadem opera hospiti suo Simoni repetendo supputat, illique palàm exprobrat, quòd eiusmodi officia, præsertim ad virtutem charitatis spectantia, perperam prætermiserit. Quid istuc est aliud quæso, quàm Magdalenæ nondum iustificatæ benefacta probare, sibi quæ grata & illi frugifera, alijs quæ imitanda commòstrare? An non idem Christus publicanum in templo precantem & pœnitentem extollit, quòd operibus quibusdam ad iustificationis gratiam sese præparârit, & idcirco iustificatus de templo discesserit? Huc præterea refert opera, quæ in cilicio & cinere faciunt pœnitentes, inter quos nominatim collocat Niniuitas, qui ex audita pœnitentiæ prædicatione commoti, splendorem vestium ac luxum abiecerunt, ieiunium sibi & bestijs indixerunt, & saccis induti, ardentè clamauerunt ad Dominum. Sed quo successu atque fructu? *Vidit Deus opera eorum*, sicut Ionas adiunxit, Deo nimirum factam ab illis pœnitentiam & interiorem & exteriorem clarissimè comprobante. Nisi corporalis & externa pœnitentia, quæ suam quoque laudè habet in Iohanne Baptista & Iob, cū ex corde non ficto sed sincero procedit, Deo placeret, pœnas meritas auerteret, homini quæ prodesset, ad Eliam Prophetam non diceret iudex omnium Deus: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducã malum in diebus eius.* Quocirca ne me ipsum fallam, magnam

Luc. 18.

Matth. 11.
Matth. 12.
Ionæ. 3.Matth. 3.
& 11.
Iob. 42.

3. Reg. 21.

ego vim statuam in illo Dei præcepto quod cunctos ad poenitentiam, eiusque opera non hypocriticè, sed sincerè facta obstringens, inquit: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu*, quemadmodum citra controuersiam Magdalena nostra sese conuertit, suæque conuersionis Christum habuit certissimum approbatorè. *Fides*, inquit, *tua saluam te fecit*: quia Fides totius iustificationis ac salutis humanæ principium & origo est. Nec enim potest quisquam se ad Deum conuertere, qui fide careat: vt hinc Paulus & Rufinus affirmant, accedentem ad Deum primorū omnium credere oportere, quia est & inquiringibus se remunerator sit. Sed iam peccatricis opera, quibus ad iustificationem sese præparauit ac instruxit, expendam.

In his ipsis multa certè numerantur à Luca, quæ sine Dei præcepto, sine pij monitoris consilio, & ex sola suggestionè Spiritus instituebantur. An opus erat illi iam credenti, ac de antea facta turpitudine dolenti, tantò zelo, tantaque vi negotiū suum aggredi? Si quidē in ædes Pharisæi discumbentis irrum-pit, se ipsam non obscure pudefacit, Christum in cōiuiuo impeditum inurbanè interpellat, & neque præsentiam hospitem, neque hominum iudicia villo modo veretur. Esto, ad Christum velut medicum spirituales confugere cupiebat, de quo sibi optima pollicebatur. Ergone oportebat ad humillimam corporis Dominici partem se veluti canem abijcere, & illi supplicem fieri ac in mœrore summo iacere & eiulare? Cur non cogitat, tot gestibus & ritibus externis nihil esse opus apud cordium scrutatorem, sed fidem in Christum sufficere ad iustificationem: sat esse de peccatis dolere commissis. Iuxta dictum illud Propheticum: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies?* Illa vero non contenta se peccatricem agnoscere, incredibili pudore circumfusa, tota sibi displicet, & primùm ante Christi cōspectum metuit apparere, perinde ac si cum filio prodigo diceret: *Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius vel ancilla tuae maiestatis*. Retrò igitur Christum ad-

Ioel. 2.

Heb. 11.
In Symolū
Aposto.

Psal. 50.

Luc. 15.

Pfal. xxs.

orta est, quòd puderet oculos ad illum attollere, quem suorum criminum per omnia conscium & iudicem esse credebat: sed neque verbum vllum audet proferre, quo peccatus mœstissimū illi quem nihil fugit, aperiret. Præter omnē consuetudinem & illud accedit, quòd inter lætas epulas tam tristes offerat lacrymas, tamq̃; copiosum lacrymarū imbrem effundat, qui laundis Christi pedibus sufficere possit, perinde ac si cum Prophetæ pœnitente fateretur: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Ita verò sibi dura & feuera est, vt præcipuo capitis ornamento, quod mulierculæ in suis capillis ponunt, minimè parcat: hos enim ad Christi pedes tergendos intorquet, ac lintei loco habet, nullam sui corporis vel decori habens rationem. Ad hæc pedes exteros Domini amanter deosculatur, & oscula defigendi nullum facit finem, sicut illa Christi verba nobis indicant: *Hæc ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.* Demum ex allati alabastri pixide pretiosum depromit vnguentum, eo que dictos pedes studiosè perfundit, vt non solū immenso dolori ex odio atque contemptu sui promananti, sed & incredibili suo erga Christū amori, quem ex summa illius benignitate conceperat, vtunque satisfaciat. Nihil ergo mirum, quòd Cyprianus affirmet, huius mulieris deuotionē vsam esse capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo, quæ simul tetigerit, lauerit & vnixerit; cor eius contritum eripisse in lacrymas, fidem lauisse, charitatem vnxisse; nihil illam de se retinere, quæ se totam Christo deuouerit.

Serm. de ablut. ped.

E G O verò etiam atq; etiam Christo Domino gratias agā, qui noster etiam velit esse propitiator, quemadmodum huic Magdalene fuit, quā & fide illuminauit, & ad pœnitentiam excitauit, contritionem ei perfectam conferens, eamque de accepta remissione peccatorum omnium certissimam reddens, quam demum agenda pœnitentiæ specimen & exemplar illustrissimum, quod semper in Ecclesia fulgeret, cunctis cum offenso Deo reconciliandis voluit præluere. Deinde maiorem in modū desiderabo, à magistra Magdalena discere,

vt sciam

vt sciam duplices lacrymas, pœnitentiæ nimirum & amoris, cum illa ipsa fundere, quasque meo frequenter in hac vita offeram Redemptori. Etenim qui nouam quotidie immunditiam, multasque maculas peccando contraho, nouo etiam & frequenti lacrymarum lauacro vel remedio vt munder & expurger indigeo, semperque dicere habeo: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Cùm verò sciret idē Propheta, hanc abluionem & mundationem non solis constare precibus, sed & lacrymis impetrari, de seipso dicere non dubitauit: *Fuerunt mihi lacryma mea panis die ac nocte.* ac rursum, *Laboravi in gemitu meo; lauabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo.* Sed & Petrus Apostolorum princeps, postquam inter impios non diu commoratus, Christum abnegasset, & ab illis digressus esset, fleuit amarè, ac fletum illum postea sibi, vt scribunt, valde habuit familiarem, nimirum vt superioris negationis culpam lacrymis magis magisque dilueret ac expiaret. *Qui enim seminant in lacrymis, in exultatione metent;* & firma est Christi promissio: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Neque solum doloris, sed amoris etiam lacrymas abundantes habuit magdalena, & me habere docuit, vt Christo magis placeam inferuiamque. Quare cum fratrem suum Lazarum morte sublatum cerneret, luctu & lacrymis illum est profecuta, suisque precibus obtinuit, vt mortuus & sepultus ille per Christum vite restitueretur. Tantum amicæ illius lacrymæ apud vitæ principem valuerunt. Sicut autem in terris illa nihil habebat Christo charius, ita illo ipso per acerbam mortem extincto nihil tristius & acerbius perpeti poterat: ideoque iuxta crucem, & ad monumētum Domini moerentissimas lachrymas sudit, & fundendo summi thesauri, quem prorsus amissum putabat, ingens desiderium ac amorem ardentem multum diuque plorando testata est. Quare obrem ab Angelis duobus rogata, *Mulier quid ploras?* de suo dilecto fidenter ita respondit: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Et cùm Christus ipse hortulani speciem præ se ferens, ab illa percontaretur: *Mulier quid ploras? quem*

Psal. 50.

Psal. 41. & 6.

Matth. 27.

Psal. 125.

Matth. 5.

Ioan. 11.

Luc 23.

Ioan. 19.

Ioan. 20.

Philipp. 3.
Roman. 9.
2. Corin. 12.

2. Corin. 1.

Lib. de vir-
ginitate.
2. Reg. 18.

In cap. 7.
Lucæ.

Quæris: illa impotenti amore flagrans, & viriliter animosa dicere non formidauit? Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. Quid præterea, nisi fraternus amor Paulum impulit, vt cum pro alijs, tum pro ipsis apertis crucis hostibus funderet lachrymas, quemadmodum & pro illis fecit Corinthijs, qui super immunditia, fornicatione, & impudicitia perpetrata non egerant pœnitentiam? Vbi certè mihi displicebo, quòd neque Pauli, neque Magdalena, neq; Dauidis & aliorum Sanctorum sequar exemplum, qui nõ modò pro suis, sed etiã proximorum criminibus vberes profuderunt lacrymas, atq; donum quod vocant, lacrymarum excellens habuerunt, eoq; maiore gratia & consolatione spiritus cumulati, reipsa senserunt quod à Paulo dictum accepimus: *Sicut abundant passionēs Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Cuiuscemodi donum mihi deesse fatebor, vt qui sum sæpè mundi filijs durior, quos videmus facultatibus amissis, vel ob mortem amicorum, vel propter cruciatum corporis grauissimè plorare, & consolatorem vix vllum admittere. Felices autem illi, quibus, vti Magdalena, vel Christi charitas, vel fratrum incommodum exprimit lachrymas, quia syncerè quærunt nõ quæ sua sunt, sed quæ Christi & aliorum. Præclare quidem Athanasius admonet, vt lachrymis noctu Dominum aduocemus, sicut Regem Dauid fecisse constat. Vt enim idem inquit, magna virtus in lachrymis, & præclara per eas fiunt: ingentia peccata & iniquitates per lachrymas obliterantur.] Adiungit & illud quod est memorabile, non omnes habere gratiam lacrymarum, sed illos duntaxat, qui carnis curam non gerunt, qui ignorant prorsus an sit mundus, qui mortificauerunt mēbra ea quæ sunt in terra. Nec veretur testari Ambrosius: Bonæ lacrymæ, quæ non solùm nostrum possunt lauare delictum; sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium; vt gressus in nobis eius exhuberent. Bonæ lacrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorum, sed etiam refectio est iustorum.]



EVANGELICAE HISTORIAE APPLI-
CATIO AD AGENDAM
POENITENTIAM.

MULTIPLEX vsus est praesentis Euangelij, quocumque oculos vertam, siue Christum ipsum, siue Magdalenam, quam peccatricis loco hic accipi dictum est, siue Simonem Pharisaicum unam cum suis collegis velim intueri. Ego vero Magdalenam duntaxat exemplum dispiciam, & quomodo illa nostri saeculi corruptelas, labes ac licentiam coarguat, parumper expendam. Est enim praesens aetas non dissimilis illi, qua iam pridem floruit insignis Christi martyr Cyprianus, cum a poenitentia homines abhorrebant, & illud quod libebat, licere sibi sub Christiani nominis titulo passim arbitrabantur. Sic enim inter alia scriptum nobis reliquit: Virgas & flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus.] ac alibi rursus: Iniuste sibi placetes, & transpunctae mentis alienatione dementes, Domini praecipua contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere poenitentiam nolunt. Pacem sibi vltro nemine dante sumperunt, falsa pollicitatione seducti, & apostatis ac perfidis iuncti, errorem probabilitate suscipiunt. Poenitentiam, inquit, criminis tollunt, satisfactionis vim claudunt: ita fit, vt dum temeritate quorundam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes vera salutis adimatur.] Quamquam de illis maxime loquitur Cyprianus, qui tempore persecutionis, cum iussi sacrificassent idolis, ante expiata delicta, & ante exomologesin criminis factam, a quibusdam Presbyteris pacem extorserant, atque sic indignè Sacramentum sumperant venerabilis Eucharistiae. Verum vt redeam ad Magdalenam, existimabo verè illi tribui posse quod Christus de Moysse dixit: *Est qui accusat vos Moyses.* Ita enim & nobis fas erit dicere, *Est quae accusat vos Christianos hoc tempore Magdalena.* Rursus & hoc Christi verbum est:

Lib. 4. ep. 4.
Serm. de
lapsis.

Ioan. 5.

Deut. 23.

1. Corin. 6.

Genes. 6.

Isai. 64.

Matth. 24.

Galat. 5.

Ephes. 5.

1. Theff. 5.

Heb. 13.

1. Theff. 5.

Ephes. 5.

Rom. 13.

Isai. 28.

*Viri Ninivite surgent in iudicio cum generatione hac (de Iudæis autem obstinatis loquitur) & condemnabūt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ione. Quid autem obstat, quò minus ad hunc modum dicamus & nos? Euangelica peccatrix ista surget in iudicio cum generatione hac fidelium suæ visitationis tempus ignorantium, & condemnabit eam ob neglectam pœnitentiam, quam illa non verbo & lingua, sed opere & veritate comprobavit. Ac primùm quidem isthæc, vt vnica peccatrix in ciuitate nobis à Luca profertur. Nunc publica & meretricia turpitudine, quam nec in veteri synagoga Deus ferre potuit, oppida, pagi & hospitia publica passim implentur, & membra quæ sancti Spiritus viua templa esse debebant, Veneri & impudicitia prostituantur, vt non temerè in nostros homines illud competat: *Omnis caro corruptit viam suam super terram. Facti sumus vt immundus omnes.* Nulli hodie non nupturiunt, sicut olim in diebus Noë secundū Christi vaticinium. Quarè contempta iacet, proh dolor, virginitas, vidualis pudicitia parui ducitur, quia & illorum cœlibatus impurus apparet, qui seipso maximè propter regnū cœlorum castrare debebant: à scortandi autem & adulterandi consuetudine, nec legibus ciuilibus, nec verbi Dei horrendis comminationibus homines deterrentur, adeo quæ in multis fertur impunè obscœna polygamia. Hi sunt demùm teterrimi fructus effrenis crapulæ & ebrietatis, quando & iuuentus inde à primis annis carni ventriq; suprâ modum indulget, omniaq; libidinis incitamenta vi magna captantur. Quis igitur locus & honos cõstare posset sanctæ castitati ac pudicitia? cū ad voces illas Apostolicas obsurdescam: *Sciat vnusquisq; vestrū vas suū possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorant Deū. Fornicatio & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Nō ambulemus in cõmessationibus & ebrietatibus, nō in cubilibus & impudicijs.* O miserū & vbiq; corruptū seculū, tot scœdis & abominandis libidinibus inquinatū, quod iustus Deus horrendis modis & plagis magis magisque vindicat, & vexatio tamē nō tribuit intellectum.*

MAGDALENA nunquam ita desipuit, vt clementem Deum duntaxat esse crederet, ac sola illius misericordia nitēdum nobis putaret, sciens haud dubiè quod scriptum erat: *Ne dicas, Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Nunc inter Christianos plurimi sunt Epicuræi, qui aut Deum non esse sentiunt, aut solam Dei misericordiam somniant atque iactant. Hinc illi quomodocunque viuatur, per agnitam Dei misericordiam, & propter Christi merita se aliosque iustos & saluos fore habent persuasimū, immò & in sua quemque lege saluari posse non dubitant. Hęc Maria Deum simul benignum & iustum esse pro certo ducit, eiusque iustitiam peccatoribus metuendam putat, qui offenso Deo ne possint quidem reconciliari, nisi peccatis amotis nouam instituant vitam, ac Deo placere studeant, sicut diuina illius præcepta exigunt. Nunc commune vulgus hominum in hoc tetro versatur errore, vt optimam pœnitētiā appellent nouam vitam: satis enim illum veteris vitæ pœnituisse putant, qui vitam & mores emendauerit, licet peccatorum nulla fiat expiatio. Rectiùs autem Magdalena iudicabat, & ex Scriptura didicerat quæ sic loquitur: *De propitiato peccato noli esse sine metu. Fili peccasti: Non adicias iterum: sed & de pristinis deprecare vt tibi dimittantur. Diuerte à malo & fac bonum.* Hęc ipsa non sat habet Dei verbum audire, & in Christum ita credere, vt sola ipsius fide mundetur atque iustificetur. Nunc bona hominū pars iustitiam & salutem suam in eo collocat, quòd verbum Dei prædicatum audiat, certoque confidat, solam Christi gratiam & obedientiam fide apprehensam ad salutē cuique sufficere, doctrinam verò de pœnitentia præterit, quicquid Christus & Apostoli omnes de illa concionentur. Magdalena non credit modò, sed & timorem cum fide coniungit, certoque persuasa est, quòd timor Domini peccatum expellat, & initiū sit sapientiæ, & eum qui sine timore est, non posse iustificari. Quare superioris vitæ odium quoddam concipit, ac de peccatis commissis dolorem intimum colligit, vt & ipsa dicere

Eccles. 5.

Eccles. 5.
& 21.

Eccles. 5.

Isai. 38.

possit, sicut Ezechias dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anima mea.* Nunc sine metu securè peccant homines, de morte, iudicio & gehenna nunquam solliciti, & satis fore putant, se agnoscere peccatores & peccatrices, etiam si nullo peccatorum sensu & dolore tangantur, neque in timore & tremore seruiant Deo viuenti.

Ierem. 2.
Psal. 2.
Philip. 2.

H V I C Magdalena visum non est satis, finem peccatis hactenus commissis imponere, & eorum causa lugere, sed studiosè curat etiam suorum criminum in quibus hæserat, occasiones & illecebras sibi præscindere, mundo quæ & eius vanitatibus atque cõcupiscentijs prorsus valedicere, iuxta illud:

Ezech. 18.
Eccl. 13.

Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa. Qui amat periculum, peribit in illo. Nunc ex corde non toto, sed dimidiato conuertimur ad Dominum, dum ea nobis amanda reseruamus, quæ odisse oportuerat, dum quæ Deo & mamone, spiritui & carni simul inseruimus, & veram quidè Dei & proximi charitatem simulamus magis quàm reipsa præstare conamur.

Matth. 6.

Dicimus quidem Domine, domine, sed cum fatuis virginibus Deum labijs honoramus, à vero interim Dei cultu & amore proximi plus satis alieni. Hæc ipsa mulier Deum iratum sibi placare diffidit, nisi & sibi ipsi succenseat, se quæ odio prosequatur, iuxta illud Propheticum: *Ira scimini & nolite peccare.*

Matth. 7.
& 25.

Vnde se ipsam iudicat ac feuerè purit, quemadmodum Dauid Niniuitas & alios fecisse cognouerat. Nunc leuiter potius quàm serio pœnitentiam agimus, eaquæ pœnitentiæ umbra nos tegimus, quod tentationem, carnem, satanam, & nescio quos criminum socios accusamus, nobis ipsis tam blandi atque propitij, vt veteri homini suauia & mollia cuncta permittamus, nihilque prauis cupiditatibus & vitiosis affectibus nostris detrahi patiamur.

Psal. 7.
2. Reg. 2.
Ion. 3.

Quasi verò frustra monuerit Paulus: *Si nosmet ipsos diiudicemus, non vniquè iudicemur. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Expurgate vetus fermentum.* Hæc mulier ita se gerit, vt præceptum illud Propheticum diligenter obseruet: *Scito & vide, quia malum &*

1. Cor. 11.
Galat. 5.
1. Cor. 5.

amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Et quoniam pacato esse animo nequit, quàm diu grauissimum peccatorum onus sustinet, Christum etiam prudentem interpellat, vt salutare suis vulneribus medicinam statim exquirat, & relictis tenebris in luce ambulet. Nos licet lethaliter vulnerati, curationem omnem in tempus longum protrahimus, nos ipsos immodicè in nostris tenebris consolamur, & spe vana lactamus, ac demum ex vsu potius quam de industria nos curandos permittimus medico spirituali, quandoquidè Christum in illo loquentem & absoluentem minimè obseruamus, semperq; de curatione corporis potius quàm de immortalis animi salute solliciti sumus.

R V R S V S Magdalena licet diues ac nobilis, seipsam pudefacit, non recusans publicam agere pœnitentiam, præsertim apud eos, quibus ingratham & molestam se fore nouerat, horumque ludibrio seipsam exponit, vilia prorsus seruiliaque amplectens ministeria. Nunc pœnitentiæ, vt veteres appellarunt, publicæ specimen & exemplum amisimus, simulque pudorem ferè omnem exuimus, vt neque coram Deo, neq; coram Dei legatis & hominibus alijs ob enormia etiam cõmissa crimina erubescamus. Ad hæc ægrè ferimus, nos priuatim & & corripì, ac palàm vt meremur corrigi, pœnas Ecclesiasticas, quas Imperator etiã Theodosius nõ refugit, vel cõtemnimus vel fastidimus. Præterea nos pudet ac piget secretæ pœnitentiæ formam retinere, quia molestum est, Sacerdotum velut iudicum aduolui pedibus; tædet conscientia pondus Ecclesiæ ministris fidenter exponere; absolutionis autem beneficium tantoperè necessarium rarò petere, ac leuiter excipere, quia vsitatum videmus, idcirco sufficiens, ratum & legitimum esse arbitramur.

H A E C ipsa mulier mundi & prioris vanitatis oblita, in lacrymas tota diffuit placandique finem non facit, & quanto maiorem antea luxum amplexa fuerat, quantoque plus voluptatis & lasciuia suo indulserat corpori, amatrix omnium de-

In præfens
Euang.

lici arum, tantò sibi modò seuerior, & in prostrato ad Christi pedes corpore durior esse perguit, vt quemadmodum Gregorius ait, totum Deo seruiat in pœnitentia, quicquid Deum cõtem pferat in culpa. Nunc si verum fatebimur, tota serè vita nobis ociando & ridendo effluit, aut certè bona vitæ pars ita perit, vt omnis doctrina de pœnitentia, omnis que susceptus de peccatis dolor, ne vnã quidem nobis lacrymulam extorqueat: interim dum iocandi, ludendi, saltandi, cantillandi, cacinnandi, compotandi modum ac finem tenere non possumus, cogitationem & curam omnem abijcimus cum Magdalena plorandi, nostraq; vel aliorũ causa tristes fundendi lacrymas. Proinde neque consolatoribus Euangelicis indigemus, vt qui nos ipsos nimium consolamur, omnis serè luctus obli-

Prou. 2. I

ti, & in res ludicras, terrenasq; curas ac voluptates carnis effusi in quos vtinam non illud quoque competat, *Latantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Hæc insuper ad pœnitentiam promouendam non parcat sumptibus, quia pretiosum & exquisitum, quod in alabastro attulerat, vnguentum effundit ac prodigit, nec sui delicati corporis rationem habet, quæ capillos in linteum vile cõuertit, vt habeat quo Christi pedes extergatur, sed & pro summis habet delicijs, pedes eodẽ amanter ac frequẽter exosculari. Nobis nullus pænè labor ac sumptus despicabilior videri solet, quàm qui ad corpus affligendum, carnemque mortificandam impenditur: displicet profus, quidquid ad pœnitentiam coram Deo & alijs testificandã infumi & adhiberi possit. Multo magis proditoris Iudæ socij sumus, & eũ eo mussitantes libenter dicimus: *Vt quid perditio hæc?* Bonorum nostrorum, siue ante siue post confessionem fiant, non indiget Deus. Christus pro nobis satisfecit: *dolores nostros ipse portauit.*

Matth. 26.
Psal. 15.

Isai. 53.

a Psalm. 6. &

40.

2. Reg. vlt.

b Isai. 38. &

4. Reg. 20.

c Luc. 1.

d Luc. 18.

P O S T R E M O non Magdalena modò, verum etiã *a* Dauid, *b* Ezechias, *c* Zacharias, *d* Publicanus, à suorum peccatorũ vinculis non potuerunt absolui, nisi pœnis quibusdam temporarijs affligerentur, & post illatam Deo iniuriam, crimina sua quibusdam pœnitentiæ operibus redimerent ac expia-

rent.

rent. Neque tamen idcirco illi quicquam Christi meritis & satisfactioni derogarunt, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis iustificationem nobis meruit, ac pro peccatis totius mundi abunde satisfecit, utpote Agnus qui occisus est ab origine mundi, & pretium pro peccatis omnium cumulate persoluit. Nunc plurimi non credunt, post remissam culpam peccati mortalis, poenae aliquid homini exoluendum superesse, sed certo sibi persuasum habent, ieiunijs carnisque castigationibus, precibus, eleemosynis, alijsque pietatis operibus neminem Deo reconciliari: adeoque peruiaciter negant, satisfactionem omnem homini possibilem ac necessariam esse, ut poenas meritas auertere, Deumque sibi conciliare possit. Quid quod Christi mors & satisfactio plerosque a peccato morteque peccati non deterret, sed ad peccandum potius reddit audaciores, perinde ac si perfectissima Christi satisfactio, quae culpam & poenam omnem aeternam abolet, poenitentiam nostram vindicatoriam euacuet ac excludat. Nec enim animaduertere volunt, Christum pro nobis passum esse non solum ad gratiam promerendam, sed etiam ad statuendum exemplum, ut ipsi patiando, crucis & mortis eius fructum nobis pro nostro modulo applicemus. Hinc Apostolica illa dicta, quae nostram cooperationem exigunt, sedulo perpendam: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Heredes erimus Dei, & coheredes Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, iustitia viuamus.* Atque huc spectant fructus digni poenitentiae, quos non solum Iohannes Baptista, sed & Paulus illis verbis exigit, cum docet ut poenitentiam agant peccatores, & conuertantur ad Dominum, digna poenitentiae opera facientes. Proinde nihil impedit prorsus, quod minus suum Christo propitiatori ac redemptori honorẽ illum integrum tribuam, ut sit Agnus Dei peccata mundi ferens, qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus, utque si-

1. Iohan. 1.
1. Tim. 2.
Iohan. 1.
Apoc. 13.

1. Petr. 2.

Rom. 8.

2. Tim. 2.

1. Pet. 2.

Matth. 3.
Act. 26.

Iohan. 1.
1. Tim. 2.

Heb. 6.

Michæ 1.
& 7.Luc. 9.
Coloff. 3.
I. Corin. 11.

Rom. 6.

mul cum Magdalena conuersus, lacrymis peccatorum veniā impetrem, qui sēpè filium Dei rursus crucifigere non sum veritus, ac præterea vt eidē pro me in carne passio, cū hac muliere pœnitente compatiar, sed & iustificatus, cum eādē mūdo mortuus, soli Christo & iustitiæ viam. Nam & Michæas iustificatus dicere non dubitauit: *Plangam & ululabo: vadam spoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet.* Ita demū fiet, vt mortis & sanguinis Domini fructum tantò magis mihi applicem, quantò diligentius Dei monitis obtempero, vt me ipsum abnegē, crucē Domini tollam, mēbra quæ sunt super terrā, mortificē, ac me ipsum demū iudicē. *Si enim nosmetipsos diiudicemus, nō utiq; iudicemur, vt cū à Domino corripimur, non cū hoc mundo damnemur.* Eodē spectat illa Pauli regula, per Magdalenam nostrā, si per vllū aliū, studiosissimè obseruata: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationē.*

QVÆ omnia, ne simus longiores, non obscurè produnt & cōuincunt, miserandum prorsus & deplorandum hoc esse seculum, quo complures Magdalenas in culpa, paucas autem in pœnitentia, si vtrumq; sexum spectes, passim licet reperire. Metuendum est igitur, vt initiò dictum est, hanc ipsam Evangelicam verè magistrā coram Christo iudice nobiscum grauius exposlaturā, quòd ab ipsius exemplo & vestigijs adeò longè discessum sit, vt iam perniciose animorum pestes, & ingentia scelera non modò passim inualuerint, sed scelera pro sceleribus non agnoscantur, & agnita nullo studio deuētetur, multoq; minus iusto Magdalena studio & zelo post Christū agnitum diluantur & expientur. Adeò in sancta pœnitentiæ schola frigemus omnes & in via peccatorū lati procurrimus, atq; in semitam diuini timoris, tot licet flagellis correpti, non possumus reuocari. Cuius rei causam nō minimam præbent qui Evangelicam, immò carnalem libertatem summopere vrgent, & de quibus nos præmonuit hoc modo Spiritus san-

Etus: *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent.*

VERVM satis erit hunc totum locum quibus Patrum sententijs absoluere, quorũ prior est Cyprianus Martyr & Episcopus, qui ad sui temporis consuetudinem alludens, ita suũ populum adhortatur: Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adherere, in cilicio & sordibus volutari, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, & elemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.] Proh dolor, isthæc pœnitentiæ opera, quàm erant veteri Ecclesiæ familiaria & vsitata, tam hodie sunt passim obsoleta, & quæ plerisq; nimis dura videntur & horrida, ne dicam Papiistica. Posterior verò Chrysostomus, cùm citasset Pauli locum, *Si nosmet ipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur*, mox ista subiicit. Ut igitur neque puniamur, neque pœnas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitamq; explicet, cunctisq; commissis diligenter excussis, condemnet animam, quæ hîc patrauit, puniat cogitationes, affligat cruciet & suam ipsius mentem, suppliciumq; à seipso exigat pro peccatis per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lacrymas, per confessionem, per ieiunium, per elemosynam, per continentiam & charitatem; ut possimus omnes, omni modo hîc depositis peccatis, multa cum fiducia illuc proficisci.]

Thren. 2.

Lib. de lapsis.

Concione 3.
de Lazaro.
I. Corin. II.

DE PRECATIONIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro impudicis feminis, quæ corpore suo questum faciunt, & publicam vitæ turpitudinem exercent, perniciose profecto diaboli retia, quibus toleratis multa pestes in rempublicam inuehantur. Ex his cõplures Magdalenas, Afras, Hilarias, Pelagias, Thaides, & Marias Aegyptiacas: id est,

ex peccatricibus pœnitentes effici tanò magis orandum & procurandum est, quantò certius constat, hoc præstantis misericordie opus in tales conuertendas impensum, uti Deo acceptissimum, ita & animabus multorum ac multarum vtilissimum, & Satane quidem regno aduersum esse maxime.

In præsens
Euang.

ORABO etiam ut corporis voluptates, mundiq; illecebras auerfer ac fugiam: & idcirco cum Euthymio dicam: Vtinam contingat, ut & anima mea voluptatum amatrix pœnitentia pungetur, & lacrymis ablueret factorem ipsius peccati, ac suauem ad Deum odorem deferret vnguenti ipsius virtutis.]

PETAM etiam lacrymas mihi duplices tribui, sancti nempe doloris & amoris, quibus abundauit Magdalena, & idcirco ex pœnitente facta est Christi amatrix feruentissima, & sinceram cum illo amicitiam tota vita studiosissime postea conseruauit, & mundi suiq; conserptrix ardentissima perstitit.

Lib. 50.
hom. hom.
49. & 50.
Matth. 18.

DIVINAM quoq; gratiam implorabo ad verum pœnitentia studium pro ante actis criminibus meis consecrandum, utq; cū amicis meis hanc vitam non absoluam sine pœnitentia & perfecta cum Deo recôciliatione, quæ ordinariè certa esse nò potest, nisi Sacramento Confessionis & Absolutione Sacerdotis Catholici accedente. Vt enim Augustinus Ecclesie Doctor irrefutabilis admonet, non sine causa dictum est à Domino: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo: nec sine causa clauis date sunt Ecclesie, quibus peccatorum mortiferis vinculis implicatus in terra soluatur, ut sit solutus in cælo. Dei frustra Euangelium, qui sine clauibus Ecclesie peccatorum remissionem sibi alijsq; promittit.





IN DIE FESTO
SANCTI IACOBI APO-
STOLI, QVEM MAIOREM
APPELLANT.


Sequentis Euangelij Argumentum.

FILII duo Zebedæi, qui & Christi cognati ac Apo-
stoli Iacobus & Iohannes dicuntur, humano quodam
affectu ducti, ad temporarium Christi regnum, quod breui
ad futurum sperabant, mirum in modum aspirant, nec in
postremis haberi, sed socijs etiã alijs in eo cupiunt ante-
poni. Qua de re cum sua matre Salome secretò consultât,
eamque subornant, vt suo magis quam ipsorum nomine
Christum coràm adeat, ac locum in eodem regno filijs
impetret præcellentē. Obsequitur mater amans filios, &
supplex orat Dominū, vt istorū honori prospiciat, eosq;
alijs præponat, cū regnū ab eo fuerit administrandum.
Vbi Christus secretorū omnium conscius, ita responder,
vt hos discipulos nouæ ambitionis authores magis quã
petentem ipsorum matrem peritringat, eorumq; delide-
rium cum ignorãtia coniunctū ac inordinatum esse cõ-
monstret. Præposteram quippe hanc esse curam eo tem-
pore, quo non de regno & honore, sed de agone & labore,
caliceq; afflictionis hauriendo cogitanda esset, vt suo
se magistro conformet, & per viam crucis, quam suis e-
lectis parauit Deus, ad veri cœlestis que regni gloriam se-
cum proficiscantur. Malè igitur habuit reliquos Apo-
stolos, quod audirent istos Zebedæi filios ad primatum ne-
scio quem aspirare, & excellentem quendam honoris

gradum appetere, sibi que solis vendicare velle. Accedit autem Christus medicus, vt ambitionis & æmulationis morbum, quo nihil est in Ecclesia perniciosius, radicitus euellat, & sicut mundani fastus vanam consuetudinem fugiendam, ita & sui ipsius exemplum omnibus & singulis imitandum proponit, summam nempe sui submissiōnem magnis & paruis studiosè commendans. Est igitur Christi Domini regnum non terrenum ac mundanum, quod vi ac armis occupatur, expectandum, vt Iudæi somniant, sed spirituale, cœleste ac æternum desiderandum, quod humilitate, fide, charitate, patientia, obedientia que sedula comparatur. Hoc regnum de mundo esse Christus negat, & in illo valent arma non carnalia sed spiritualia, quæ veros Christi milites ita muniunt atque defendunt, vt aduersus insidias Diaboli in die malo resistere, & in omnibus perfecti stare possint, quemadmodum Paulus Apostolus Ephesios perspicue docet, panopliam depingens Euangelicam.

Iohan. 18.

Ephes. 6.



EVANGELIUM MAT-
thæi XX.



*N*illo tempore accessit ad IESUM mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei, Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem IESUS, dixit, Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, Possumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

NOTA

NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
PRAESENS EVANGELIUM
ET FESTVM.

*Accessit ad IESU M mater filiorum Zebedaei
cum filijs suis.*

LGO parentum & filiorum naturam, communemque imbecillitatem in hoc Euangelio in primis mecum expendam. Quod enim praesentium duorum filiorum matri Salome hic accidit, ut plus aequo suis filijs, eorumque desiderijs indulgeat, ac honori eorundem potius quam utilitati & saluti consulere satagat, id ipsum alijs etiam parentibus saepenumero solet usu venire. Etenim hi secundum carnem & sanguinem ferè iudicant, suosque filios praepostero & inordinato amore prosequuntur, suis interim affectibus obsequentes. Tale ingenium fuit & Bersabee, quae cum Davidis vxor & Salomonis mater esset, sollicitè procuravit, ut viuo adhuc patre pro Adonia filius eius Salomon, quem impensè diligebat, in patris regno successor promulgaretur. Tum de Athalia Amri filia legimus, quòd Ochoziam regem, filiumque suum eò impulerit, ut impiè ageret, & instar Achab regis à vera deficeret religione. Est sanè nativa quaedam in parentibus affectio siue zelotypia, per quam summoperè studeant filijs locupletandis, & ad magnos dignitatis honores prouehendis. Ob hunc immodicum amorem multa indulgent liberis ad malum alioqui propensis, eosque non educant, ut Paulus praecipit, in disciplina & correptione Domini, quandoquidè in castigandis illorum vitijs remissi naturà sunt potius quam seueri. Dolebo igitur iuuentutem nostram tam negligenter ac vitiosè nutriri, ut non animorum sed corporum duntaxat,

3. Reg. 1.

2. Paralip.
22.Ephes. 6.
Coloss. 3.

paren-

parentes habere videamur, per quorum licentiam omnis ferè cura & disciplina, quæ ad pueritiam rectè pieque instituendâ spectat, fœdè neglecta iacet, ac totius Ecclesiæ seminarium relinquit corruptissimū. Parum expenditur dictū sapientissimi Regis: *Qui parcat virgæ, odit filium suum: qui autem diligit Deum, instanter erudit. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam. Noli subtrahere puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur: in virga percuties eum, & animam de inferno liberabis.* Monet similiter Ecclesiasticus: *Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia sua. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella.* Proinde cùm Heli Sacerdos in hoc paterno officio præstando cessaret, suisque filijs esset indulgentior, filios Belial est assecutus, Deumq; per illos tam grauitè offendit, vt simul & sibi, & familiæ suæ, ac toti Reipublice Iudaicæ maximam attulerit calamitatem. Grauitè autè peccant hoc tempore parentes, qui vt summo optimoq; parenti se turpiter ingratos declarent, consilium vel auxilium filijs præbent, vt à Christi seruitio, vitæq; perfectioris instituto auocentur. Sed & filij magnum scelus admittunt, & contristant Spiritum sanctum, qui parentum cupiditatem Dei parētis & effectoris omnium honori & voluntati anteponunt, Christi que monita & consilia propter parentum & amicorū amorem scientes negligunt. Vnde cùm quidam primū patrem humare, & postea Christum sequi vellet, illam reprehensionem audiuit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Ac alibi rursus ait Dominus: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Nam vt Petrus quoque dixit: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Ad Zebedæi filios venio, qui & aliorum filiorum ingenium nobis in eo referunt, quòd suæ matris, quantumuis honestæ ac probæ matronæ, gratia ac beneuolentia perperam abutuntur, dum per illam subdolè id impetrare cogitant, quod per se petere verecundum videbatur. Hactenus inter illos conuenerat, vt ad altiora quædam sibi gradum facerent, & siue in temporali, siue in ecclesiastico regno non milites, sed velut incliti

Prou. 13.
22. & 23.

Eccles. 7. &
30.
1. Reg. 3.
& 4.

Matth. 8.
& 10.
Actor. 5.

latrapæ ac principes esse possent, quibus præcipua loca in no-
ui Regis aula decernerentur. Rem totam secretò cum matre
conferunt, vt illa cum Christo tractandum negotium susci-
piat: quòd sperarent illa intercedente, se commodiùs id quod
petebant, impetraturos, aut certè si non succederet ex animo
sententia, minorè sibi inuidiam apud alios discipulos esse cõ-
flandam, quandoquidem mater, velut imprudens, audax &
loquax mulier, nouum hoc cõsiliu[m] ex se Christo suggestis-
se videretur. Quis verò putaret, tantum in istis prudentiæ, ne
dicam versutiæ reperiri, vt viles pauperesque piscatores, &
Christi collegæ tam superbos gererent spiritus, nec solùm se
alijs præferre, sed Petrum etiam de suo loco deicere velle vi-
derentur? Tam parùm illi in Christi schola profecerant, post-
quam semel reliquissent omnia, & Euāgelicam paupertatem
fuisent amplexi, nec modò Christi regnum fugitantis vidis-
sent exemplum, sed & eius doctrinam de contemptu mundi,
suiq; submissione sæpenumerò percepissent. An fortasse cogi-
tabant & sperabant Christum ipsum fallere? quicquid demũ
humanæ vel prudentiæ vel calliditatis prætexerent in hac am-
bitione sua velanda atq; dissimulanda. Sciebant vtique non
temerè scriptum esse, *Non est sapientia, non est prudentia, non est
consilium contra Dominum. Omnia opera hominum velut sobin
conspectu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicientes in vijs
hominis.* Nam de Christo magistro alibi quoque fatentur, *Sci-
mus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. In
hoc credimus quia à Deo existi.* Quod si Marcum Euangelistam
sequimur, hi duo discipuli non modò per matrem, quam astu
suo fallere poterant, sed etiam per seipsos summam eternam-
que sapientiam Christum sic adorti sunt, vt palàm profiteren-
tur, *Magister volumus, vt quodcumq; petierimus, facias nobis.* Sic
illi satis quidem audacter, ne dicam imperiosè loquuntur, ve-
lut suum huleus diutiùs tegere nõ possent, & eo satis aperiu[n]t
graue infelixq; vitium ambitionis, quod sublimes etiam An-
gelos deprauauit, ac dæmones tetros effecit, quodq; Aposto-
lis negotium exhibuit, vt Christo etiam præsentè de primatu

Ioan. 6.
Matth. 16.
18. 19.

Prouer. 21.
Eccles. 17.

Iohan. 16.

Marc. 10.

Ifai. 14.
Matth. 18.
Marc. 9.
Luc. 22.

inter

inter se aliquādo certarent. Hoc pestilens omninò crimē est, nō mihi solūm, sed etiam alijs siue Ecclesiasticis, siue Politicis apprimè cauendum. quod si semel Christianum occupet animum, diuini timoris obliuionem inducit, mentis oculos mirum in modum obcæcat, hominemque fidelem ita dementat, vt ex humili superbum, ex audaci impudentem, ac tantūm non ethnicū faciat, ac demum ea quæ libet, sibi homo licere arbitretur. Quamobrem vtilis, adeo que necessaria nobis Pauli doctrina est, *Non efficiamur inanis gloria cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Abominatio Domini est omnis arrogans*, ait Salomō, & sicut Ecclesiasticus asserit, *Filio dolofo nihil erit boni*. Verè venenum charitatis cupiditas, sicut & concordia omnis pestis est ambitio, inuidia mater, quam vt ego rectius fugiam, etiam atque etiam notabo communem hominum stultitiam, qui, cum descendere sit facilimum, difficilimum autem ascendere, malunt tamē ipsi cum labore & periculo ascendere, quā cum maximo suo fructu, pari que facilitate descendere. Cum autem honorem sublimem petunt, quid nisi summum onus sibi volunt imponere, ac perpetuam sibi crucem accersere, maximo que periculo sese committere, vt Christi legatos agant atque vicarios, rationem de suscepto munere grauissimam tandem reddituri? Etenim in hos competit quod Iosaphat Rex Israel sapienter suis dixit iudicibus: *Non hominis exercetis iudicium sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.* Nota est illa quoque sententia: *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patienter; fortioribus fortior instat cruciatio.* Quare Christus futurus omnium iudex non temerè dixit: *Omni cui multum datum est, multum quaeretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Quid ergo præclari de me ipso sentiam, vel de ambitione vllā cogitationem admittam, qui multò minùs quā beati Apostoli, in pietate profeci, & inter medias hostium insidias ambulo, semperq; cum Propæta Deum rogare habeo: *Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me,*

Galat. 5.
Prouer. 16.
Eccles. 14.

2. Paral. 19.

Sapi. 6.

Luc. 12.

Psal. 139.
& 39.

qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge euge. Quocirca mihi sedulo curandum putabo, vt præfenti gratia, quæ mihi affulgere videtur, non magis quàm arridente aura nitar atque confidam, & eius quod scriptum est, nunquam obliuiscar: *Qui stat, videat ne cadat. Beatus homo qui semper est pauidus. Homo sapiens in omnibus metuit.* Eoque mihi commendatius erit, quod Iohannes post acceptum Spiritum sanctum cautior factus, sapientissimè monuit, *Nolite omni spiritu credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Nec enim dici satis potest, quàm multæ & horrendæ criminum pestes ex hoc fonte quotidie manent, quòd pleni rimarum ac futiles, non ponderamus & examinamus spiritus malignos, qui nos incogitantes ad loquendum & agendum, immo etiam ad superbiam nunquã non concitant & impellunt. Vnde non solû de fama & existimatione nominis sæpè periclitamur, verum etiam precantes repulsam ferimus à Deo, nos que dignos reddimus, quibus perinde ac Zebedæi filijs, respondeatur, *Nescitis quid petatis.* Etenim illi humanæ leuitatis & audaciæ afflatu magis quàm sanctæ fidei, rectæq; confidentiæ spiritu ducti, cû Christo agere voluerunt. Tum suis humanis viribus nimium tribuerunt, qui tam inconsideratè ac præcipitanter sese ad bibendum Christi calicem aptos acidoneos esse responderunt. Cæterum res ipsa docuit, quàm imbecilles ac fragiles illi ad crucem ferendam, calicemq; bibendum essent, qui cum primùm Dominus in horto ab hostibus caperetur, turpi fugæ sese commiserunt. Quapropter horum Apostolorum, qui nondum robore spiritus erant confirmati, non modò virtutibus, sed etiam vitijs admonebor, me ipsum agnoscere & iudicare, ac præcipuè quidem ab omni ambitione & dominandi imperandiq; libidine, tanquam præfenti veneno, me liberum semper integrumq; seruabo. Adhęc in loquendo & agendo subitos naturæ concitatoris motus, qui dictis Zebedæi filijs non defuerunt, reprimam, meosque spiritus & affectus, ne mentem rationemque perturbent ac impediunt, inprimis excutiam,

1. Corin. 10.
Prou. 28.

1. Ioham. 4.

Matth. 26.
Marc. 14.

Luc. 9.

ac strenuè

Prou. 16.

Ecclef. 18.

Prou. 13.

ac strenuè moderabor. Scriptum est enim: *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Ac iterum in verbo Dei legimus, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si prestes animam tuam concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Qui autem omnia agunt cum consilio, reguntur sapientia.*

Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

Rom. 15.

Matth. 4:

Marc. 1.

Luc. 14.

Luc. 9.

CHRISTO Domino gratias agam, qui vt optimum prudentissimumque medicum præstaret, ac plurimorum cõsuleret incolumitati, suorum discipulorum non modò virtutes, sed etiam imbecillitates prodi voluit atque describi, partim vt singularem ipsius bonitatem ac patientiam, partim vt nostrorum animorum pestes, & adhibenda illis remedia rectius agnosceremus, ac sæpius cogitaremus. Etenim vt Apostolus quoque monuit, *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.* Quod autem ad propositos Zebedæi filios attinet, Deum sanè in illis hætenus prædicabo, quòd præclarum nobis præbuerunt exemplum obedientiæ, cùm à Christo vocati, se paratos illi ac promptos discipulos exhibuerunt. Etenim cum Zebedæo patre versantes in naui, suaque reficientes retia, vna Christi voce suere contenti & vocati, statim relictis retibus & patre, secuti sunt Dominum. Quid istuc est aliud, nisi vt ego ad perfectiora diuinitus accersitus, mundi negotijs, & peccandi periculis siue occasionibus ferò abrenunciem, mundoque maligno & eius concupiscentijs ex animo valedicam? Eò spectant illæ quoque sententiæ: *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Neque sat fuit his fratribus, Euangelicam paupertatem amplecti, sed cum ea purum quoque & perpetuum cælibatum coniunxerunt, sicut postea comprobabi-

mus.

mus. Non repetam virtutes alias, quibus illi Apostolis alijs nõ fuerunt inferiores, & præsertim singularem eorum patientiã, quam Christus in suis agnoscens discipulis extremæ cœnæ tẽpore, dicere non dubitavit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Nec defuit charitas, quam & natura illis inferuerat, cum germani fratres existerent, & Christi doctrina, Euangelicumque præceptum stabiliuerat. Vnde in Euangelio frequenter illi coniunguntur, & præ cæteris discipulis Christo valde familiares, & vnà cum Petro commendati fuisse videntur. Par & ardens eorum fuit votum ad Christi calicem bibendum, quia se promptos ad vitam & sanguinem pro Christi nomine profundendum obtulerunt. Gratum illis ac dulce visum est, maximè post diuini Spiritus, acceptas primitias, perhibere testimonium veræ fidei, & Apostolicę professionis dare specimen: ideoque non modò veros Christi cognatos siue consanguineos, sed & constantes discipulos, fidosque Apostolos sese apud Iudæos & Gentes palàm declararunt. Propria illorum vox utique fuit, *In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille (Christus) animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

NE QVE interim illi suis nequis ac imbecillitatibus caruerunt, quæ non solùm ipsis, sed nobis etiam alijsque credentibus profuerunt: quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, omnia inquam, non solùm quę prospera, verum etiam quę putantur aduersa, sicut locum Cassianus exponit. Horum ergo fratrum animos, vt indicauimus, tirillauit quidẽ tentatio vanæ ambitionis: qui enim nõ est tẽtatus, quid scit? inquit Sapiens: tentati verò illi seipso rectiùs agnouerunt, quòd homines essent Christi gratia, maioreque dono Spiritus indigentes, potissimùm verò ad omnem mundi spiritum & fastum perfectè superandum. Proinde quod Iohannes apertè scripsit, frater etiam eius Iacobus libentè haud dubiè factus est: *Sedixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Luc. 22.

Iohan. 13.
& 15.
Matt. 10.
& 17.
Marc. 13.
& 5.
Luc. 5. 6. 9.

1. Iohan. 3.

*novi apostolorum
Iacobi & Iohis*Collatione
6. c. 9.

Eccles. 34.

Am. Ocho

1. Iohan. 1.

Luc. 9.

2
in manu
capituli

Fuit insuper n̄uus in his discipulis, quòd Euangelicæ m̄suetudinis obliuio, aliquando Samaritanis, qui Christum hospitem nollent excipere, subirascerentur, & vindictæ cuiusdam cupiditate cōmoti, in verba illa prorumperent: *Domine, vis decarnus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Quanquam si verum fatebimur, nos etiam hodie multò sumus deteriores, in quos meritò competat, quod Christus eisdem discipulis tum temporis ita respondit, *Nescitis cuius spiritus estis.* Crebri enim ac vehementes concitatoris naturæ motus leui de causa nos corripere solent, vt ferè in rabiem agi videamur: ac nonnunquam animo furibundi, lingua procaces, manibus violenti, & armis efferi, à nullo ferè iniuriæ genere in vexandis proximis abstinemus, atque adeò nos implecabiles alis quando exhibemus, ideoque ad immortales inimicitias, dira maledicta, & inueterata odia subinde proslimus. Tam procul distamus, proh dolor, à lenitate Dauidis, de seipso testantis: *Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: nihilque ferè commune habemus cum illo magistro, qui mititatem & humilitatem omnem à se nos discere voluit, quique cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem se ius dicanti iniuste, vt princeps monet Apostolorum.*

Psalm. 131.
& 120.Matth. II.
I. Pet. 2.

3.

Peccarunt præterea hi duo fratres, licet per ignorantiam magis quàm animi malitiam, eò quòd in Christi regno versantes, de temporali eius regno sollicitè cogitarent, internum verò & spirituale parui facerent, quòdque in suo Apostolatu contra Christi verbum & exemplum præesse potius quàm subesse contenderent, ac demùm sua consilia non cum fido magistro, sed cum muliere sua genitrice conferrent. Hoc enim est de carne & mundo, plus quàm de spiritu & Euangelica philosophia cogitare, quando quidem non sapit illis Christus pauper, abiectus, despectus; sed nescio quem Christum alium nobilem, diuitem, potentem ac gloriosum sibi fabricant ac proponant, vt sanè cū Isaiâ Propheta dicere neuiquam possent: *Desiderauius eum despectum & nouissimum virorum, virum do-*

Isai. 59.

lorum

lorum, & scientem infirmitatem: neque Paulinum illud rectè sibi fumerent, *Non iudicavi me scire aliquid inter vos nisi IESUM Christum, & hunc crucifixum.*

Vbi ego non sine graui dolore mecum expendam, tam multos hodie in suis quidem oculis sapientes, in densis versari tenebris, vt licet de Christo eiusque regno maximè gloriantur, tamen illum ipsum cum Zebedæi filijs ignorare videantur. Etenim quomodo verè illum agnoscant ac prædicant, qui eundem veluti caput à corpore separant, suaque illum domo in qua moratur spoliant, nec propria eius retinent Sacramenta, quibus legitimos ille ministros & dispensatores vult adhiberi? Plenis buccis, vt aiunt, Christum crepant nostri Euangelici, suumque redemptorem & saluatorem esse iactant, eiusque promissiones & merita sibi arrogant confiderent. Quòd si rectè illum cognoscerent atque confiterentur, eundem perinde ac virtutum omnium exemplar, perfectæque iustitiæ doctorem susciperent, neque minus legislatorem amplecterentur. Ita enim ille in verbo Dei seipsum constituit, & palàm affirmat, *Exemplum deî vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Quid alioqui Christi natiuitas nobis conferet quæso, nisi nos credentes quasi modò geniti infantes cum ipso quodammodo repuerascamus? Quid proficiet nobis Domini circumcisio, nisi præputium cordis, vt Moyses loquitur, & ipsi circumcidamus, & circumcisionem cordis in spiritu, vt Paulus loquitur, exhibeamus? Quem fructum ex eius cruce & morte capiemus, nisi crucem & ipsi nostram tollamus, eique commoriatur? Sicut enim oportuit Christum multa pati, & sic intrare gloriam suam, ita renatis etiam præscriptum est, vt per multas tribulationes in Dei regnum ingrediantur. *Qui non accipit crucem suam,* inquit ille, *& sequitur me, non est me dignus.* Crucifixus est ille pro nobis, relinquens exemplum, vt qui Christi sunt, carnem quoque suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigant. Volens prætereò, quomodo Christus nostra causa sepultus est, atque à mortuis resurrexit, ac cælos demum ascendit, vt si meritum & gloriam eius assequi cupiamus, nostram

1. Corin. 2.

Isai. 5.

Isai. 33.
Iacob. 4.

Iohan. 13.

1. Pet. 2.
Matth. 18.
Marc. 10.
Rom. 2.
Luc. 9.
2. Tim. 2.
Luc. 24.
Actor. 14.

Matth. 10.

Galat. 5.

Rom. 6.
Coloss. 3.
. Pet. 2.

2. Pet. 1.
E sai. 8.
Luc. 2.

Iohan. 14.
Ioh 15.
Ioh 14.
I Ioh 2.
Philipp. 2.

2. Tim. 3.

quoque vitam ad vitæ ipsius exemplar, sicut Apostoli docuerunt, referamus, & formam aliquam mysticæ sepulture, resurrectionis & ascensionis nostris moribus exprimamus. Eapropter à vero Christo discedunt, qui sola fide contenti, exiguam aut nullam in eius imitatione operam locant, neque perpendunt, quod per illum maxima & pretiosa nobis promissa donantur, sicut Petrus affirmat, vt per ea diuinæ consortes naturæ, ipsique capiti conformes efficiantur. Verùm istis Christus est positus in ruinam & scandalum, lapidemq; offensionis, qui quomodocunq; viuant, blandum ac placidum sibi Christum fingunt, iustitiam eius non metuunt, ex Euangelio mollem & suauem efficiunt disciplinam, quandoquidem Christi promissiones vrgent, præcepta verò & exempla negligunt, seque licet extra Ecclesiam mancant, iustificatos prorsus esse confidunt, nec illum iudicem, ac operum remuneratorem expectant, qui vniciq; secundum eius facta vel præmium vel supplicium sit redditurus. Istuc autem profectò nihil est aliud, nisi Christum dimidiatum inuehere, & insignes illas præterire sententias: *Si diligitis me, mandata mea seruate. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Sed nouum hoc docendi genus, quod veteri homini, carnisq; libertati mirè blanditur, eò demum tendit, vt Christiani voluptatum amatores magis quàm Dei, pietatis quidem speciem habeant, virtutem autem eius abnegent, sicut Apostolus dixit. Hinc tam multi sese produnt proh dolor, qui gloriam sine merito quærunt, & meritum ipsum absque operum necessitate metiuntur, & propter fidem atq; fiducia salua sibi ac tuta omnia, id est, victoriã sine certamine, & præmium sine labore audacter pollicentur. Quanquam credibile non est, hos duos Apostolos adeò tunc rudes & rerum sacrarum ignaros extitisse, vt quemadmodum isti faciunt, omninò exaltari voluerint antequam humiliarentur, & metere confiderent priusquam seminarent. Nisi enim sibi persuasum ha-

buisent

buissent illud quod Paulus postea docuit, *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*, nō sese ad bibendum Domini calicem obtulissent, eorumq; responsum Dominus non approbasset, inquiens: *Calicem quidem meum biberis*, nimirum vt necessariā patiendi conditionem, quam & Pater electis præstituit, suis etiam Apostolis inculcaret. Vnde alibi quoq; Christus affirmat: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Non est seruus maior domino suo; neq; apostolus maior est eo qui misit illum.*

2. Tim. 2.

Iohan. 15.
& 13.

S V N T & Catholici hoc loco mihi iure deplorandi, quibus nihil ingratius atq; acerbius esse solet, quàm quòd ad bibendum Christi calicem, & ad crucem portandam vrgeantur atq; impellantur. His peiores & illi sunt existimandi, qui sine virtutis fructu vitam velut otiosam transigunt, suisque cupiditatibus refrenandis nullam ferè curam & medelam adhibent, consecrandis autem honoribus, carnisq; voluptatibus amplectendis perpetuò vacant, nihilq; minùs cogitant quàm de seruando ordine, qui à Deo præscriptus, & hîc confirmatus, hoc exigit, vt per amarū calicem ad veras delicias, per crucem ad regnum, per labores ad requiem, per pugnam ad cœlestem palmā fideles contendant perueniantq;. Verùm in mundi filios, & insanos voluptatis amatores qui sola fidei professione contenti sunt, perbellè competit, quod æterna Sapientia pronuntiat, *Vsq; quò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam: Conuertimini ad correptionem meam.* Contra hos demum horribilis illa supremi iudicis intonabit sententia, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Verè igitur scripsit Hieronymus: Difficile, immò impossibile est, vt & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, vt & hîc ventrem, & ibi mentem impleat, vt de delicijs transeat ad delicias, vt in vtroque seculo primus sit, vt & in cœlo & in terra appareat gloriosus. In eundem sensum tradidit hoc Augustinus: Nemo potest in vtroq; seculo consolari: nec potest quis hîc & in futuro seculo gaudere, sed vnum necesse est vt

Prou. 1.

Matth 25.

Matth. 7.

Epist. ad
Iulian.Soliloqui.
c. 22.

perdat, qui alterum voluerit possidere. Hæc vbi cōsidero Domine consolator meus, in hac vita renuit cōsolari anima mea, vt digna habeatur tuis consolationibus æternis : quia iustum est vt amittat te, quicumq; in aliquo alio magis consolari eligit quàm in te.]

PECULIARITER autem ex hoc discam Euangelio, meipsum frequenter inspicere & explorare, an honoris & principatus cupiditas, quæ in Zebedæi filijs palàm se prodidit, in me fortassis hæreat, vt ad aliquã terrenæ felicitatis gloriam & cupiditatem ambitionis videar aspirare. Etenim vix dici potest, quàm altè hic gloriæ affectus visceribus nostris maneat infixus, vt nō solùm nobiles ac diuites, sed viles etiam ac pauperes eo inficiantur atq; deprauentur. Nam & Ioseph Patriarchæ fratres hoc ambitionis veneno decepti, fraternā charitatem amiserunt, & in eam inuidiam pertracti sunt, vt cū eiusdem Ioseph somnium de principatu percepissent, de illius indignissima nece inter se consularint, illumq; tandem proditoriè vendiderint Ismaëlitis. Cauebo itaq; prorsus, ne subtilis proprii amoris vis ac virus meum animū penetret, ac isthæc occulta pestis me ex homine libero vitiorum quasi mancipium reddat. Prudenter à Leone Magno dictum est; Ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino, *Quicumq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et quicumq; voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Tum Ieremias apertè testatur: *Domine omnes, qui te derelinquunt, confundentur, recedentes à te in terra scribentur* (delibro vitæ delendi,) *quia dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Notabo & illud in horum discipulorum matre Salome, quod pulchram quidem externi cultus gerat imaginem, cū ad Christum orans & adorans accedit; sed quoniam vnà cum filijs terrena petit, nec quærit spiritualia, inaniter orat, ac illud cum suis audire cogitur, *Nescitis quid petatis.* Non enim satis est Deum colere & inuocare, sed quo fine, quamq; puro affectu ac desiderio id fiat, in primis mihi prouidendum est: quan-

quidem

Genes 37.

Epist. 55.
ad Pulcheriam.Matth. 10.
Marc. 10.

Ierem. 17.

quidem actiones omnes ex fine quem mente concipimus, di-
 judicandæ sunt. Vt hinc Christus etiam doceat de oculo sim-
 plici adhibendo, si nostrum obsequium Deo gratum, nobis
 que frugiferum esse cupiamus. *Si oculus tuus simplex fuerit, in-
 quit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit
 nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit.* Etenim cum per-
 uersa est intentio quæ præcedit, (Gregorij verbis vtor)
 prauum est omne opus quod sequitur, quamuis rectum esse
 videatur. Multa videntur bona quæ non sunt, quia animo bo-
 no non fiunt. Postremò me ad Christum ipsum studiosè con-
 uertam, qui cum sit omnium excellentissimus, nobilissimus,
 potentissimus, ditissimus, atq; vt Iohannes monet, rex regum
 & dominus dominatium; tamen in omni vita submissionem
 maximam præ se tulit, mundi regnum & splendorem ablatū
 refutauit, suum regnū de hoc mundo esse negauit, viam cru-
 cis regiam sibi delegit, atq; vt humilitatem velut fortissimum
 antidotum Adæ filijs natura superbis commendaret, nos re-
 legauit ad pueros, dicens: *Amen dico vobis, quisquis non rece-
 perit regnum Dei velut paruulus non intrabit in illud.* Præterea
 non Dei, sed mundi & tenebrarū filios, ac tantum non ethni-
 cos illos videri voluit, qui humili vocatione non contenti, ad
 altiorem honoris gradum aspirant, scq; alijs æquari, immò &
 anteponi concupiscunt. Dolebo igitur, me huius virtutis, quā
 tantoperè Christus amat & postulat, non esse studiosiorem,
 omnemq; tum elationis, tum ambitionis, tum præsumptio-
 nis spiritum in me non magis opprimi & extinguui. Nam reue-
 ra *si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, om-
 nisq; sufficientia nostra ex Deo est,* Apostolo teste, qui præterea
 nihil per contentione, ac per inanem gloriam à nobis agi su-
 stinet, sed vt alios in humilitate superiores nobis inuicem ar-
 bitremur, flagitat. Tanti refert, summi magistri summū illud
 obseruare præceptum: *Discite à me quia mitis sum, &
 humilis corde, quod certè Apostoli de primatu sæpè
 inter se contententes ægrè disce-
 re potuerunt.*

Matth. 6.

Lib. 1. Dia-
log. c. 9.Apoc. 19.
Iohan. 6.
Iohan. 18.Matth. 18.
Marc. 10.Galat. 6.
2. Corin. 3.
Philipp. 2.Matth. 11.
Matth. 20.
Marc. 10.
Luc. 22.



DE BEATO IACOBO APOSTO-
LO, ZEBEDAEI FILIO.

Lib. 1. Dia-
log. cap. 9.

*Iacobus maior cum
Iudub.*

1.

Matth. 4.

Iohan. 15.

Ecclef. 11.

Pfal. 112.

Marc. 1.

X duodecim Apostolis, inter Sanctos præstantissi-
mis (nulli enim magis tanta Spiritus plenitudine abun-
darunt) & velut à Patriarchis Christianorum, qui pro di-
gnitate laudari non possunt, duos ego Iacobos, Maiorē ac Mi-
norem, ut tritus loquendi mos retineatur, magnoperè venera-
bor. Ac maior ille quidē dici meretur quā alter Alphæi filius, &
& frater Domini dicitur, & Episcopus Hierosolymitanus fuit,
sicut antè commōstrauimus: maior inquam vocatione, quo-
niam statim post Apostolorum principem, eiusq; fratrem An-
dread, Galilæus in mari Galilææ à Christo discipulus accersi-
tur. Quid autem mirabilius ea vocatione, in qua vilis pauper-
que piscator ad summū Apostolicæ dignitatis fastigium eue-
hitur, & cum paucis alijs ab altissimo Dei filio honorificentis-
simo illo elogio decoratur: *Vos dixi amicos; quia omnia qua-
cunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis,
sed ego elegeri vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fru-
ctus vester maneat.* Atq; ita Christus re ipsa probauit, quā ve-
rè dixerit Sapiens, *Facile est in oculis Domini subito honestare
pauperem:* quādoquidem, ut in Iacobo cernimus, *erigit de ster-
core pauperem, & collocat eum cum principibus, cum principibus
populi sui,* sicut Psalmographus canit. Ornat autem vocationē
suam hic Iacobus, quod inter primos vocatus discipulos, vo-
canti Christo promptam ac velocem præstat obedientiam,
non contentus nauim & retia relinquere; nisi & patrē Ze-
bedæum iam fortassis senem, & præterea, sicut Marcus notat,
suos mercenarios siue famulos omninò deserat. Etenim tam
perfectum renuntiationis genus de alijs Apostolis non legi-
mus, sed soli Iacobo eiusq; fratri Iohanni laus illa debetur, ut

inde

inde ab initio non se bonis tantum abdicent, verum etiam carnis & cognationis affectibus se prorsus exuant, nec mundo tantum, sed etiam parentibus mortui esse velint, ut soli Christo viuant, seque nouo Messiae totos impendant atque dedant. Quid hoc est aliud, nisi Euangelicè philosophari, & Christi regulam post traditam re ipsa complere: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus.* Quare hic Iacobus longè sapientior alio fuit, qui à Christo, ut se comitaretur monitus, moram necens respondit: *Domine permitte mihi primum ire & sepelire patrem meum.* Eamque vanam excusationem reiecit Dominus dicens, *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.*

FACIT hoc etiam ad Iacobi commendationem, quod sanctissimæ Virginis nepos, Christiq; Domini consanguineus & propinquus esse dicatur & à doctis asseratur. Quanquam nonnulli ambigunt, an mater eius Salome dicta, soror fuerit Matris Domini. Verum de Zebedæo, quod Iacobi patrem egerit, ex Euangelio satis constat; eumq; celebrem virum inter Galilæe incolas extitisse, Nicephorus refert.

ERIT præterea hic Iacobus mihi gratior, quod non tantum inter primos Apostolos habeat locum, verum etiam inter tres illos numeretur, quos Christus honore & amore præcipuo dignatus est, sibiq; velut magis familiares fidosq; testes adiunxit, nimirum Petrum, Iacobum & Iohannem. Hos enim solos in montem secum abducit, ut corporis sui transfigurati gloriam illustrem cernerent, & magnificam Patris de cælo vocem audirent. Hos insuper illi miraculo iussit interesse, cum Archisynagogi filiâ à mortuis excitaret, ac demum sub mortem ab alijs sese disiungens, cum his tribus in hortum intrauit, quando sanguineo sudore perfusus, se ad bibendum pro nobis calicem sponte Patri obtulit, antequam à Iudæis comprehenderetur.

NEC indignum est notatione, quod Christus Iacobum

Matth. 10.
Luc. 14.

Luc. 9.

Iacobi

Matth. 4. 10.
29. & 26.

*Iacobus
galilie
vtab.*

Matth. 17.
2. Pet. 1.

Marc. 9.
Matth. 26.

eius; fratrem ab alijs discipulis in eo discernit, vt proprium
 illis duobus nomen imponat. Etenim Hebraicè, siue vt alij cē-
 sent, Syriacè vocat eos Boanerges, hoc est filios tonitruui, vti
 Marcus indicauit. Hoc autem nomine præmonstratum est fo-
 re, vt hi præ cæteris post acceptum Spiritum sanctum nobiles
 & excellentes agerent Euangelij concionatores, seq; velut E-
 uangelicas tubas præstarent, diuina dogmata mundo into-
 nantes, nec dissimiles forent tonitruo, quod de cælo perstre-
 pit, & admirationē incutit audientibus, magnamq; sæpè vim
 ac terrorem secum adfert. Proinde quod de se Paulus prædi-
 dicat, in hos quoq; competit: *Euangelium nostrum non fuit ad
 vos in sermone tantum, sed in virtute & Spiritu sancto, & in ple-
 nitudine multa.* Ac de Iohanne quidem satis liquet, quod in-
 star tonitruui, si cum Euangelistis alijs conferatur, quasi diuinū
 quoddam edere, & hæreticos omnes magna vi percellere vi-
 deatur, præsertim cum in illas voces quas ethnici quoq; mira-
 bantur, erumpit, *In principio erat Verbum.* Verum ingens discē-
 di docendiq; vis ne Iacobo quidem defuit, agente in illo &
 loquente efficaciter Spiritu sancto, vt complures Iudæi ad
 Christi fidem & cultum conuerterentur. Nihil ergo mirum,
 Herodem, qui Agrippinas dictus est, huic Iacobo magis quam
 alijs Apostolis insidiatum, tamq; insensum & infestum fuisse,
 vt quē præ cæteris in dicendo valere cernebat, eum in carcerē
 ducere, & gladio necare curârit. Cumq; hanc suam tyrannidē
 Iudæis placere animaduerneret, ac illis gratificari vellet, ad Pe-
 trum etiam vincendum conuertit animum, in quem deinde
 post Pascha desæuiret. Ita enim fieri solet, vt maior dicendi vis,
 aliosq; corripienti libertas maius odium pariat, & sæpè cum
 vitæ periculo coniungatur, quemadmodum Iohannes Baptis-
 ta, quoniam Herodis adulterium reprehendit, indignam ne-
 cem pro præmio tulit; vt hinc etiam dici cœperit, *Veritas o-
 dium parit.* Videmus interim in hoc Iacobo compleri, quod
 Christus discipulis fore prædixit: *Cum tradent vos, nolite cogi-
 tare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora
 quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Pa-*

tris vestri qui loquitur in vobis. Vtinam verò complures Boanerges, filiosq; tonitruui haberet Ecclesia, qui se voces in deserto clamantes præstarent intrepidè, & sicut electa Spiritus organa, sermonem proferrent, vti Paulus inquit, viuum, efficacem, omni gladio ancipiti penetrabiliorem, & qui vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus pertingeret. Suapte quidem natura Dei verbum ignitum est vehementer, atq; ad saluandos animos præpotens iuxta illud: Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Verùm paucos est reperire qui sequantur ac præstent Galatas in audiendo Paulo tam sedulos, vt illum prædicantem, sicut angelum Dei, adeoq; Christum ipsum excepisse dicantur.

PRAETEREA hic Iacobus vnà cum fratre suo in Euangelio ita depingitur, vt inter eos optimè conuenerit, vtque in sententijs & voluntatibus non discreparint, nec minùs animo quàm corpore coniuncti vsq; manserint. Idem enim in piscando labor ambos occupat, eadem in Christo sectando, & Euangelico instituto amplectendo cupiditate ducuntur, nec dissimile in precando & calicem Domini bibendo habent desiderium, verè germana in illis charitate flagrante, quæ alioqui in pluribus fratribus vel rara, vel non diuturna est, quemadmodum in magnorum Patriarcharum Abrahamæ, Isaac & Iacob filijs res ipsa prodidit. De talibus autem fratribus, quorum cor vnum & anima vna est, quoniam perpetua viget in illis concordia, rectè dixit Ecclesiastes: *Melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Vt soli: quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Quid verò Dauid, qui fratres in suis filijs valde discordes expertus est? *Ecce, ait, quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Quid quòd Iacobus non solùm Euangelicæ paupertatis, sed etiam sanctæ castitatis, vnà cum suo fratre communi amore ac studio tenebatur? quandoquidem & Epiphanius in vtroq; purum cælibatum extollit. Est enim ita vt à Hieronymo scriptum legimus: Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. ^b Sixtus Pontifex ita dixit: Omnes

Hebr. 4.

Psal. 118.
Iacob. 1.
Ierem. 23.

Galat. 4.

*Iacobi cum Ioseph
Ioseph frater Iacobi
D. Ioseph frater Iacobi*

1.
Matth. 4.
Marc. 1.

2.

3.
Genes. 27.
& 37.

Eccl. 4.

2. Reg. 13.
& 18.
Psal. 132.Hæres. 58.
^a Epist. ad
Painmach.
cap. 8.
^b Lib. de cast.
fit. c. 7.

c Lib. 1. cōt.
Iouin.
din caput
7. Osez.

Epist. ad
Heliodor.
1. Corin. 7.

Marc. 16.

Actor. 12.

Eccles. 12.

discipuli Domini aut virgines, aut continentes. Tum alibi tradit Hieronymus: Apostoli assumpti ad Apostolatam, relinquunt officium coniugale: *rarò autem hæreticus diligit castitatem.*] Oportandum sanè mihi fuerit, vt eiusmodi fratres se passim offerant, qui vt inter se sunt coniunctissimi, ita etiam studijs & benefactis Christo maximè placeant, & singulari pudicitiae laude floreat in Ecclesia. Est quippe sacerdotum proprium *ἀγαθὸν ἄνδρος*, id est, sine nuptijs esse, Christi quæ sponfam Ecclesiam sobria castitate seruare, vt cum Hieronymo loquar, sed & cum Paulo perpetuam suadere castitatem. Cæterum de alijs horum fratrum virtutibus, immò & vitijs, quæ nobis in Euangelio describuntur, satis iam superius est commemoratum.

QVI Iacobus hoc habet proprium, quòd cum alij Apostoli aliò destinarentur ad Euangelium prædicandum, ipse Iudæam, Samariam & Hispaniam prouinciæ suæ loco sit consecutus, vt illi præcepto Christi satisfaceret: *Euntes in mundum vniuersum, predicate Euangelium omni creaturae.* De qua huius Apostoli in Hispaniam profectio nonnulli admirantur, variaq; sciscitantur, maximè cum illum nõ diu à Iudæa abfuisse, sed citò ad collegas Apostolos rediisse, & gladio Herodiano cæsum esse constet. Respondeo, nec Lucam, nec alios veteres his de rebus tantum præbere lucis, quantum potest desiderari: sicut neque de Christo scriptum legimus, quænam in terris ad annum vsq; trigessimum egerit, & quomodo sese apud inferos gesserit, cum post mortem illuc eius anima descendisset. Ac multa quidem id genus alia de sanctissima Virgine matre, de beatis Apostolis & Martyribus interrogari possent, quæ nos interim de illorum vita & morte fugiunt, ac velut in tenebris delitescunt. Certò interim constituendum est, haud sine voluntate Dei pleraq; talia ignorari, partim ad curiositatem humani ingenij inexplebilem coërcendam. *Faciendi enim plures libros, sicut & curiosa sciscitandi nullus est finis:* partim ad maiorem fidem illis authoribus tribuendam, qui multa veluti per manus à maioribus sine scripto tradita, nobis commen-

dârunt,

dârunt, & in Ecclesia retineri voluerunt, quemadmodum ex Apostolo Paulo Chrysoſtomus, Epiphanius & Damascenus ritè confirmant. Illud apud ſapientes eſt extra cõtrouerſiam, Iacobum Apoſtolum poſt Spiritum ſanctum acceptum in Hiſpaniam perueniſſe, & in prædicationis officio parum illic effeciſſe, citoq; in Iudæam rediſſe, cuius & ſacra oſſa è Syria in Gallæciam (extremam Hiſpaniæ partem) translata ſint, eundemq; Apoſtolum plurimis & maximis illic miraculis clariſſe. Quid verò, ſi pauci Scriptores (vetuſtiores intelligo) de his rebus pauca memoriæ prodiderunt? Non inde fit conſequēs, horum ſilentium ſic accipiendum eſſe, vt qui certiora de illis cognouerūt, reiſciantur atq; damnētur, ac præſertim Hiſpani, qui tot ſeculis de ſuo Patrone & Apoſtolo longè plura quàm alij omnes exteri, viderūt, audiuerunt atq; compererūt. Paulatim & ſcriptores quidam acceſſerūt, ſicut *a* Iſidorus, *b* Beda, *c* Turpinus, vt *d* Pontificem Calliſtum omittam. Totus præterea orbis conſitetur, longæuam, crebram & ſollennem eſſe conſuetudinem, religionis ergò iam pridem Compoſtellam peregrinãtium, vt eiufdem Apoſtoli ſacrum corpus inuiſant atq; venerentur. Ego verò mirabor ſingularem Dei patientiã, qua factum eſt, hunc ipſum Apoſtolum in eam Europæ oram quæ ab Hiſpanis incolitur, & inter alias prouincias laudè obtinet ſingularem, Chriſto duce inde ab initio perueniſſe, atq; vt omnes fatētur, fructum illic exiguum collegiſſe, vt perpaucis velut collectis manipulis, & quaſi vacuis manibus in ſuã Iudæam inde ſit reuerſus. Hoc enim raro exemplo docere nos voluit Deus, nõ fat eſſe aliquos ad prædicandi Euangelij munus inſtitui atq; deſtinari, in quibus etiam egregia voluntas & ſtudioſum appareat ardens de populo benemerendi. Etenim præter huiuſmodi inſtitutionem & miſſionem ordinariam, licet conatus & labor miniſtri fidelis accedat, opus eſt Dei fauore & patrocinio peculiari, vt ſacrum hoc munus benè ſuccedat, ac feliciter abſoluatur. Hinc enim Paulus quoq; dixit: *Neg, qui plantat eſt aliquid, neg, qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus.* Conſonat & Pſalmographus dicens: *Niſi Dominus*

2. Theſſ. 2.

a Lib. de Patrib. c. 73.*b* In Colleſtaneis.*c* De reb. geſtib. Caroli Mag.*d* De mirac. & transl. S. Iacobi.1. Corin. 13.
Pſal. 126.

adifica-

Iohan. 15.
Pſalm. 3.

Pſalm. 67.
& 84.

Iſai. 53.
Rom. 10.

Luc. 5.
A&or. 2.

Matth. 5.
Marth. 10.

A&. 16.

Exod. 17.

Pſalm. 25.

edificauerit domum, in vanum laborauerunt qui edificant eam, quemadmodum & Christus verissimè dixit, Sine me nihil potestis facere. Sicuti enim Domini est salus & benedictio; ita & singulari eius beneficio nubes pluuit, ros descendit, aër humectatur, terraq; ipsa suum fructum profundit. Vnde qui felices hominum sunt piscatores, vt ex voto sancta illis succedat piscatio, cum Propheta rectè decantant, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra (cœlesti nempe conspersa semine) dabit fructum suum. Aliorum est dicere: Domine quis credidit auditui nostro? Iacobus verò eximiam præbet consolationem his ministris Ecclesiæ, qui fructum prædicati à se verbi ægrè vel nunquam assequuntur, & Petro Apostolo in Galilæa piscanti non sunt dissimiles, quando quidem is Christo dicebat: Preceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Non defuit quidem Iacobo Spiritus, quo repletus loquebatur Dei magnalia: abundauit & iustitiæ fame & siti, cum optimè cōsultum vellet Hispanis, ac illis gratis dare quod gratis acceperat, desideraret; verùm idem illi quod Paulo Apostolo & Timotheo accidit, qui ambo transeuntes Phrygiam & Galatia regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Iesu, sicut Lucas affirmat. Ita verò Iacobi patientiam probauit ac tentauit Deus, in cuius manu sunt omnia, messemq; Hispanicā quæ tunc valde inculta ac deserta iacebat, alijs operarijs, quos post se septem Iacobus reliquisse dicitur, excollandam referuauit. Vtinam verò eiusmodi Iacobos frequentes inueniamus, nimirum in patientia exercitatos ac promptos, hoc maligno præsertim seculo, quo Pastores ac Doctores malè tractantur, ac velut iampridem Moyses & Aaron, tantùm nō lapidantur. De his cū Prophetæ licet canere: Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

ITA profectò huic Apostolo vsuuenit, qui quod præsens

Hispanis

Hispanis præstare non potuit, post mortem abundè per suos discipulos præstitit, Domino illis cooperante, sterilemq; syluam Hispaniensem in vineam florentissimam postea conuertente. Si autem vllis alijs, certè diuini verbi ministris comite & custode patientia opus fuerit, vt dum semen suum seminât, auditorum improbitate sterilitate ac ingratitude nō offendantur, sed sicut Christus admonet, in patientia fructum suum adferant, etiamsi inuiti cernant, quemadmodum & Christo accidit, quartam partem iacti seminis perire potius quàm fructificare.

VBI ego Hispanis optabo, vt bonorum suorum, quæ non temerè Plinius laudat, fontem ac principem Deum agnoscat ac prædicent, illique suam prouinciam ferant acceptam, quæ alijs ferè antecellit salubritate aëris, pulchritudine regionis, magnitudine fructuum, corporis fortitudine, & ingeniorum fœcunditate. Multò magis autem habent cur sibi gratulentur, Deoq; gratias agant singulares, qui ex primarijs Apostolis talem tantumque Patronum ipsis, vt nullis propemodum alijs Europæis (Petrum & Paulum excipio) benignè concessit. Nec illis deest dolendi lugendiq; causâ, quòd inde ab initio hunc ipsum Pastorem, velut oues errantes & contradicentes, non agnouerint, minusq; reuerèter exceperint, & quasi absq; fructu dimiserint in Iudæam redeuntem. Inde verò iure gaudeât in Domino, quòd Iacobi discipulos, viros verè Apostolicos, velut è radice sancta procreatos conseruarint, & ex hoc benedicto semine fructus illos, qui per vastam deinde Hispaniam sunt propagati, in tot Ecclesijs viderint succreuisse. Cur quæso, illum insignem patronum aut patrem nō libenter honorent, qui haud sine diuina prouidètia suum venerandum corpus, vt pretiosissimū thesaurum, illis donauit, & in hunc diem vsq; reliquit, maximisq; miraculis cohonestauit? Quod enim Iacobus in vita, Deo sic volente, nō poterat, à morte sua, quam primus Apostolorum Christo perfoluit, haud sine stupore orbis exhibuit, vera nempe signa sui Apostolatus ostèdens. Quam nam rogas? Fidei Catholicæ ab alijs Europæis plurimùm vio-

lata

*Psalmus. p. m.
vni q. b. d.*

Matth. 13.
Luc 8.

Hispania religio

Lib. 3. c. 3.
& lib 4. 5.
20. & lib.
37. c. vlt.

*Iacob. maior p. m.
vni apostolis q. b. d.
ocul. r. b. d.*

lata puritatem, in propugnanda religione zelum ardentem, ac in Hispanico etiam imperio propagando successum ac raram felicitatem. Proinde maiorem in modum desiderabo, ut illi ipsi huic suo ac totius Hispaniæ patrono, conseruatori ac vindici, quem hactenus pace belloq; fidum ac propitium experiantur, se gratos declarēt, summūq; Deum in illo nō modò celebrent ac venerētur, verū & flagranti religionis studio imitētur. Etenim Apostolus de hoc Patronorum genere ita docet ac monet: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini & fidem.*

Hebr. 13.

PORRO' missa facio D. Jacobi miracula, quorum ingens & innumerabilis est multitudo, ut Apostolos reliquos omnes qui post mortem pluribus prodigijs claruerūt, superare quodammodo videatur. Fuit etiam in vita nō sermone tantum, sed & opere per Christi gratiam valde potens, maximè postquam ab Hispania reuersus, Iudæis Euangelium tradidit, ac signis palam editis comprobauit. Viderunt omnes per illum præstari quæ prædixerat Christus discipulis inquit, *In nomine meo demonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, super egros manus imponent, & benè habebunt.* Inter alios quibus per benignus fuit, duo insignes magi se offerunt Hermogenes & Philetus, qui dæmonis præstigijs instructi & armati, se illi primū hostiliter opposuerūt, sed eò demum adducti, ut volentes ac lubentes tetros errores agnoscerent, impios codices abijcerent, Satanæ imperio nuntium remitterent, simulaera conminuerent, seq; totos ad Christi fidem traducerent, ac Jacobi subijcerēt disciplinæ. Fuit hoc genus hominum nō illis dissimile, de quibus ita scribit Lucas Euangelista: *Multi ex eis qui fuerant curiosa scētati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: ita fortiter crescebat verbum Dei & confirmabatur.* Cæterum quod optimè faciebat Iacobus, laudemq; merebatur publicam, id illi apud Iudæos horumque Pontificem Abiatharum odium auxit atque inuidiam, quia permolestè tulerunt, eum dicendo ac docendo valere apud populum, &

Marc. 16.

A Cor. 19.

H. M. H. M.

Christi

Christi nomen fideique causam egregiè promouere, maximè quòd celebres magi quos diximus, à tali doctore ad sanio- rem mentem reducerentur. Accessit interim vir primarius, & vnus è scribis Iosias nomine, qui vt plerisque Iudæis gratificaretur, Apostolo funem ad collum iniecit, eumq; vinctum ad regem Herodem trahere non dubitauit. Vbi conspirāt in Iacobi ne- cem impius Pontifex & Herodes, deq; capite illius amputan- do decernunt, qui de re Christiana optimè merebatur. Iosias verò post laram mortis sententiam, cùm ad supplicij locum iretur, Apostolum eodem fune ducit, & in via cernit paralyti- cū, qui statim precibus factis per Iacobum morbo liberetur, sicut & Clemens ab Eusebio citatus affirmat. Cùm hoc mira- culū videt Iosias, diuino spiritu tactus, valdè sibi cœpit displicere, simulq; Iacobi sanctitatem agnoscere. Vnde seipsum ve- lut innocētis viri carnificem accusat, ac mœstus ad Iacobi pe- des sese demittit, magnisque vrget precibus, vt illatam iniuriam ignoscat sibi, & præterea Christiano se lauacro tingi cupit, vt fiat Christianus. Cum illo paucis agit Iacobus, vt constans ho- minis propositum probet, curatq; per lictorem aquam adduci, qua Iosiam apertè fidelē abluit, & baptizatum itidē oscu- latur, nec minus frontem eius signo crucis piè cōsignat. Tam amanter Iacobus tractauit Iosiam hostem prius ac velut tra- ditorem impium, quem osculo pacis excepit, suisq; manibus tinxit, nec modò Christianum, verumetiam martyrij sui sociū fecit, quandoquidem ambo eodem loco & eadem hora lictori iugulum præbuerunt, & gladio percussi, pro Christi confes- sione sanguinem profuderunt. Consentiant omnes Theologi Chrysofotomo palàm asseueranti, hunc Iacobum primum fuisse martyrio coronatum, quæ summa illius est manetque gloria. Quod enim ille maius & illustrius ederet testimonium, quo suam perfectam in Christum charitatem omnibus comprobaret? si vera est illa sententia, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Certè vt suspicor, Apostoli reliqui hanc in signem prærogatiuam Iacobo inuiderūt, quādoquidem omnes moriendi pro Christō

Iosias.

Lib. 2. hist.
cap. 9.Iosias à Iacobo
apolo baptizatus.Homil. 7.
in Euang.
Marci.

Iohan. 15.

Philipp. 1.
1. Pet. 5.

Apocap. 2.

amore ac desiderio flagrarunt ardentissimo, nihilq; duxerunt optabilius, quàm beatam cum Christo in cœlis vitam agere, sicut de seipso etiam Paulus affirmat. Felix igitur Iacobo dies, quo pastor ipse bonus immarcescibilem æternæ gloriæ coronam accepit, quo itidem qui seipsum castrauerat propter regnum Dei, pulcherrimam virginitatis aureolam reportauit, simulq; suum Apostolatum pretiosa Martyrij laurea non sine communi Angelorum gaudio decorauit. Cum alijs Apostolis Euangelici spiritus primitias acceperat, sed illis omnibus quasi præripuit cœlestem coronam, de qua dictum est: *Esse fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ.* Primus ille fuit hospes ex Apostolis, quem Christus velut lectissimum fratrem & coheredem excepit, & in regno suo clarissimum lucere voluit, per illum deinde plurima beneficia plurimis est elargiturus.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro parentibus & filijs Christianis, vt congruenti amore se inuicem amplectatur, neq; in Christi amore & honore mutuo sese impediunt, sicut fieri solet, quin potius carnem & carnales affectus quàm Dei spiritum amulentur.

ORABO etiam illum nobis dari spiritum, quo fideles afflati, in regno Christi non blanda, mollia & sublimia, sed dura potius, & ad laborem crucemq; spectantia petunt atq; consecretantur; vt præterea inter veros ac falsos honores rite discernam, & ab inaniū bonorum cupiditate conseruet immunis.

DIVINAM insuper gratiam implorabo, vt bene sit inclitis Hispaniæ regnis, quæ sub Patrono suo D. Iacobo Catholicam religionem integrè porro conseruent atque tueantur, sed & pace bel-

loq̄, in temporalibus atque spiritualibus longè lateq̄, prosperè gub̄
bernentur.

AD hæc ex animo petam, ut in mea vocatione per Dei gratiam
confirmer atq̄, proficiam, quemadmodum hic Iacobus Apostolatū
suum fide, confessione, patientia, & charitate insigniter decoravit,
& ante alios Apostolos Domini calicem fortiter bibit, sed & per
discipulos paucos, innumerabiles Hispanorum animas Christo &
Ecclesia lucrificavit.



IN DIE FESTO
SANCTI LAURENTII
MARTYRIS ET ARCHI-
DIACONI.

Sequentis Euangelyj Argumentum.

DESCRIPSERAT Iohannes nonnullos Genti-
les, qui adorandi causa Hierosolymam ascenderant,
& ad Philippum Apostolum accedentes dixerant, Domi-
ne volumus IESVM videre. Per hanc occasione Christus
de passione & morte sua differit, seq̄; frumenti grano in
terrá iacto pulchrè comparat, quod nisi terræ mandetur,
& mortuū altiùs radices iaciat, in frugiferum manere con-
suevit: si aut̄ in terra velut moriatur & computrescat, fru-
ctum copiosum adfert, & emergit multo cum scenore. Ita
nimirū Christo accidit, qui pro nobis crucifixus ac mor-
tuus, fructus nobis & humano generi promeretur & con-
fert incredibiles, quoniam in illo salus, vita & resurrectio
nostra est, & sine illo pereundū cunctis esset mortalibus.
Nec solum Christus de morte sua, eiusq̄; fructibus conse-

Rom. 8.

cuturis hic vaticinatur, sed etiam de suis discipulis atque
 fidelibus docet, qui pie patiendo ac moriendo vtilitatem
 ingen tem atq; perpetuam sint reportaturi. Perinde ac si
 dicar: Sicut incarnatio mea nihil vobis prodesset, nisi &
 passio ipsaq; mors consequeretur: ita nihil etiam vobis
 conferet, quod sitis renati per gratiam, nisi in vobis occi-
 datur, quod veterem hominem redolet, quodq; carnalem
 oblectat affectum. Nisi quippe moriamur, iucunda & de-
 lectabilia nobis ipsis vltro subtrahentes, vera æternamq;
 vitã certè perdemus. Vt hinc etiam Paulus dixerit: Si se-
 cundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu fa-
 cta carnis mortificaueritis, viuetis. Cæterum vt secundū
 spiritū & non secundū carnē viuamus, mortēq; perpetuā
 effugiamus, excitat Christus Fideles, vt se du cē seclētur,
 ac se ipsos odio persequantur. Hinc seipsum cunctis in ex-
 emplū quod in suo quisq; statu sequatur, imitandū propo-
 nit, simulq; pollicetur ingētia obedientibus, nimirū vt se-
 cū perpetuò, sicut membra cū capite suo sint, vtq; ab ipso
 Patre cœlesti, qui nullum bonum electis irremuneratum
 abire sinit, singulari quodam honore afficiantur: quia pro-
 pter naturalem filium in pretio erunt, & exaltabuntur
 etiam fratres eius adoptiui, veri que ministri & socij in
 vtraque Ecclesia.




EVANGELIUM IOAN-
 NIS XII. QVOD ALIIS ETIAM
 BEATORVM MARTYRV M FE-
 stis potest accommodari.



*D*ixit IESUS discipulis suis: Amen, dico vo-
 bis, Nisi granum frumenti cadens in terram,
 mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem
 mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui

amat

*amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam
in hoc mundo, in vitam eternam custodit eam. Si quis mihi
ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus
erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater
meus.*



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
PRAESENS EVANGELIVM
ET FESTVM.

*Amen amen dico vobis, Nisi granum frumenti
cadens in terram, mortuum fuerit: ipsum so-
lum manet. Si autem mortuum fuerit, mul-
tum fructum affert.*

RLACEBIT mihi votū ac desiderium Gentilium,
qui aliqua in Deum fide præditi, laboriosè ac sum-
ptuosè Hierosolymam ascenderunt, vt vnà cū Cre-
dentibus alijs in die festo Paschatis Deum in templo
adorarent, similes nimirum Eunuchō reginæ Candaces. Hi
quemadmodum Iohannes refert, Philippum Apostolum ac-
cedunt, neq; frigidè ac fictè rogant: *Domine volumus IESVM
videre.* Qua ratione illi se multò religiosiores ostendunt ple-
risq; Iudæis, de quibus alibi Dominus testatur: *Viderunt & o-
derunt me, & Patrem meum,* atq; iterum: *Vt adimpleatur sermo,
qui in Lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.*
Hoc autem Gentilium exemplo fuit adumbratum, tempus
illud imminere, quo multilicet ex Abrahamæ semine non pro-
creati, tamen ex Oriente & Occidente prodirent, sanctumque
fidei desiderium adferrent, & ad Christum, Christi q; Euange-
lium amplectendum properarent. Id quod Christus etiam

Actor. 8.
Iohan. 12.

Iohan. 15.
Psalm. 24.

Matth. 21.

Ecclef. 3.

Pſalm 83.
Hebr. 12.

Phil. 1.

Matth. 17.

In Euang.
de tranſig.1. Pet. 5.
Iſai. 35.
Coloſſ. 3.A&or. 7.
Iohan. 17.

Iohan. 14.

verbis illis prædixit, Iudæis inquit: *Dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Deinde hæc Gentilium petitio vt per ſe verè pia & honeſta eſt, ſic & mihi erit vſui, vt inde diſcam de ſpiritualibus & diuinis potiùs quàm de terrenis vaniſq; & ſuperuacaneis rebus cogitare & quærere. Scriptum eſt enim, *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper: & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Potiſſimum autem operam dabo, meum vt deſiderium in Chriſto videndo deſigam, iuxta illam ſententiam, *Reſpice in faciem Chriſti tui;* ſicut & Paulus fideles omnes hortatur, vt in autorem fidei & conſummatorem Ieſum aſpiciant. Nihil autem præclarius, & Chriſtianis animis dignum eſſe poteſt, quàm vt ardenti teneantur deſiderio Chriſtum in cœlis iam glorificatum rectà intuendi, ideo q; cum Paulo ſincerè dicant, *Deſiderium habeo diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Vidit Chriſtum aliquando Petrus in mōte tranſfiguratum, & gaudio viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur. Vnde mundana ſpernens, & terrena ſaſtidiens, in ceterorum deſiderium toto mentis rapiebatur exceſſu, vt idcirco diceret, *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe.* Atque ita ferè Leo Magnus. Sed multò maius eſt gaudium Angelorum, qui in eundem Chriſtum deſiderant proſpicere, ſicut Petrus oſtendit, & cum ſempiterna lætitia gloriam eius ac decorem videbunt. Ego igitur libenter & frequenter oculos attollam, ea quæ ſuſum, quærens, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, meque Protomartyri Stephano confirmare nitar, qui deſixis in Chriſtum oculis, ingenuè dixit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Hac enim eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Qui videt Filium, videt & Patrem.*

QUONIAM verò Chriſtus electum & nobile granum frumenti eſt, vt ſeiſum vocat, cum sæpè aliàs, tum in ſacra & quotidiana Liturgia ingentes illi gratias agam, quemadmodum quotidie agit Eccleſia, de ſummo beneficio luſceptæ pro nobis paſſionis & mortis, vt ſine qua humanę ſalutis fructus om-

nis pror-

nis profus interijisset. *Decebat enim authorem salutis per passionem consummari, immò & oportebat vnum mori pro populo, vt tota gens mortalium nō maneret perdita. Quamobrem in cruce Domini mei, quæ bonorum omnium est feracissima, gloriabor, & fidenter cum Apostolo dicam, Quod nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ita enim mecum cogitabo, Christum totius Ecclesiæ caput pro nobis omnibus ex amore summo crucifixum ac mortuum hoc perfecisse, vt quemadmodum ex vno grano nonnunquam quadringenta ferè germina, vel trecentæ quadraginta stipulæ prodeunt, vti certis exemplis Plinius comprobatur: ita & ipse granum longè omnium vberimum, præstantissimum & efficacissimum, fructus amplissimos atq; suauissimos perditis conferat. Vnde Propheta de illo ipso dixit: *Si posuerit pro peccato (non suo, sed alieno) animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperdiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo, quòd tradidit in mortem animam suam.* Atq; vt hoc fructus Dominicæ passionis, qui velut ex nobili grano nascentes implent horrea Ecclesiæ, rectius intelligātur, præcipuos quidem illos recolam, nempe quòd mundus æternis irati Dei supplicijs obstrictus, à tyrannide Satanæ, à iugo peccati, à mortis imperio, & ab ira Dei Agni huius sanguine liberatur, quòd Credentes, cuiuscunq; sint regionis, ætatis ac ordinis, in regnum Christi, idq; diuinæ gratiæ, libertatis & pacis plenissimum, gratis transferantur, quòd æterno Patri reconciliati, iustitia sempiterna donantur, quòd ea iustitia tot præstantes spiritus, & virtutes & Sacramenta complectitur, quòd ex peccatoribus & Satanæ mancipijs Dei amici, Christi fratres, ac cælestis hæreditatis participes efficiuntur, quòd nomē Domini à solis ortu vsq; ad occasum in tota Ecclesia, vel inuitis hostibus celebratur, quòd oblatio munda passim vbique gentium pro viuus ac defunctis offertur, quòd gratiæ & gloriæ

Hebr. 2.
Iohan. 11.

Galat. 2.

Lib. 18. hist.
nat. cap. 10.

Isai. 33.

Apoc. 7.
& 5.

diuinæ consortium paruulis & adultis, si Christiana iura suscipiant, quotidie communicatur, quòd demum electi omnes bonis immensis & inde ab æterno præparatis non minùs corpore quàm animo cū Christo capite sine fine vllò perfruuntur. Atq; huc spectat ingens illa turba, quã Iohannes in spiritu vidit, ac nemo dinumerare potest, ex omnibus gētibus, & tribubus & populis & linguis congregata, quæ vniuersa stat ante thronum Dei, & in conspectu Agni, illamq; dulcissimam edit confessionem: *Redemisti nos Deus in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.*

1. Corin. 1.

Isai. 1.

Psal. 44.

1. Petr. 4.

Galat. 2.

Iohan. 15.

Philipp. 4.

Galat. 2.

Rom. 8.

V B. I me prorsus ab illorum cœtu disiungam, qui nouæ doctrinæ fermento corrupti, falsò persuasum habent, ad iustitiam & salutem cuiq; sat esse, etiamsi pœnitentiæ partes contritionem & confessionem intermitrat, si Dominicæ passionis meritū sibi per Fidem applicet, Fideq; contētus, de cruce Domini sui siue in vita, siue in morte glorie tur. Ego de Christi Domini merito, quod est vtiq; abundantissimū, præclare semper sentiam, & sine illo nullum omninò meritum iustorum agnoscam. *Christus enim factus est nobis*, vt Paulus ait, *sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Tum Propheta testatur de hoc ipso semine seu grano, quod de terra benedicta Virginis gloriose prodijt: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma essemus, & quasi Gomorriha similes essemus.* Quod ineffabile Christi meritum, & fortissimū spei nostræ præsidium non modò per fidem, sed etiam per Sacramēta & benefacta, inprimis autem per pœnitentiā, proximique charitatem reuerenter mihi applicabo: nimirum vt iuxta Petri Apostoli doctrinam, Redemptoris mei passionibus cōmunicare possim atq; cōfigurari, & simul cū Paulo dicere: *Christo confixus sum cruci.* Sicut autem Christi gratia meritoq; deestitutus, velut palmes aridus, nihil possum: ita illius vitis veræ humore, gratia & merito suffultus, spirituq; viuificatus, confidenter habeo profiteri: *Omnia possum in eo qui me confortat. Visuo iam non ego, viuit autē & operatur in me Christus. Spiritus no-*

stram

stram adiuvat imbecillitatem. Vnde fit demum, vt opus bonum in fide gratiaq; Christi factum, suum accipiat meritum, & cœlestis vitæ præmium ferat, quoniam Christi aspersum est sanguine, & à Spiritu sancto proficiscitur, vt nō solūm hominis, sed etiam Dei opus rectè censeatur. Hinc Scriptura mercedē proponit, quæ bonis fidelium operibus ex Dei promissione reddenda est, & coronam iustitiæ tribuit Christi aduērum diligentibus, qui cum Paulo legitimè certant. Nec obscura illa verba sunt: *Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Nolite amittere confidentiam vestram; quæ magnam habet remunerationem.* Proinde in Spiritu sancto amplium inde gaudium capiam, cū rectè mecū perpendo, quàm feliciter cum illis agatur, qui per fidem & baptismum Christi corpori manent insiti, & huic vero solidoq; frumenti grano innitentes, iustitiæ fructibus ac meritis diuites fiunt: in quibus fons aquæ salientis in vitam æternam sese diffundit. Etenim *de plenitudine eius omnes accepimus*, & semper accipere possumus, vt spiritualibus & æternis bonis à Christo partis, abundemus, quotquot in vera Ecclesia benèq; viuendo perseueramus. Est quippe Christus vitis illa vera, quæ cum suis palmitibus ipsi adherētibus hoc iniit fœdus, vt à cœlesti agricola circumcisi, magis magisq; fructificando succrescant. Id quod verbis illis indicatur: *Omnes palmitem qui ferunt fructum, purgabit eum (Pater) vt fructum plus afferat, & postea rursus: In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis.* Quare tantò magis mœrorem & luctum in me concitabo, quanto certiùs deprehendero, me velut otiosum granū, aridum truncum, & sicut Christus appellat, infrugiferum palmitem esse, qui non ferens fructum, igni perpetuo reseruatur. Et Scriptura quidem passim exigit, vt Fideles velut bonas arbores sese prabeant, nec desinant facere fructum, nisi instar steriliū arborum excindi & exuri cupiant. Quare cum Propheta dicere satagam: *Ego autem sicut oliua fructifera in domino Dei speraui in misericordia Dei.*

2. Tim. 4.
1. Corin. 15.
Heb. 10.

Iohan. 4.
Iohan. 1.

Iohan. 15.

Ibid.

Matth. 3.
& 7.
Ierem. 17.
Psal. 1.
Iohan. 15.
Psal. 51.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

QVOD antea de grano frumenti ad mortem quandam redigendo, ac deinde ad bonam frugem perducendo dictum est, id nō solum de Christo capite, sed etiam de membris eius electis accipiam, quæ vt sibi alijsq; fructum æternæ salutis pariant, humiliatione quadam & mortificatione, vt Scriptura loquitur, indigent, ac velut in nihilum redigi debent. Igitur vt quæ sequuntur in Euangelio, maiorem mihi vsum adferant, sintq; luculentiora, ego hoc ipsum dictum de grano frumenti ad me transferre conabor, velut qui sine morte quasi semen iners ac inutile, manere possum, Deo autem viuere, mihiq; & proximo prodesse, & à morte ad vitam cœlestem surgere non possum: mortua enim solum reuiuiscunt. Nisi ergo mihi ac veteri homini moriar, tardè vel nunquam veros & efficaces spiritualis vitæ fructus proferam, & ad mortuos alios in Christo viuificandos velut instrumentum ineptum ac indignū esse videbor. Hoc est quod Paulus Apostolus illis verbis insinuat: *Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus*, Nec satis habuit de seipso dicere: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*: sed euestigiò subiecit, *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Quid autem est, mundum homini per Christum crucifigi, nisi mundi luxum & voluptatem fugere, adeoq; carnis delicias pro cruce & supplicio in ipso etiam vsu reputare? Quid est insuper hominem mundo crucifigi, nisi à mundi filijs vilipendi, relinqui & affligi: Vnde idem Paulus alibi quoq; pronuntiat: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*. Vbi seriò in animum reuocabo, quòd Christus cùm esset omnium Dominus, *proposuo sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, vt Paulus asserit, quodq; idem nostri amore mortē valde ignominiosam elegit, & calicem pro sceleratis amarif-

2. Tim. 2.

Galat. 6.

Galat. 5.

Heb. 12.

finum bibit, vt maximo sui perfusi sanguinis pretio vilissimos redimeret homunciones, quibus & salutem perpetuam largiretur. Quid ergo mirum, si hic ipse mutui amoris officium sibi reddi postulet, & Credentes imagini suæ aliqua ex parte in patiēdo ac moriēdo conformes esse cupiat, qui nempe vt minimum seipfos amare desinant, suumq; amorem omnem in Redemptorem ipsum, cui se totos debent, sincerè transferāt, & ex illo pendeant toti. Hoc autē nemo consequitur, nisi amorem priuatum extirpet, odioq; sancto seipsum prosequatur, paratus & vitam corporis propter Christum negligere, ac in parte lucri deputare, quicquid ob studium pietatis cultumq; virtutis tolerandum est. Etenim seipsum vitamq; suam amare, vt caro spiritui præponatur, nihil est aliud quā se perdere: qui autē pro Christo, & salutis æternæ causā se, vitā & voluptatem præsentem contemnit, is veram & æternam animæ suæ salutē certò certius lucrifacit. Quod si Paulus seipsum amasset magis quā odisset, longè aliam & corporis & vitæ rationem instituisset: qui vt de seipso refert, corpus suum durè tractauit, ac velut rebellem seruum, ne spiritui repugnaret, vi quadam sibi subegit: qui præterea tot hostium insidijs, telis atq; periculis sese passim obiecit, vt nihil eo contemptius ac miserabilius videretur. Cur verò hoc molestissimum vitæ genus adiit, exantlauit, pertulit? *Propter te, inquit, mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eū qui dilexit nos. Mibi viuere Christus est, & mori lucrum.*

1. Corin. 9.

1. Corin. 4.
2. Corin. 11.Rom. 8.
Philip. 1.Lib. Medit.
tat. cap. 21.

QUO CIRCA vt me fidum Christi comitem ac ministrum declarem, eumq; cœlestem consequar honorem, qui mundi suiq; contemptoribus ab æterno Patre decretus est, huius vitæ amorem ac delectationem supprimam, meq; non sinam à via veritatis regia impuris affectibus vllis abduci: quoniam vita hæc, vt cum Augustino loquar, vita est misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immūda, vita domina malorum, regina superborum, plena miserijs & erroribus, quæ non est vita dicenda sed mors, in qua momentis singulis morimur per varios mutabilitatis defectus, ac diuersis gene-

ribus

Ibidem.

ribus mortium.] Et tamen mors ista vitalis, & vita mortalis, vt idem Augustinus meritò queritur, licet his alijsq; sit respersa amaritudinibus, proh dolor, quàm plurimos suis capit illecebris, & suis vanis promissionibus fascinat. Et cum ita per se sit falsa & amara, vt etiam suos cæcos amatores latere nō valeat: tamen infinitam stultorum multitudinem aureo calice, quē in manu habet, potat, & profus inebriat. Felices illi & ipsi rari, qui familiaritatem eius (sive mundi sive vitæ præsentis) recusant, perfunctoria gaudia spernūt, societatem abijciunt, ne cū pereunte deceptrice, & ipsi perire cogantur.] Absit igitur, me cum illis seculi filijs cæcutire, immò insanire, qui in tanta luce fulgentis Euangelij, seipsos amant perditè, & quia secundum carnem in delicijs viuunt, suas occidunt animas, Deoq; sunt & manent mortui, dum ita ducunt in bonis dies suos, sicut quidam affirmat, vt in puncto ad inferna descendant. Horum extremam dementiam tantò magis deplorabo, quòd ad clarissimas Christi voces obsurdescant, quibus ille magister & iudex noster tam grauius monuit de mūdi contemptu, de sui abnegatione, crucis tolerātia, & electorū paucitate. O me miserū & infelicem, si breui falsaque voluptate delinitus, & corpus & animam æternisq; delicijs fraudem, immò & tantò grauioribus pœnis atq; supplicijs me totum addicam, quāto nūc magis insanis cupiditatibus habenas laxo, quātoq; plus indulgeo mihi, & veteri homini studiosius obsequor. Etenim verbū Dei non potest fallere, quo definitū habemus, *Va vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestrā. Va vobis qui salutati estis, quia esurietis. Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Quāto gloriificauit se & in delicijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si præstes anima concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quid quòd complures eorum, qui pro virtute voluptatē colunt, & carnem potiùs quàm spiritum curant, etiam in hac vita plectuntur, vt non modò futuris æternisq; bonis careant, sed & præsentis vitæ periodum frequenter abrumpant, aut

certè


certè grauioribus morbis viuant obnoxij, longèq; acrioribus prauæ cōscientiæ stimulis die noctuq; agitati, in suis diuitijs ac delicijs ita pereant, vt de illorū verè dici queat quolibet, *Bonū erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et quotidie ferè cernimus, in magnatibus & diuitibus nostris impleri, quod Sapiens luculenter expressit: *In multis escis erit infirmitas. Propter crapulā multi obierunt.* Quid multis? Nisi tempestiuè nobis & vitijs nostris moriamur, Christoq; & saluti æternæ posthabeamus omnia: ad summa vocati in imis hæremus, nec minùs corpus quā animam sapè perdimus, ad eam vitam nunquam peruenturi, quam Christus suo sacrosancto sanguine sibi obtemperantibus, & bona temporalia contemnentibus promeruit ac promisit. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Vincenti dabo manna absconditum.*

Matth. 26.

Ecclef. 37.

Heb. 5.
Psalm. 39.

Apoc. 2.



DE BEATO LAURENTIO MARTYRE,
ET ECCLESIAE ROMANAE
Archidiacono.

VETERIS Ecclesiæ institutū libenter & ex animo commendabo, quæ hodiernum diem D. Laurentio sacrum tot sæculis venerata est, & ad summam summi Dei gloriam religiosè colendū duxit. Extant præclaræ conciones Patrū, vt Ambrosij, Augustini, Leonis, Chryfologi, Maximi, qui has ferias apud frequentem populum publicè cohonestarūt, ac de hoc ipso laudatissimo Martyre doctè ac piè disseruerunt. Neq; contemnendus sed retinendus est mos veterum, qui pridie huius festi sacrum ieiunium adhibuerunt; vt discamus & nos odissè carnem, & maiore studio illum præ cæteris Martyribus Christi colamus, cuius nomen per totum orbem Fidelibus valde commendatum est. Vt enim Leonem Magnum sequamur, à solis ortu vsq; ad occasum Leuiticorum luminum coruscet fulgor, & quàm cla-

Serm. de S.
Laurent.

2. Tim. 3.

rificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris efficitur Roma Laurentio, cuius oratione & patrocinio adiuuari nos sine cessatione confidimus: vt quia omnes sicut Apostolus ait, quicumq; volunt piè in Christo viuere, persecutionem patiuntur, corroboremur spiritu charitatis, & ad superandas omnes tentationes, constantis fidei perseverantia muniamur, per Dominum nostrum Iesum Christum.] Vocat eundem Leuitam castissimum, immaculatum sacrarij præfulem, ad dispensandas opes Ecclesiasticas constitutum, & Martyrem inter alios sublimiter excellentem, clariùs q; fulgentem. Alij illum Ecclesiæ Romanæ Archidiaconum ac thesaurarium faciunt, qui in eisdem quoq; miraculis plurimùm valuit, & de quo conscriptæ historiæ fides nō potest in dubium reuocari. Habet enim certam ac memorabilem rerum gestarum narrationem, quā Patres comprobant, & quæ nobis multa proponit vtiliter consideranda. Quod igitur ad vsum & celebrationem festi huius attinet, ego non modò cū presenti, sed etiam cū veteri Ecclesiæ, quæ ante mille annos in Orientali & Occidentali Ecclesiæ D. Laurentium publicè honorauit, hunc diem solennè plaga religiosè transigam, & cum eadem Ecclesiæ lubens precabor, Excita Domine in Ecclesiæ tua spiritum, cui beatus Laurētius seruiuit, vt eodem nos repleti, studeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit, per Christum Dominum nostrū. Tum Augustinus euidenter suos admonet auditores, Oremus fratres beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei, gehennæ incēdia superari, & amore Christi diem iudicij nō timeri.]

Homil. 1. de
præsenti festo.

Rom. 10.

V B I sedulò mecum expendam, quid vèherandus hic Laurentius docuerit, quidq; amàrit in ministerio suo. Qui certè cū natione foret Hispanus, à sanctis ortus parentibus, in Ecclesiæ catholicæ schola prima fidei fundamenta imbibit, & quod corde credidit, ore fideliter est confessus, nec aliam docendi rationem postea tenuit, quàm sibi traditam accepit ab optimo præceptore Sixto Pōtifice Maximo, cuius pro Christo ad sanguinem vsq; decertantis athletæ immortalis laus est in

Ecclesiæ

Ecclesia. Ab hoc ipso Laurentius cum in florenti esset ætate, ad munus Ecclesiasticum assumptus, & ex clerico Leuita ordinatus, Romæ præclare se gessit, & insignem præstitit Ecclesiæ ften, qualem Paulus nempe requirit, qui sit exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Nunquam ille de adorando Sacramento Eucharistiæ Missæq; sacrificio dubitauit, aut cuiquam Fideli dubitandum duxit, cum etiam in more positum haberet, vt hoc venerabile Sacramentum, quo corporis & sanguinis Dominici veritas continetur, quodq; pro uiuis offertur ac mortuis, ingenti honore, & quotidiano cultu prosequeretur, illudq; alijs inferiorum ordinum fidelibus palam administraret, neq; minùs ipsi Pontifici Sixto ad altare sacrificanti assisteret, suo vt muneri faceret satis. Etenim ad sacrum Leuitarum seu Diaconorum ordinem ab ipso Ecclesiæ initio vsitatum, cuius Paulus & Ignatius meminerunt, iuxta veteres canones pertinebat, Episcopum perpetuò sequi, eiq; sacra facienti, vel alia Sacramenta administranti præsto esse, & in Missæ sacrificio Euangelium legere ac explanare, licet non de loco superiore, quibus insuper Ecclesiasticorum bonorù commissa erat dispensatio, vt vniciq; necessaria subministrarentur. Atq; hinc extat amica illa & pia expositio, qua idem Laurentius Sixtum Pontificem, cum is ad martyrij supplicium raperetur, hoc modo fuit affatus: **Quò** progredieris sine filio Pater? quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras, vt reliqua præteream quæ ab Ambrosio repetuntur. Rursus docuit hic Leuica, vt Credentes omnes Episcopis, & horum principi, Petri nempe Apostoli successori, Christi q; Domini summo Vicario, cui dignitas & iurisdictio præcellens diuinitus est tradita, reuerenter obtemperarent, quemadmodum & ipse totus à Pontifice Sixto pendeat, non ausus thesauros Ecclesiæ, qui tum ab Ecclesiasticis conseruabantur, sine illius autoritate pauperibus distribuere. Adhæc sicut ipse Christum, Christi q; fidem intrepidè confessus est, ita docuit & alios cõfiteri, neq; Politicis, sed Ecclesiasticis Magistratibus

1. Tim. 4.

Act. 6.
1. Tim. 3.
Epist. ad
Heronem.Lib. 1. Offi-
cior. c. 41.Matth. 16.
Iohan. 12.

potestatem concedi voluit, quæ ad eroganda & alienanda Ecclesiarum bona spectaret. Dedit etiam operam verbo Dei purè tractâdo, vt non ex proprio sensu, sed maiorum iudicio, Patrumq; traditione illud fideliter interpretaretur. Nec satis illi fuit prædicationis munus magnificis verbis, sed potiùs vitæ sanctæ moribus illustrare, sanamq; fidei doctrinam editis palàm miraculis & signo crucis expresso, comprobare contendit. Rursus misericordiam & iustitiam Christianam egregiè docuit; quia misericordiæ fuit, vt Maximi verbis vtar, quòd alimoniam pauperibus dedit: iustitiæ autem, quòd vt vir prudentissimus procurauit, ne Sanctorum substãtiam auaris manibus princeps sacrilegus occuparet. Rectè igitur de illo canit, semperq; canet Ecclesia, *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saculũ sacula.* Docuit demum vnà cū Christo, animã in patientia possidere, ac non tyrannos hostesq; quamuis crudeles, sed vnum Deum qui corpus & animam in gehennam mittere potest, formidare, & in magna quidem luci parte ponere, si temporalis vitæ periculo, adeoq; diræ mortis perfectione mercari liceat vitã aeternam. Etenim *si quid patimini propter iustitiam, beati*, vt princeps inquit Apostolorum.

A M A B O igitur & colam hunc Euangelicum doctorem Apostolicumq; virum Laurentium, non opere minus quàm sermone Christo Christiq; doctrinæ testimonium clarissimè perhibentem, ac fidem Catholicam cõtra potentissimos aduersarios nobis perspicuè confirmantem, quãdo quidem pro illa ad profusum vsque sanguinem fortissimè dimicauit. Quæ Laurentij fides, doctrina, confessio non solùm sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem & auctoritatem valde roborat & illustrat, verùm etiam Christianos prædicatores ac doctores omnes grauitè admonet, vt Laurentianum, id est, sincerum, ardentè, probatumq; spiritum cum ipsa doctrinæ professione coniungant, ac eiusdem exemplo lucernas ardentes simul & lucentes sese orbi præbeant. Hinc ego iustum quoq; mœrorem capiam, quòd è multis pauci reperiantur Diaconi & Presbyteri, qui cum Laurentio suam vocationẽ probè cognoscant, pau-

ciores,

Homil. 7.
de festo.

Psal. 111.

Luc. 21.
Matth. 10.

1. Petr. 3. 1

Luc. 12.

ciores, qui cognitam decenter obeant, & paucissimi, qui susceptum catechizandi ac euangelizandi munus cum euidenti Ecclesiæ fructu ornare velint ac possint. Etenim Laurentianæ virtutis dotes obscuratæ iacent, & in his quidem mundi tenebris magis ac magis extinguuntur, nimirum sobrietas, castitas, sinceritas, patientia, prudentia, docēdi studium, martyrijq; zelus & ardor. Orbatur igitur Ecclesia Romana his magistris & ministris, qui ad messem multam & desertam excolendam desiderantur partim ad fideles in officio continendos, partim ad lapsos in viam reuocandos vbiq; gentium. Neq; minus illorum dolebo vicem, qui sacrilega cupiditate pellecti, vim hostilem inferunt Ecclesiasticis, vt eos qui Laurentio uocatione, professione & ordine sunt similes, suis bonis spoliēt, & ex aris haras faciant. Horrendum est meminisse, quāta iam sacrilegorum non modò turba, sed etiam inmanitas ac impietas in Europa nostra cernatur: nec deplorari satis illorum cecitas potest, qui animum nolunt aduertere, quā diras pœnas iustus Deus à sacrilegis, suorumq; Sacerdotum persecutoribus ac templorū profanatoribus exigat, quemadmodum ingenti malo suo iam olim experti sunt Ioas Ochoziæ regis filius, Ozias rex lepra percussus, Balsasar Babylonæ rex, vt impios Philistæos, Iulianum Apostatam, Leonem ac filium eius Copronymum repetere intermittam, de quibus alius & commodior locus dabitur admonendi.

SUPEREST porrò illud excutiendum, quæ S. Laurentius amauerit, aut etiam odio fuerit persecutus. Nobilis, uenustus, & ingenuus adolescēs patriā, amicos & cōsanguineos nō amauit, sed quæ mūdi sunt, & quæ carni blandiuntur, propter Christum contempsit ac reliquit omnia, vt in solo Christi amore totus conquiesceret: Post *aurum non abiit, & in pecunie thesauris non sperauit*, qui thesauros ingentes, à duobus Imperatoribus, vt putant, donatos Ecclesiæ magna cū liberalitate contulit, aut potius ueluti rosas dispersit, magnamq; pecuniæ vim profudit in egenos & pauperes, nihil vt ex illis opibus vel sibi, vel amicis & cognatis reseruaret. Tantum illi studium fuit

4. Reg. 11.
2. Paral. 26.
Daniel. 5.
Vide Euseb.
& Niceph.
1. Reg. 5.
& 6.

Eccles. 31.

Hebr. 13.

Ecclef. 12.

Prou. 21.

Serm. de
hoc festo.Homil. 1.
de festo.

beneficentiæ & communionis exercitandæ, sicut præceptum Apostolicum exigit. Non seipsum vitamq; suã amauit, vt florentis & luxui deditæ adolescentiæ dulcedine caperetur, cū à Sapiente scriptum esse cognosceret: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis. Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Adeò sibi & otio voluptatiq; corporis non indulfit, vt magno patiendi desiderio incensus, permolestè tulerit, se quidem præterito, senem Pontificem ad supplicium duci, seq; iuuenem optata eiusdem martyrij laurea vel ad breue tempus fraudari. Non mundi fastum suspexit, aut humanam amauit gloriam, qui Cæsaris minas, & iudicis iras, tortorumq; crudeles aspectus, adeoq; præsentem tot suppliciorum immanitatem risit potius quàm expauit, seq; ad atrocem carnificinam, mortemq; durissimam libenter obtulit excruciantum. Quid ille iucundi in terris amaret & quæreret, qui tostus etiam & adustus, læto vultu tyrannum velut iocando ita compellauit, *Assatum est iam, versa & manduca?* Adeò verè dixit Leo Magnus, quòd solidissimam illam Leuitici animi fortitudinem dira supplicia vrgere quidem, sed non vincere potuerunt, licet laceros artus, & multa verberū sectione cõscissos, subiecto igne torrerent, & cruciatum ipsum tantò vehementiorem, quantò pœnam productiorem redderēt. Quid ergo noster amabat Laurentius, in medijs & horrendis supplicijs, sæuisq; doloribus tam infractus & animosus, vt cū toto corpore vreretur, lentisq; flammis absumeretur, ac mortiam esset proximus, ne gemitum quidem, nec vocem vllam dolentis ederet? Nempe Christū amabat vnice, huius se gratia sustentabat, & cū eo ipso spiritus vnus effectus, in sancta illius voluntate totus conquiescebat. Hic amor ardebat in eius pectore, atq; ad cruciatus maximos ferendos refrigerium præcipuum martyri suggerebat, cū certò sciret, quæcunq; ferret ipse tormenta, non secus ea quàm virtutis excitementa, & secururæ mox beatitudinis præludia esse ducenda; eaq; Fides non modò tolerabilia supplicia, sed etiam desiderabilia & iucunda reddebat. Vnde Maximus quoq; scripsit: *Ardet profè-*

cto totis

ctò totis visceribus fortissimus Martyr, & vritur: sed regnum cœli, promissaq; Dei fideli mente pertractans, refrigerio cōscientiæ victricis exultat. Nec pœnali flexus incendio est, cuius in pectore insuperabili sancti Spiritus flamma feruebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneæ corporis vstioni, cuius fides æternum gehennę extinguebat ardorem? Proinde Laurentius antequàm ad exquisitam illã carnificinam raperetur, cùm insanus tyrannus diros cruciatus illi minitaretur, adeò territus non est, vt etiam generosè respōderit: Has epulas ego semper optauì. Ignitæ autē ferreęq; craticulę impositus, quę cruciatum illi acerbissimum adferebat, fidenter tamen hoc protulit: Isti carbones præstant mihi refrigerium. Qui deinde quantò grauius in equuleo, craticula & igne torquebatur, tãtò maiora ad patiendum præsidia & adiumenta sibi sensit cœlitus suppeditari, ideoq; bona dixit conscientia: In craticula te Deum non negaui, & ad ignem applicatus, te Christum confessus sum. Probasti cor meum, & visitaisti nocte, & non est inuenta in me iniquitas. Interrogatus te Dominum confessus sum: assatus gratias ago.

Psal. 16.

QVÆ omnia non obscure commonstrāt, qualem quãtamq; vim habeat flagrans in Deum animus, & plenus caritate. De hac enim scriptum est: *Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus emulatio: lampades eius lampades ignis atq; flammarum. At quæ multa non poterūt extinguere caritatē, nec flumina obruent illam.* Vnde confidens animus, qui crucem ac mortem etiam amabilem reddit, ad hunc quoq; Laurentium pertinet, & fateri cogit: *Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia? in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Ex his mihi persuasissimum erit, Christi amorē ipsa morte validiorem atq; robustiorem esse, nec fieri potuisse sine certo diuinoq; præsidio, vt vnà cum Laurētio viri & mulieres, quin etiam pueri ac puellæ innumerabiles, Ecclesiæ monilia, Christi q; testes probato auro fulgentiores, mortem atrocem, &

Cant. 8.

Rom. 8.

quæ ad mortem ducunt horrenda supplicia, patienter ferrēt, adeoq; expeterent desideranter, & hilariter contemnerent, & cum ingenti spectantium admiratione tam lætè subirent, vt sibi gratularentur, summoq; Deo in pœnis maximis gratias agerent.

QVA PROPTER ego tanto maiorem in me luctum excitabo, quantò melongius à spiritu Laurentij abesse cerno, simulq; à Christo supplex veniam petam huius inertiae ac tepiditatis meae, quando quidem ille, vt Augustinus loquitur, illuminauit planè mundum eo lumine, quo ipse accensus est, & flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorū corda calefecit.] Vicit in illo utiq; Christi charitas, qua nihil potentius & inexpugnabilius: vincit in me sæpe, proh dolor, malorum omnium radix cupiditas, facitq; iugum Dominicum aliquando mihi durum ac graue, cum alioqui per se illud suaue sit, ac amara etiam diligentibus dulcia reddere soleat. Quid autem ea dulcedine optabilius ac efficacius, quam Deus abscondit timentibus se, & qua Dei bonitas, veluti mater, suae consolationis huberibus filios lactat atq; confirmat? Optabo igitur eam dulcedinem indigno & paruulo mihi communicari, eumq; sacrum ignem, qui totum adussit Laurentium, in me torpido & frigido aliqua ex parte resuscitari desiderabo. Vnde ad ipsum charitatis gratiaeq; omnis fontem recurram, & cum Augustino frequenter ita precabor: Obsecro summa veritas te per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari: sed peto vt omnia mihi amarefcant, vt tu solus dulcis appareas animae meae, qui es dulcedo inestimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcorauit: tua dulcedo craticulam beata Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Hanc dulcedinem vt gustauit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamauit quasi ebrius dicens, *Domine bonum est nos hic esse.* Hanc, vt reor, & ipse gustauerat qui dicebat, *Quàm magna multitudo dulcedinis*

Serm. 30. de
Sanctis.

Matth. 11.
Psal. 30.

Isa. 66.

In Solilo-
quijs c. 22.

Aët. 5.

Matth. 17.
Psal. 30.

tua Domine, quam abscondisti timentibus te? quiq̄ue monebat, Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.] Quanquam non solis precibus hæc diuina dulcedo & spiritualis obtinetur cōsolatio, quæ velut ignis abundans, aquam omnem tribulationis vel mitigat, vel extinguit, sed præterea curauero, vt interior flamma, quæ Laurentium totum exussit, in me magis ac magis excitetur & alatur. Alitur autem pia lectione, sancta meditatione, spiritualibus desiderijs, ac veteris demum hominis mortificatione. Hinc Propheta regius de seipso non frustra testatur, *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, vt exquiram eam semper. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Confige timore tuo carnes meas: à iudicys enim tuis timui. Propter verba labiorum tuorum ego custodiu i vias duras. Propter te mortificamur iota die.*

Psal. 118.

Psal. 38.

Psal. 118.

Psal. 16.

& 43.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro Catholicis, & præsertim Ecclesiasticis, vt electa fiant grana, sibiq̄, sancte mortui, fructu alijs, Deoq̄, gloriam adferant copiosè.

DIVINAM quoq̄, gratiam implorabo, B. Laurentio mihi ob oculos posito, vt maius robur spiritus tum ad rectè agendum, tum ad crucem ferendam acquiram, ac potissimum vt amoris igne ad tentationes & calamitates fortiter deuincendas accendar, vñ, si dignus non sum, propter Christum fideiq̄, confessionem profundere sanguinem, siue transire per ignem & aquam; saltè mea membra mortificem super terram, ac de corpore meo viuam gratiamq̄, Christo hostiam offeram, sicut Paulus hortatur.

Coloff. 3.
Rom. 12.

ORABO etiam multos hoc tempore Christi Ecclesiæ, ministros dari, qui Laurentiano spiritu instructi, suum præstent munus

*in officio prædicationis, in Sacramentorum dispensatione, & in pro-
 uentibus Ecclesiæ conuenienter expendendis, ac ædemum in tuenda
 Ecclesiæ autoritate atq; libertate aduersus impios falsosq; fratres &
 aperte sacrilegos hodie longè lateq; grassantes.*



IN DIE FESTO
 SANCTISSIMÆ VIRGINIS
 MATRIS IN CAELOS
 ASSUMPTÆ.

Sequentis Euangelij Argumentum.

RECTE facit Martha Bethanica, quæ Christum vnà cum pauperibus eius discipulis hospicio excipit, & proculdubio perbenignè tractat pro sua hospitalitate, vt hinc Christi hospita iure dicatur. Rectius facit Marthæ soror Maria Magdalena, quæ curis neglectis domesticis, ad Christi docentis pedes sese abijcit, ac verbum illius cupidè amplectitur, eoq; manna cœlesti suauiter pascitur, non terrena curans, sed bona spiritualia & æterna diligens. Rectissimè autem facit Christus, suam de vtraq; sorore sententiam pronuntians, & Martham quidè vti plus æquo sollicitam, anxiâ, distractam & querulosam corripit; Magdalenam verò cōtemplatiuæ vitæ deditam, & ad verbum Dei cupidè audiendum intentam excusat atq; commendat, cùm illa in otio suo sanctè esset negotiosa, & sorore commendabilior, quoniam vni ac necessariæ rei dat operâ, optimamq; tenet partem, quæ nunquam illi eripienda, sed in futura demum vita perficienda est. Gregorius Magnus sensum Euangelij allegoricū paucis verbis ita declarat: Quid per

martha car hospita.

Mariam quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplatiua vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequijs occupatam, nisi actiua vita significatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur: quia magna sunt actiue vitæ merita, sed cõtemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur, quia actiue vitæ opera cū corpore transeunt: cõtemplatiuæ autem gaudia meliùs ex fine conualescunt.]
 Guericus abbas vetus non temerè notat, in hoc festo notãda nobis esse illa Euangelij verba: Maria optimam partem elegit, quæ licet de sorore Marthæ scribantur, plenius tamen ac sanctius in Maria Domini matre impleantur. Hodie namq; , inquit, beata virgo Maria optimã partem elegit, immò quam dudum elegerat, hodie perpetuò possidendam accepit, vt scilicet in te parabiliter adhæreat Domino, perenniterq; fruatur Dei verbo.]

Serm. 4. de
hoc festo.



EVANGELIUM

Luçæ X.



In illo tempore intrauit IESUS in quoddam castellum, & mulier quaedam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait, Domine, non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus, Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non, auferetur ab ea.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

Intrauit IESUS in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam.



ANTE QUAM ad hodiernum festum descendam, Evangelij rationem habebo, in quo Christus cum pijs duabus agit sororibus Martha & Magdalena, quarum hospitio fuerat exceptus. Et illam quidem ex parte reprehendit, hanc verò disertè commendat, me interim ac fideles omnes, si modò animum aduertimus, per illas multis & præclaris de rebus testè commonefaciens. Vbi primùm obseruabo, Martham hanc quæ à Luca describitur, nec minùs à Iohanne proponitur, inter Fideles & Christianos homines reputandam esse. Hinc illa vocem veræ fidei plenam, in sua Bethania edidit: *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Eadem de aduentante Christo sororem suam ita submonet: *Magister adest, & vocat te.* Nec dubium, quin Martha susceptam semel fidem veram retinuerit, quam & in Gallia ad supremum vsq; spiritum professa dicitur, eamq; non minùs externa quàm interna religionis specie cunctis comprobauit. Hoc modo illa me docet, corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem: & quæ ad Christi nomen, veramq; religionem spectant, constanter ac intrèpidè, cum opus est, testari ac prodere. Sine hac fide & aperta confessione nec initium est, nec progressus sinceri Christianismi, vt idcirco Paulus illud à Credentibus exigit, *In omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornēs*

L.
Iohan. II.
& 12.

Iohan. II.

Ibidem.

Rom. 10.

Tit. 3.

in omni.

in omnibus. Maior fidei profectuserat, quòd Martha non cor-
de tantum, & cultu externo, sed etiam opere & charitate suam
fidē exornaret, sanctāq; hospitalitatis cōmendaret exemplo,
vt in excipiendis atq; tractandis pauperibus nos humanos &
beneficos cum Tabitha exhibeamus. Sciebat enim illud pro-
missum: *Date & dabitur vobis. Ibunt misericordes in vitam æ-*
ternam. Retribuetur tibi in resurrectione iustorum.

NOTABO insuper hoc loco Martham videri loquacio-
rem, atq; in accusanda sorore audaciorem, adeoq; dignā quæ
à Christo ipso corripatur. Quam verò multi grauiorem cor-
reptionem hodie promerētur, quoniam in eadem velut naui
cum hac Martha sedent, & lingue sunt prorsus intemperan-
tioris. Parùm enim aut nihil ponderant doctrinam illam Apo-
stolicam, *Sit homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquens-*
dum, & tardus ad iram. Si quis putat se religiosum esse, non refre-
nans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.
Sicut enim vrbs patens & absq; murorum ambitu, vt à Salomo-
ne traditur: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum
suum. Sed & commune multorum malū est, hic à Christo in
Martha reprehensum, quòd illa rebus externis & curis dome-
sticis sic implicat animum, vt quæ ad proprium Dei cultum
& spiritualem animi profectum spectant, nimium negligat,
atq; in postremis habere videatur. Cur igitur illa non meritò
audiat; *Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plurima?*
Eòdem spectat & illa Christi sententia quæ plurimos in omni
ætate verberat: *Quid ad te, tume sequere. Quid enim prodest ho-*
mini, si mundum vniuersum lucretur, anima verò sua detrimentū
patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?
Postremò in Martha nos Christus coarguit, quoties cū Chri-
stiano decoro pugnantes, aliena siue dicta siue facta licenter
carpimus, sed & de personis rebusque spiritualibus leuiter
aut sinistrè iudicamus, magisq; alios vituperare & incusare,
quàm laudare & excusare gaudemus. Nam Christus eiusmodi
vanos arrogantesq; censors alibi perstringens loquitur, *Hyp-*
pocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere

Act. 9.

Luc. 6.

Matth. 25.

Luc. 14.

2.

Iacob. 1.

Prou. 25.

Iohan. 21.

Matth. 16.

3.

Luc. 6.

Matth. 7.

Rom. 2.

festucam de oculo fratris tui. Et rectè Paulus pronuntiat, *Inexcusabilis es o homo omnis qui iudicas.* Eòque magis dolebo, Marthae fratres ac sorores in utroq; sexu innumerabiles reperiri, quibus valde sit vsitatum vitium temerè iudicandi, occultè mordendi, facilè obmurmurandi, & alijs obtrectandi, præsertim Ecclesiasticis ac Religiosis. Plena sunt omnia Momis & Aristarchis, qui aliorum nauos & vitia solerter numerant ac se

Matth. 7.

uere iudicant, seipsos verò suasq; trabes, vti Christus vocat, ignorant ac negligunt. Sed longè alia Dei quàm hominum sunt iudicia, vt apud Isaiam legimus, quoniam inter alia peccata, quæ mundus planè dissimulat, & hominem tamen coinquinant, Christus etiam numerat malas cogitationes, oculū

Isai 55.

nequam atq; stultitiam: nec temerè monet de plurimis: *Audierunt verbum, & à solitudinibus & diuitijs & voluptatibus vite euntes suffocantur, & non referunt fructum.* Certè quod hïc Marthae accidit, Ecclesiasticis & Politicis etiam hodie vsu-

Marc. 7.

Luc. 8.

venire solet, vt cùm alijs laborant ac seruiunt, sursum ac deorsum cursitantes, sui spiritus non exiguum faciant detrimentū, neq; sine peccato rem familiarem ac economicam administrant, læpèq; charitatem illam violent, quæ iuxta Pauli sententiã non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, omnia verò credit, omnia sperat, omnia sustinet. Christiana vocatio spiritum candoris & lenitatis exigit, vt cū omni humilitate & mansuetudine nos faciles præstemus do-
mesticis, & cum patientia supportemus inuicem in charitate, sicut Apostolus docet, & res ipsa postulat.

1. Corin. 13.

Galat. 6.

Ephes. 4.

Coloss. 3.

Heb. 13.

Rom. 12.

SE D relinquo Martham, cuius nauos ita spectabo, vt nõ obliuiscar in eadem quoq; imitandam lucere fidem & officiosam hospitalitatem. Vtramq; virtutem Paulus sæpè commendat: & pijs ad rectè viuendum necessariam exigit. Quam multò magis ego Magdalenam sororem eius amabo, quæ à Christo peculiariter commendatur, seq; inculpatiùs, prudentiùs ac religiosiùs gerit, quemadmodum alibi de Magdalenæ festo differentes commonuimus. Docet autem illa, quantò sit tacere quàm loqui securius atq; commendabilius,

quando

quando silentium mulieres exornat maximè, vt hinc Paulus dixerit, *Mulier in silentio discat, cum omni subiectione*, & Sapiens ab adolescentibus itidem exigit, vt raro & pauca loquantur. Nisi Magdalena taciturnitatem amasset atq; seruasset, Christū Dominum non toties fauentem sibi patronum ac defensorē fuisset experta. Re ipsa præstitit quod Paulus à fidelibus omnibus postulat: *Non vos ipsos defendentes, charissimi*; quodq; Prophetæ præcipit, *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet*. Tum verò silentij curam præcipuam habere conuenit, cū in sacris versamur, Dei verbum audimus, ac diuino vacamus cultui. *Omnia enim tempus habent: est tempus tacendi, & tempus loquendi*, vt monet Ecclesiastes. Deo inprimis placet spiritualis ille Sabbatismus, cū ita feriamur corpore vt externis curis abiectis, ad sanctum otium reuocemus animum, illudq; dictum Propheticum obseruemus: *Vacate & videte, quoniam suavis est Dominus*. Vnde Christus quoq; docet, vt precaturus cubiculum suum ingrediatur, & ostio clauso patrem cœlestem oret in abscondito. Qui præterea cū duodennis esset, atq; à parentibus charissimis quæreretur in templo, grauitè ita respondit, *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Cōfirmatur hîc & illud, quod ex Michæa Prophetæ Christus repetiuit, *Inimici hominis domestici eius*. Neq; verò nobis prætereundum est, quòd Magdalene satis nō sit reliquissè mundum, deflesse peccata, Deo reconciliatam esse, Christi familiaritate gaudere, sed pergit etiam in iustitia Christiana progressus facere, ac de virtute in virtutem, vt Psalmographus inquit, ambulat, illius memor sententiæ: *Cū consummauerit homo, tunc incipiet, & cū quieuerit, operabitur*. Vnde non contenta remissione peccatorum, quam in domo Simeonis fuerat consequuta, se totam Christo dedicat ac tribuit, illum docentē libèter audit, immò & suo sumptu ac ære sustentat, eundem peregrinantem per longaitinerum spatia comitatur, domi & foris ad illius præsentis pedes se submissè prouoluit, eum loquentem, vbicunq; potest, audit cupidissimè, nihil illi æquè sapit ac dulcius vide-

1. Timoth. 2.
Eccles. 13.
& 32.

Luc. 7.
Matth. 26.
Iohan. 12.

Rom. 12.
Psalm 36.
Eccles. 3.

Hebr. 4.

Psam. 45.

Matth. 6.

Luc. 2.

Matth. 10.
Mich. 7.

Psal. 43.
Eccles. 18.

Luc. 7.

Luc. 8.

tur quàm cœleste manna, ac viuus Dei sermo sacro Domini ore prolatus. Sensus eius omnes mundo & carni præclusos, immò & mortuos non temerè dixeris, quoniam domus, & sororis, omniumq; rerum oblita, solo Christi verbo pascit animam: cibi & potus immemor, præter vnum Christum nihil quærit & amat in terris. Quis demum ambigat pulcherrimum hoc esse spectaculum, si quis ritè Magdalena intueatur, quomodo diuinis Christi pedibus affixa, & omni amore terreno vacua cor sursum erigat, & ardenti Christi charitate flagret, mitisq; perfectæ vitæ desiderijs æstuet? Vbi nobis omnibus exemplo suo præluet ac admonet, vt Dei verbo & cultui cuncta posthabeamus, verèq; spirituales & piè contemplantes in Christi schola efficiamur, & amorem diuinum omnibus anteponamus. Primum enim & maximum Dei mandatū illud est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*

Marth. 22.
Deuter. 6.

SEDE NIM! Iesu bone, quàm mihi multa cum Martha, id est, cum loquacibus, immodicè sollicitis, vanis & curiosis sunt communia? quàm verò pauca cum Magdalena tacente, modesta, deuota & cōtemplante congruunt? Bonam, laudabilem, multisq; fructibus abundātem partem elegit Martha, & in sancto laborat ministerio, dum pia sollicitudine & dispensatione distenta, curam gerit pauperum, & præclare vacat hospitalitati. Veruntamen longè meliorem partem sibi vindicat Magdalena, spirituali intenta doctrinæ, & cōtemplationis diuinæ studijs mirum in modum deditæ. Heu mihi, quòd cum Petro & Martha curis varijs, minùsq; necessarijs negotijs implicor sæpè, nec vocem illam Domini solerter obseruo: *Quid ad te? tu me sequere. Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Paucis opus est, immò verò vnum est necessarium. Hoc Augustinus refert ad mentis vnitatem in Magdalena cōmendatam, quòd illa in vero & summo bono animum planè collectum ac defixum haberet. Cassianus hoc vnum & principale bonum theoriam, seu contemplationem diuinam appellat. Nec malè alij puritatem cordis, mentisq; cū Deo pacè, in

Iohan. 21.
Luc. 10.

Serm. 26.
de verbis
Domini.

Collat. 1.
cap. 8.

*Vnum
necessarium*

hoc vno constituunt; quod ego sic demum intelligam, quasi nihil aliud dicatur, quam vt Deo per cognitionem & amorē indissolubili charitatis vinculo adhaeream. *Qui autem adheret Deo, vnus spiritus est*, Apostolo teste Atq; huc anhelans Prophetā dixisse videtur: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea.* Cur verò ipse mihi non succenseo, ac doleo vehementer, quòd Marthā non agam in mea vocatione, sed ociosus ac iners maneam sine sancta sollicitudine & officiosa sedulitate, quæ proximo frequenter verbis ac factis esset exhibenda. Notum est enim præceptum Apostoli: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci.* Sed neq; Magdalena officium præsto, alijs vigilans, mihi verò dormiens, & mundo magis quam Deo viuens, qui cœlestem in terra vitam meditari cesso, atque verborum Christi dulcedine non capior, neq; cùm opus est, corporalium occupationum curas mentisq; distractiones reijcio, vt Deo diuinisq; rebus conuenienter intendam, ac dies maximè sacros in frequēti studio precandi ac meditandi transigam. Huc autem valde contulerit, si summam Dei maiestatem ferio mihi ob oculos ponam, & ad cultum amoremq; diuinū mentem excitem, vt velut solus solum alloquens, cum Prophetā, Paulo & Magdalena feruenti spiritu dicam: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Portio mea Domine, dixi custodire legē tuam. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: mel super ori meo? Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Ecce qui elongant se à te, peribūt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autē adherere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Mihi Christus viuere est, propter ipsum omnia derimētum feci, & arbitror vt stercora. Quis nos separabit à charitate Christi?* Nam huiusmodi orationes, vt vocant eiaculatoriæ quò sunt crebriores & ardentiores, eò magis inflamment animū, & ex Marthis quodammodò faciunt Magdalenas, magnamq; vim habent ad vanas & inutiles animi curas, & perturbationes excutiendas, nec minùs valent ad vires animi purificandas, atq; crebra precatione ac meditatione cum

1. Corin. 6.

Psalm. 26.

Hebr. 13.

Psalm. 83.

& 118.

Psalm. 72.

Philipp. 1.

& 3.

Rom. 8.

Philip. 4.

Manua-
lis c. 34.Cap. 4.
eiusd.Soliloq.
c. 30.]

I. Cor. 12.

Rom. 12.

Ephes. 4.

Tob. 4.

summo bono coniungendas, vt ad perfectam tranquillitatem & pacem quæ omnem sensum exuperat, commodius perueniatur. Rectè igitur cum Augustino hîc dixerim, Cur per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnū bonū, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonū qd' est omne bonū, & satis est. Anima verò, quæ te nō quærit nec diligit, vt idē alibi tradit, mundū diligit, peccatis seruit, & vitij subiecta est, nunquā quiescit, nunquā secura est. Ac iterū: Imples tu eos, q̄ nihil aliud desiderāt præter te, & facis dignos te, sanctos, beatos, immaculatos & amicos Dei, qui omnia reputāt vt stercora, vt lucrifaciāt te solū.]

POSTREMO Euangelica historia de his pijs duabus sororibus me commonefaciet, vt nō nihil de varijs Christianorum vocationibus & electionibus statuum siue suscipiendis, siue rectè obeundis cogitem. Habet enim & habebit semper Ecclesia in vtroq; sexu suas Marthas & Magdalenas, hoc est, vnā eandemq; fidem profitentes, in vna velut Dei domo commorantes, Christoq; capiti & domino suo ministrātes, à quibus excipi ille vult atq; honorari. Verū vna & eadem domesticorū omnium nō est functio, quemadmodū in vno corpore varius est membrorū vsus, & in corpore Christi mystico quod est Ecclesia, diuersa semper dona Spiritus & munia reperiuntur. *Sicut enim in vno corpore multa mēbra habemus, omnia autem membra non eandem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo Vnicuiq; autē nostrū data est gratia* (sicut & singularis vocatio) *secundum mensuram donationis Christi*, vt Paulinis verbis vtamur. Plurimum autem referet, vt certum aliquem vitæ statū electurus, nō agat temerè ac præcipitanter, quòd à plerisq; fieri solet, sed etiā atq; etiā deliberet de illo, quod semel statuendum, & in omnem vitam retinendum est. Vnde prudenter Tobias ita suum instituit filium, *Pete à Deo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Peccant igitur, qui suam vocationem sine timore Dei, & corrupto affectu, quoniam carnis impetum, mundiq; sequuntur iudicium, leuiter auspicantur. Docet autem Raphaël Angelus

& Tobiam

& Tobiam & Saram, cùm statum nouum vitæ coniugalis vel-
 lènt aggredi, vt carnis affectibus nō indulgeant, sed se statum-
 que suum Deo religiosè commendent. Et hāc grauem ratio-
 nem adiungit, *Hi qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à*
sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mus
lus, quibus non est intellectus: habet potestatem demonium super
eos. Huc spectat Christi quoq; præceptum, vt nō secundariò,
 sed primùm ac purè quærant regnum Dei, eiusq; iustitiam, si
 nempe prosperum successum & exitum in noua vocatione
 consequi cupiunt. Nec satis est in timore Domini ac sapienter
 hunc illumq; statum inchoasse, sed & stabilitatem atq; constā-
 tiam requirit Apostolus dicens, *Vnusquisq; in qua vocatione*
vocatus est, in ea permaneat; quemadmodū & Sapiens admo-
 net, *Esto firmus in via Dei. Qui enim perseverauerit vsq; in finem,*
hic saluus erit. Notandi sunt & gradus vocationum, ne quis
 erret in deligendo, & pœnitenda sequatur consilia, ob quæ
 Paulus quoq; dixit, *Vnusquisq; proprium donum habet ex Deo:*
alius quidē sic, alius verò sic. Nunquid enim omnes Apostoli? nun-
 quid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? Bona utiq; pars
 est, ad incontinentiam euitandam castitatē coniugalem am-
 plecti: melior electa continētia vidualis: optima verò, & quā
 Paulus exemplo suo proposito apertè suadet, sicut & Christus
 antè suaserat, professio perpetuæ virginitatis. Vnde sic scri-
 ptum legimus: *Qui sine vxore est, sollicitus est qua Domini sunt,*
quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, sollicitus est qua
sunt mūdi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Mulier in nupta
& virgo cogitat qua Domini sunt: vt sit sancta & corpore & spiri-
tu. Ac rursus de viduo vel vidua idem Paulus affirmat: *Beator*
erit, si sic permanserit secundum meum consiliū. Optabo inte-
 rim esse complures, qui in carne sine carne viuant, & Deipa-
 ræ sese conforment, vt meliorem, adeòq; optimam partem
 eligant, ac eò prorsus aspirent, vt sine curis domesticis mun-
 diq; negotijs, quæ picis instar tangentem faciliè commaculāt,
 Dei verbo & cultui perfectè vacent, & à sancta vocatione nul-
 lis tentationibus aut impedimentis, quæ semper sese offerunt,

Tob. 6.

Matth. 6.

1. Corin. 7.

Eccles. 5.
Matth. 24.

1. Corin. 7.

1. Corin. 12.

1. Corin. 7.
Matth. 19.

1. Corin. 7.

Ibidem.

Eccles. 13.

Luc. 9.
& 17.

Apoc. 2.

Pfalm. 54.
1. Pet. 1. & 2.
Rom. 12.
& 13.

à suo instituto ac viuendi genere finant dimoueri. Huc enim spectat quod Christus pronuntiauit, *Nemo mittens manum suã ad aratrum & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retrò. Memores estote uxoris Loth.* Eiusdem Domini est sententia: *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, sicut Martha fidelis utiq; fuit, quæ virgo mansit perpetua, multasq; animas & virgines alias in Gallia Christo lucrificet. Fidelis & Magdalena, quæ post Christum in cœlos assumptum, vitam in eremo piè sanctèq; transegit, perinde ac si diceret: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Ceterum ex Apostolorum Petri & Pauli epistolis elucescit satis, quomodo suam quisq; vocationem ornare, Christoque gratam reddere debeat.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Luc. 1.

ET SI de Maria virgine Deipara & præsentis eius festo nulla sit mentio in hoc Euangelio: tamen consultissimè factum est ab Ecclesia, vt hoc ipsum Euangelium, hodierno festo ad assumptam in cœlum Virginem applicaretur. Etenim per sorores duas Martham ac Magdalenam, quæ hic à Luca describuntur, & quarum laus est frequens in Euangelio, nos de illa eiusdem sexus persona, & fœminarum omnium principe cõmonemur, quæ vt nouimus, inter mulieres omnes benedicta est, & sola præ cæteris incredibilem gratiam apud Deum inuenit. Quicquid igitur ad illarum sororum laudem & gloriam spectat, à Virgine nostra virtutum omnium illustrissimo exemplari nõ potest alienum videri, illudq; maximè, quod mirum in modum excellat in utroque vitæ genere, quod actiuum & contemplatiuum dicimus, quodq; nõ solum per hæc sorores Christo deuotas aptè designatur, verum etiam à fidelibus per omnes ætates Ecclesiæ ubiq; gentium debet exerceri. Ceterum & illud habendum est, sanctissimam Virginem tantò ma-

gis Deo

gis Deo summo placuisse, & excellentius in cœlo præmium recepisse, quãtò perfectiùs velut alteram Martham & Magdalenam in terris se præstitit, vt actiuæ simul & contemplatiuæ vitæ partes & prærogatiuas omnes absolueret, verèque plena gratiã diceretur & esset. Vt autem ex multis huc spectâtibus pauca quædã recenseam, quis obsecro actiuæ vitæ laudem illi nõ tribuat, quæ, vt parentibus & amicis obsequeretur, Ioseph cõmendato sibi spõso nubere nõ dubitauit, multisq; annis in virginali coniugio cū eo vixit laboriosè simul & erumnosè. Quoties est illa suis pedibus peregrinata, q̃ & cognatã grauidã officij causa, cū per mōtana proficisceretur, inuisit, & suum Augusto Cæsari pensum persoluit in Bethlehem? Illa in opis puerperæ insolitam sustinuit calamitatem, humana ope & amicorum subsidijs destituta. Illa purificationis legem in templo diligenter expleuit, fidelisq; mater in educãdo filio mirè sollicita fuit. Illa triste cum eodem filio exilium in Aegypto perpeffa est, & amissum illum duodennem valde mœsta quaesuit. Illa quotidianum victum vnã cum Ioseph fabro suis manibus haud dubiè comparauit. Quantam illa curã habuit in tali filio educãdo, quo nihil vlli matri fuit vnquã charius, aut esse potuit desiderabilius? Multa certè propter illum docentem vidit & audiuit à Iudæis agi atq; proferri, quæ cū per se essent indignissima, peccus illud maternū, & Christi amore vehemēter incensum, non potuerunt non commouere atq; affligere, sed & ei lacrimas exprimere, potissimū verò cū ventū esset ad horrenda filij sui vincula, supplicia, crucem, mortem & sepulturam. Ita demum præacutus doloris gladius, quẽ illi prædixerat Simeon, animã eius mollissimã planè trãsfixit, adeoq; vt ^a Sophronius ^b & Idelphonus notant, plus quàm Martyrẽ effecit, in qua nimirum corporeæ sensum passionis, vt Bernardus loquitur, excessit compassionis affectus. Et Bernardi discipulus ^d Guerricus admonet, Mariam fidam Christi affectatricem ac ministram sedulam, comitemq; indiuiduam fuisse vsq; admortem eius, à quo nulla persecutionis procella, nullus horror præsentis supplicij illam potuerit abstertere.

*Maria fuit Martha
& actiuam vitam
sequebatur.*

1
Matth. 1.

2.

Luc. 1.

Luc. 2.

3.

4.

Matth. 2.

Luc. 2.

6.

Marc. 6.

7.

Luc 2.

^a Sermon. de

Assumpt.

^b Sermon. 2.

de ead.

^c Sermon. 2.

de ead.

^d Sermon. 4.

de ead.

e In Euang.
Iohann.
libro 13.

Iohan. 16.

Luc. 14.

Matth. 25.

Pfalm. 27.

Tum verè scripsit e Rupertus : Non habuit hæc mulier hanc pœnam, vt in dolore pareret, sicut cæteræ matres, quãdo infans illi natus est; sed nũc dolet, cruciatum & tristitiam habet, quia venit hora eius, illa videlicet hora, propter quam de Spiritu sancto concepit, propter quam grauida facta est, propter quã completi sunt dies vt pareret, propter quã omninò de vtero eius Deus homo factus est.] Atque huc pulchrè applicat Christi verba, quibus prædicitur Apostolis, fore vt in die suæ passionis imaginem referat foeminæ parturientis. *Mulier, inquit, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Habeat igitur laudem suam officiosa Martha, quòd Christum hospitem exceperit ac fouerit, cibumq; illi & potum domi suæ subministrarit: ideoq; iuxta promissum Euangelicum retribuetur ei in resurrectione iustorũ, Christũq; in iudicio dicentem audiet, *Hospes eram, & collegistis me.* Sed Maria virgo plus quã Martha fuit, & inauditã exercuit hospitalitatem, quãdo filium Dei de summo cœlo venientem prima excepit, & cum ille nõ haberet vbi caput reclinaret, ex vtero suo illi domicilium, in quo nouem mēsis habitaret, præbuit, sed & sua illum carne vestiuit, suis lactauit vberibus, suis reclinauit ac gestauit manibus, & virginea genitrix, obstetrix & nutrix, maternæ pietatis fida obsequia illi non minùs amãter quã solicitè præstitit. Sola cognouit & amauit hunc infantem, vt suum vnigenitum, ita & Deum atq; creatorem: hinc duplici nomine, naturæ nimirum ac grãtię, dilexit ipsum quẽ educauit, vnice ac incomparabiliter. Quò dilexit autẽ eum vehementiùs, eò iustiùs etiã doluit, & dolendi causas habuit grauiores, illo præsertim tempore, quo per mortẽ vt crudelissimã, ita & ignominiosissimã tanto thesauro priuata est, & suas delicias, ipsumque Emmanuelem vidit à mundo ingratißimo reijci, atq; in crucẽ suffigi, immò & hominum fieri opprobrium, & plebis abiectionem.

NE QVE verò Mariæ Virgini satis fuit, in actiua vita versari, in qua Martham veluti pedissequam habuit, laude solicitæ & laboriosæ hospitalitatis vtique prædita, sed & contemplatiuæ vitæ magna documenta dedit par-

tim ante initum cum Iosepho coniugium, partim post gloriosum Filij sui in caelos ascensum. Nusquam reperias virginem inde à pueritia religiosiorem, diuinoque cultui & sacris studijs magis addictam, praesertim cum hæc virgo Dauidica in templo educaretur, & summum Deum perfecta fide, spe, & charitate supra æquales omnes coleret ac honoraret. Quæ orbata filio iam in caelos assumpto, viduam Euangelicam simulq; Apostolicam omni ex parte absolutam ostendit, dum à mundi curis ac negotijs siue domesticis, siue profanis libera, rebus diuinis, Christi q; sacris mysterijs meditandis totam se tradidit, nihil habens familiarius, quàm vt nocte ac die in corde suo ea conferret, quæ circa rem Euangelicam à Redemptore nostro tum dicta, tum facta perceperat. Hunc enim illa velut domesticum & priuatum ad trigesimum vsq; annum habuerat institutorem, à quo multa & præclara illa didicisse, & in sui purissimi cordis scrinio retinuisse dubium nõ est. An quisquã hætenus fuit Credentium ac diligentium Deum, cui ad vitã contemplantem tot tantaq; præsidia, sicut Mariæ, suppetiuerunt? quæ ab omni peccati næuo semper integra, & in gratia Dei vsq; confirmata, in carne sine carne vixit, & conuersationẽ in caelis firmã & fixam habuit, diuinæq; charitatis præceptum maximum, vt nemo alius, obseruauit. Nihil illi facilius erat ac vsitatius, quã intellectu & affectu se cum Deo coniungere, & in caelestẽ amorem rapi, vnumq; cū summo illo bono, quod votis ardentissimis exoptabat, per amorem excellentem effici. Proinde cum Idelphonso dicere non dubitabo: Domina nostra, immò Domini nostri & Dei genitrix, & semper virgo Maria, vtramq; vitam ad plenum exercuit, actiuam laudabilem, quam opere Martha excoluit, & contemplatiuam optimam, quam Maria audiendo & eligendo obtinuit.]

Ex qua Deiparæ Virginis vita, quæ omni labe peccati semper caruit, pudorem ingentem colligam, rectã me ipsum spectans, quod tam procul distem ab excellenti Mariæ iustitia, & absoluta perfectione, qua illa ipsa Sanctos & Sanctas omnes longè post se reliquit interuallo, digna certè, quã non modò

*Mariae sive magdalenae
& nomen contemplatiuam
nam sicuti se colit*

Serm. 5. de
assum. Virg.

Cant. 4.
Prou. 31.

Luc. 10.

Isai. 46.

Lib. 2. de
Virginib.

A & cor. 1.

Iohan. 19.

Gabriel Angelorum omnium nomine perhonorificè salutarer, sed cui omnes etiam generationes Credentium in omnibus Ecclesijs perpetuò gratulentur, ac ita concinant: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Multæ filie congregauerunt diuitias: tu supergressa es uniuersas. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quòd si vitam ego & iustitiam meam ritè perpendo, quid quæso aliud nisi pannum inuenio menstruata, si præsertim cum purissimis cogitationibus, prudentissimis verbis, ac probatissimis Dominæ nostræ moribus aliqua ex parte me voluerim comparare? Talis quippe Maria fuit, vt vnus vita, sicut Ambrosius loquitur, omnium disciplina sit, & corporis eius species simulacrum mentis & figura probitatis dici mereatur. Cur igitur hoc nitidissimum ac splendidissimum virtutum omnium speculum non sæpè cõtemplor? cur innumeras vitæ meæ labe & sordes, quæ cum huius vita prorsus inculcata pugnant maximè, non valde detestor, seriòq; deploro? nec in animũ reuoco, quibus illa virtutum gradibus & officijs suas atates omnes exornauerit, vt se ipsa iustior & sanctior semper euaderet, maioresq; meritum cumulos in diem sibi compararet? Nihil illa præcellenti Virgine humilius, & post Christum spiritus paupertati congruentius, nihil benignius ac obedientius, nihil religiosius, purius ac perfectius in primitiua Ecclesia reperiebatur. Quare Lucas illam collocat non supra vel ante, sed inter Apostolos ac mulieres, post Christi in cœlos ascensum Hierosolymis cõmorantes, quibus libenter illa se non minùs subijciebat quã cõformabat. Nec dubium, illam quamdiu vixit postea, cū illis Fidelibus in quotidiana precatione, & Sacramentorum vsu, in Euangelij & Apostolorum doctrina, communiq; conuictu Credentium vt modestissimè, ita & pientissimè perseuerasse. Iohannem interim Apostolum cūstodem habuit peculiarem, quem illi Christus de cruce pendens, assignauerat; tantò que plus valuit apud columnas Ecclesiæ Apostolos, quòd scirent omnes, illã mysteriorum fidei nostræ in primis esse consciam, & à Spiritu sancto mirificè gubernari, quæ demũ, velut insigne

pietatis

pietatis omnis exemplar, primis illis Christianis excellenti fuit admirationi atq; venerationi. Proinde si vnquam aliàs, nunc accuratissimè quidem ego de huius Virginis integerrima vita, & posteriore illius vitæ parte, quæ ad mortem tali matre dignam transitum optimum præbuit, mihi cogitandum putabo.

N I H I L verò me offendet, sed oblectabit potius, quædã in hoc Festo publicè proponi, atq; in laudem Deiparæ decantari, quæ nõ creaturæ, sed rerum omnium creatrici & incomprehensibili Dei sapientiæ, ipsi q; Christo primùm & præcipuè quadrant. Tale nimirum illud est; *In omnibus requiem qua fuit, & in hereditate Domini morabor. Qui creauis me, requieuit in tabernaculo meo, vt reliqua prætermittam.* Nihil autem hoc noui est, vt quæ secundùm sublimiorem ac perfectiorem sensum Christo Domino & capiti competunt, eadem ad virginem matrem, & præcipuum Ecclesiæ membrum suo quodã modo referri, commodèq; adaptari. Siquidem & Christus tanti fecit membra sua spiritualia, vt sese & illa eisdem nominibus ac epithetis nuncupare dignaretur. Est enim ipse lux mundi, ac eodem nomine suos Apostolos vocat. Est ipse fundamentum Ecclesiæ apud Paulū appellatus, & Iohannes hoc ipsum nomen duodecim Apostolis tribuit. Est Filius ipse Dei, quo nomine nihil habet sanè sublimius: nihilominus & eos qui in ipsius credunt nomine, vult esse & nominari Dei filios, suosq; fratres ac hæredes. Mirabor itaq; vehementer, tam morosos & iniquos hoc æuo censores proflire, qui cùm honorem ferè omnem Deiparæ inuideant, vniuersam carpunt & suggillant Ecclesiam, quæ tot seculis sine Christi iniuria, immò ad singularem Christi gloriam, varijs nominibus & præclaris titulis Dominam nostram exornat, ac publicè cohonestat. Perinde ac si Catholicis non liceat, in hoc laudum genere pios Bethulienses emulari, qui cùm inclytam Iudith viduam ac victtricem de se suaq; republica benè meritã vellent agnoscere, his illam vocibus grati celebrarunt: *Tu gloria Ierusalem, tu letitia Israël, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum: ideo eris benedicta in æternum.* Frustra

Eccles. 24.

Ioh. 8. & 9.
Matth. 5.
1. Cor. 3.
Apocal. 21.
Ioh. 1. & 10.
1. Ioh. 3.

Iudith. 15.

Serm. 1. de
hoc festo.

Cant. 1.

Ibid.

igitur laborant Ecclesiæ hostes, quidquid demum in medium adferat, ut in ordinem redigere possint eam, quã ut lectissimã filiam præ Sanctis omnibus inde ab æterno ad munus excellentissimum delegit Pater altissimus, & quã ut purissima clarissimaq; genitrix Dei filium de se genuit incarnatum, quã insuper ut sponsam pulcherrimã immensis gratiæ suæ muneribus repleuit & exornauit Spiritus sanctus. De hac ipsa fidenter hodie cū Bernardo dicimus Orthodoxi: Præcessit nos Regina nostra, præcessit; & tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam serui clamantes, *Trabe nos: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quã tanquam iudicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.] Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, ut idem affirmat, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis.

De præcellenti hoc festo, ac eius historia, beata Virginis mortem & assumptionem complectente.

HODIERNVS dies à Mariæ assumptione vulgò D. dictus, quem Hungari iam pridem Dominæ nostræ diem per excellentiam vocare cœperunt, mihi quidã & Orthodoxis omnibus valde charus & celebris esse debet, quantumuis noui Sectarij obstrepant, ac eam penitus abrogare contendant. Etenim idem dies inter omnes solennes ferias, quæ Mariæ Deiparæ dicantur, facilè tenet principatum, & multis abhinc sæculis à Græcis & Latinis religiosè admodum fuit celebratus. Triumphalis profectò dies, quo nullus alius Matri Dei magnificentior & augustior obtigit, & qui triumphanti æquè ac militanti Ecclesiæ gaudium adfert eximium ac singulare. Vnde cum Idelphonso non immeritò dixerim: Festiuitas hodierna celebritas est omnium supernorũ ciuium gratissima, quia eius est assumptio de corpore, ex qua orta est veritas, & iustitia de cœlo prospexit. Hinc fratres quæso iungamus vota cum supernis ciuibus.] Qua de re loquitur etiam Petrus Da-

Serm. 3.
de festo.
Psalm. 84.

mianus

mianus in huac modum: Hæc est ista dies, quæ cœlorum officinas sublimiore gaudio cumulauit, annua mundo, Angelis continua, continuans homines Angelis, & Angelos hominibus felici fœderatione coniungens. Intuere mentalibus oculis filium ascendentem, & Matrem assumptam.] Vbi pulchre idem confert Christi ascensionem, & matris eius assumptionem: in illa dicit potentiã, & potestatiuæ virtutis imperiũ apparere, sicuti dominum & creatorem decebat: in hac autẽ gratiæ subleuantis indicium statuit, comitantibus nempe & auxiliantibus Angelis, quorum ministerio rex Angelorum & hominum Christus neuiquam indigebat, etiam si ascendentem illum honorificè comitarentur. Soli, inquit, Angeli Redemptori occurrere potuerunt: matri verò cœlorum palatia penetranti Filius ipse cum tota curia tam Angelorum quàm iustorũ sollemniter occurrens euexit ad beatæ confistorium sessionis, & ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sed & Virgo gratiosis cumulata muneribus, tantæ benignitati Dauidico sermone respondet, summæ dignationis claritatem admirans: *Tenuisti, inquit, manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*]

N I H I L verò mirabor, de hoc præstante & glorioso festo eius quæ; historia non scripta reperiri omnia, quæ possunt à nonnullis desiderari: quemadmodum de rebus etiam gestis & certaminibus Apostolorum, primorum quæ; Fidelium multa silentio manent obtecta, & quæ de illis narrantur, traditione magis quàm scripto ad nos transmissa peruenerunt. Notant quidem nonnulli veteres, quæ ad præsentem huius Virginis pertinent historiam, sed succinctè & cõfusè magis quàm integrè & accratè describunt in illis fragmentis, quæ hodie circũferuntur; quædam etiam apocrypha de illis extare fatetur Gelasius. Verùm ex omnibus eiusmodi scriptoribus qui fidẽ maiorem promerentur, ego præcipua excerptam, mihi quæ; proponam rerum capita, vt hoc festum, totaque historia, quoad licet, magis elucescat. Ac duos in primis non vulgares testes adducam, qui doceant, Deiparam Virginem post Christi Filij

Serm. de
assum.

Cant. 4:

Psal. 72.

Distinc. 15.
c. Sancta.
Rom. Eccl.

Serm. 7.
in Psal. Qui
habitat.
Epist. 1.

in cœlos ascensum non ita leuiter fuisse habitam, sed in magna fidelium existimatione atq; admiratione vixisse. Iohannis Apostoli discipulus fuit, & Christi martyr quidem insignis Ignatius, cuius Epistolam de Maria scriptam agnoscit etiam & citat Bernardus. Verba epistolæ habent in hunc modum: Sunt hîc multæ de mulieribus nostris, Mariam Iesu videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos discurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent quæ Dominum Iesum aluerunt, & quædam secretiora percunctentur ipsam Mariam Iesu. Et quidam notificauere, eandem matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more virginis, virtutis & gratiæ fœcundam, quæ (vt dicunt) in persecutionibus & afflictionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re læta. Miseris & afflictis condolet coafflicta, & subuenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos cõsiliatus in pugna fidei disceptans enitescit. Nostræ nouæ religionis & pœnitentiæ est magistra, & apud fideles omnium operum pietatis ministra: humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur. Et mirum ab omnibus magnificatur, cum à Scribis & Phariseis ei detrahatur. Et sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu humane nature, natura sanctitatis Angelicæ sociatur. Et hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum huius (si fas sit fari) cœlestis prodigij & sacratissimi spectaculi. Tum in epistola sequenti, quæ ad eundem Iohannem Apostolum quoq; inscribitur, ita legimus: Mariam Iesu dicunt vniuersis admirandam, & cunctis desiderabilem. Quem non delectet videre eam & alloqui, quæ verum Deum de se peperit, si nostræ sit fidei & religionis amicus. Quis verò prudens hæc veluti vana & falsa reijciat, quæ licet non eleganter quidē, sed simplici veritati cõsentaneè scripta sunt, & ingentem Domine nostræ sanctitatem depingunt, grauesq; causas adferunt, vt ex fidelibus complures illam, vt cœleste quoddam prodigium, sacrumq; spectaculum, cupidè viderent, libenter alloquerentur, & velut viuam Dei Matrem coram admirarentur?

Accedat

Accedat iam alter testis Dionysius Areopagita, germanus Apostoli Pauli discipulus, idemq; primus Parisiorū Episcopus, nō obscurè superiora confirmans. Cū enim celebris rumor de miranda matre Domini ad illum quoq; peruenisset, ipsius videndi desiderio incensus, à Græcia in Iudæam profectus est, ac Iohannem Apostolum exorauit, vt ei dignaretur præstantissimam illā ostendere fœminā, ex qua vniuersorum principium nasci & prodire voluisset. Cumq; sacra Virgo suam illi præsentiam exhibuisset, Dionysius (quod præsentī miraculo potest adscribi) in tanta claritate, luce & gloria ipsam aspexit, vt præ admiratione deficiens, mox in terram corruerit, ac tandem reuersus ad se dixerit: Nisi mihi de Filio tuo esset reuelatū, facile crederem, aliū præter te, non esse Deū. Scribit hac de re Hubertinus in libro de vita Saluatoris edito, & sequitur eum præter alios vir æquè pius ac doctus Dionysius Carthusianus.

ET SI igitur Lucas Euangelista sic Mariā describit, vt eam per se humillimā ac modestissimā faciat, quæ cum alijs mulieribus credentibus in oratione perseverârît, nihil tamen hoc excellenti eius vel sanctitati vel existimationi derogare putandum est. Immò quantò illa perfectior ac dignior erat, plurisq; ab alijs æstimabatur, tantò magis congruebat, Christi q; Filij tum exemplo, tum præcepto erat conformius, vt seipsam illa subijceret omnibus, seq; nō Domini tantum, sed & Fidelium aliorum humilem & exiguam exhiberet ancillam. Vnde Bernardus quoq; non iniuria dixit: Meritò facta est nouissima prima, quæ cū prima esset omnium, sese nouissimam faciebat. Meritò facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam.]

VERVM ad mortem Virginis contemplandam propius accedam, quantum ex veteribus quidem scriptoribus colligi potest, vt sunt Dionysius Areopagita, Athanasius, Iuuenalis Patriarcha, Iohannes Damascenus, Andreas Creten- sis, Epiphanius presbyter, Bernardus, Metaphrastes, Glycas, Nicephorus, Guericus, Honorius Augustodunensis. Nos in super pro nostra quidem tenuitate in hoc argumentum non

Vide Mi-
chaël Syn-
gel. & Ge-
org. Pa-
chymér.
Act. 17.

In elucidatione 3. cap. de diuin. nomin. Act. 1.

Serm. 5. de assumptione Virg.

Iohann. 19.

pauca contulimus, quæ libro quinto de Deipara conscripto reperientur: nunc de præcipuis partibus summam agere sat fit. Constat sanè, Deiparam non paucis annis vixisse post Christum in cælos assumptum, qui eam velut matrem alteram Iohanni de cruce commendauerat, eamq; commendationem efficacem fuisse satis Euāgelica verba produnt: *Ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Nec dubium, Mariā Ecclesiæ primitiæ consolationem atq; decus attulisse, ac vitam Hierosolymis & Deo gratā, & proximis vtilem transegisse. Quamdiu autem illic inter Fideles vixerit, variant nonnihil scriptores, cum alij annos quinquaginta nouem, alij sexaginta tres, alij plus minus septuaginta illi attribuunt. Peruenisse refertur ad imperium vsq; Claudij Cæsaris, atq; vt minimùm ætatis quinquaginta nouem, post Christum verò assumptum quindecim annos impleuisse. Migravit è vita virgo sanctissima, quod paucis alijs accidit, sine mentis conturbatione, sine sensu doloris, sine aspectu dæmonis: & morituræ suppetebant præsentissima remedia, quæ summis votis homini sunt exoptāda, viua fides, heroica spes, & ardens in Deum charitas cum illa conscientia puritate coniuncta: quæ vel minutissimi peccati sibi non est conscia. Etenim per vitam omnem animi corporisq; sui templum seruauit immaculatum, ac internæ pulchritudinis & virtutis omnis genere mirabiliter expoliuit. Mortem verò præcesserunt incredibiles diuini amoris æstus, & flagrantia vitæ cœlestis desideria, quæ corporis & animæ dissolutionem non terribilem, sed iucundam facerent, potissimum quādo illa se cum mente reputaret, vnde, quò, & ad quem vocata proficisceretur. Vicini enim obitus nō erat ignara, eoq; nuntio accepto nō poterat sibi nō gratulari, seq; ad futurum transitū nouo studio præparare. Nullus profectò æternæ vitæ desiderio tanto flagrauit; nullus & fidentiùs & hilariùs sub mortem sibi sumere illud potuit, *Cupio dissolui, & esse cum Christo. Mihi viuere Christus est & mori lucrum.* Etenim hæc mater tantò cupidius talem filium in patria ipsa videre & amplecti ac exoculari desiderabat, quāto eundem perfectiùs, vt nemo vnquam

Philipp. 1.

alius,

alius, & Deum & hominem filiumq; suū cognoscebat, & ar-
 dentiū iam antea diligebat. Quæ cū languens in lectulo de-
 cumberet, accefferunt Apostoli, sicut Damascenus ex Iuue-
 nale Patriarcha confirmat, alijq; plures cum Metaphraсте &
 Nicephoro comprobant, quomocunq; tandem illuc ad-
 uecti Apostoli non sine potenti virtute diuini spiritus conue-
 nerint. Sed & Apostolicos viros, multosq; fideles tum hono-
 ris tum officij causa morienti adfuisse dubiū nō est, quod illā
 peculiariter reuererētur, quæ suis salutaribus consilijs afflictā
 fatis illo tempore Ecclesiam iuaret atq; sustentaret. Expecta-
 bant & columbæ huius discessum sancti Angeli & Archange-
 li, agminatim, vt sic dicam, circumuolitantes, non vt Lazari
 mendici animā in sinum Abrahamæ deducerent, sed vt veneran-
 dæ Dominae suæ animam ad altissimum sanctissimæ Trinitatis
 thronum cum immenso gaudio deportarent. Et quando ma-
 gis Filius Dei suā charissimam parentem honoraret, nisi cū
 illam de exilio ad patriam, de mundi huius deserto ad para-
 disum blandissimè inuitauit, perinde ac si diceret: *Veni electa
 mea, veni de Libano sponsa mea. Surge propera amica mea, colum-
 ba mea, formosa mea & veni: veni: coronaberis.* Extrema Virginis
 morientis verba fuerunt, sicut à Damasceno discimus: *In ma-
 nus tuas, Fili, commendo spiritum meum; suscipe tibi charam
 animā, quam conseruasti alienā ab omni reprehensione. Meū
 corpus tibi trado.* Et cū manus illa sustulisset, omnibus qui
 collecti aderant, magna cum fide & charitate benedixit, opti-
 ma quæq; omnibus precata. Huc spectant quæ scribit Michaël
 Glycas: Virgo Mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametsi
 mortem degustauit, tametsi vt homo in sepulcrum est de-
 posita: naturæ tamen fines atq; terminos superauit & excessit,
 neq; sepulcrū & mortalitas eam in potestate sua retinere po-
 tuit. Cum his consentit Gregorius Magnus, cū in publica
 Ecclesiæ precatōe testatur, quod sancta Dei Genitrix mortē
 subiit temporalē, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit.
 Vbi per nexus mortis intelligit peccatum, & quidquid cum
 mortis horrore corporisq; corruptione atque putrefactione

Luc. 16.

Cantic. 2.
& 4.Serm. de
assum.Parte 3.
Annalium.

Lib. de di-
uina. nom.
c. 3.

Niceph. 1.
2. histor.
Ecc. c. 23.

Num. 23.
Apoc. c. 17.
& 21.

Apocal. 14.
Oratione
de laudib.
Virg.

seu incineratione coniunctū est. Cæterum ex Dionysio Areopagita fit euident, sicut illum veteres Damascenus, Metaphrastes, Glycas & Maximus intellexerūt, quòd Apostoli & primarij recentis Ecclesiæ viri, simul & morti & funeri Virginis interfuert, quomocunq; tandem siue per miraculum, siue sine miraculo ex remotis locis adducti Apostoli ad Mariæ mortem eo tempore conuenerunt. Sed & illud ex veterum narratione liquet, sacrum hoc corpus, quod vitæ principem Deumq; ipsum cõceperat, ac iure materno gestârat, perquam honorificè ab ijs qui aderant, tractatum, adeoq; cum lampadibus, vnguētis, floribus, hymnisq; Angelicis terræ mandatū, & in prædio Gethsemane depositum, & quibusdam quoque miraculis illustratum fuisse, quemadmodum Andreas Cretensis Archiepiscopus Hierosolymitanus, Damascenus atq; Nicephorus non obscurè confirmant. Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus inter alia scribit: Corpus quod Deum suscepit, cum Angelica & Apostolica hymnodia elatum, iustis ei factis, in loculo fuit depositum Gethsemanes.]

VBI ego de morte & sepultura tua dicendi finem non faciam, ô Mater fidissima & clementissima, nisi meam quoque mortem, & hanc animulam tuæ tutelæ commendem: quandoquidem permultis vera fide præditis, quum ex hac vita decedunt, tu frequenter assistis, illudque à Filio tuo impetras, ne immanium dæmonum fraudibus ac insidijs fracti, succumbant in illa extrema & grauissima lucta. Tuo nimirum exemplo discere ac præstare cupio, vt meum spiritum à corpore discedentem, præsentis fide, ac duce charitate suo reddam creatori, ac citra omne impedimentum anima mea sursum euolet, te pia Virgine atq; potenti matre misero auxiliante. *Moriatur anima mea, sicut ille dixit, morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia:* illorum adscribar numero, quorum nomina in libro vitæ scripta sunt; & de quibus custos tuus virgineus asseruit: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Ego cum sancto Ephrem dicere nunquã formidabo: *Tu meus portus virgo inuiolata & præsens auxiliatrix.* Sub tutela & ptectione tua totus sum.

Adlis

Adsis mihi semper Virgo misericors, clemens & benigna, ac in supremo vitæ momento miseram meam animã conseruãs, & tenebrosos malorum dæmonum adspectus à me procul abigens.] Sed & cū Ecclesia tota precari nō desinã: Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe: quæ nimirum tam terribilis dæmonibus, quàm suavis, Angelis & propitia mortalibus te inuocantibus esse consueuisti.

I A M verò à sapiente dubitari neutiquã potest, animã Virginis postquã corporis ergastulo liberata migravit, in se illud abundè sensisse, qđ Christus Dominus suis credẽtibus apertè promisit: *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum; ut vbi sum ego, & vos sitis.* Ac iterum: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut vbi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.* Aderat igitur morienti quoq; Matri Christus, omni- que charitatis officio eam mirificè recreauit, vt postea probabimus. Aderant ibidem & Angeli, *administratorij* nempè *spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*, sicut Paulus affirmat. Cùm verò innumerabiles Angelorũ turbæ animam Virginis, velut nitidissimam quandam columbam, vt sic dicam, ex nobili arca corporis euolantem reuerenter exciperent, mirum sanè ac incredibile dictu quãto illam lumine fulgentissimi spiritus circumfulserint, quàm reuerenter salutãrint, quantoq; gaudio perfusi, eandem è terris in summũ cœlum deduxerint, vt pulcherrima Virgo, ac eadem parens dignissima, ad thronum illum supremum beatissimæ Trinitatis, qui omnes Angelorum sedes excellit, letissimè perueniret. Bone Deus, in quantã illi chori admirationem excitati, quàm sedulo inter se sciscitati sunt, in sacras eiusmodi voces prorũpentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, in-nixa super dilectum suum? Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Longè autem fuit admirabilius, Christum ipsum, verum utiq; Salomonem & omni sapientia plenum, vltro Matri venire obuiam, qui sicut illam summè dilexit, ita

Et in ora-
tione ad
eand.

Iohan. 14.

Iohan. 17.

Hebr. 1.

Cant. 3.
& 6.

hodie

hodie quidem studiosissimè honorauit, cum illius animam, uti speciosissimam sponsam, non solum peramanter excepit, verum etiam in sublimi regioque; solio magnifice collocauit. O ingentem charitatem, beneficentiam, liberalitatem & gratitudinem optimi maximeque; Principis, cum erga seruos & amicos, tum erga Parentem & Nutricem dilectissimam in praemijs amplissimis rependedis. Qualem obsecro, se tali Matri in primo illo conspectu, complexu atque colloquio praebuit? quam laetis oculis illam adspexit? quam suauiter est osculatus? quam officiosum sese monstrauit, quamquamque; rationem demum habuit, ut immensi labores & dolores, cunctaque; merita eius dignè compensarentur, cum verè de illa in caelo & in terra praediceretur, *Multae filiae congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas?* Etenim opera bona fidelium, quae animos verè locupletant, sicut Chrysostomus notat, iuxta Scripturae phrasin, diuitiae solent appellari. Proinde cum Bernardo dicere non verebor: Non solum caelestium legionum multitudo in Mariae occursum prodijt, illamque; ad thronum gloriae magno deuotionis affectu deduxit, sed & Filius placido vultu, serena facie, diuinis amplexibus eadem suscepit, & super omnem creaturam exaltauit, ac denique; dulciter osculatus est. Quod si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparauit Deus diligentibus se: quod praeparauit diligenti se, & quod omnibus est certum, diligenti praeparauit, quis loquatur? Idelphonfus habet in hunc modum: Etsi impertit praemia iustus iudex Christus Dominus secundum Apostolum, unicuique; iuxta opera sua: huic tamen sacratissimae Virgini Genitrici suae, sicut incomparabile est quod gessit, & ineffabile donum quod percepit: ita est inestimabile atque incomprehensibile praemium & gloria, non dico inter ceteras sacras Virgines, verum etiam ultra omnes Sanctos, quam promeruit.]

SE D iam procedamus ad rarum, excelsum, ac incomparabile illud priuilegium Deiparae nostrae à summo Deo concessum, quae nempe post mortem non solum animae beatitudinem fuerit consecuta, sed etiam in carne resuscitata, & beata

immortas

Prouer. 13.

In Psal. 101.

Serm. 1. de
assumpt.

1. Cor. 2.

Serm. 2. de
assumpt.
Rom. 2.

immortalitate vestita, vt in cœlesti regno cum Christo augustè triumphet. Cœlestis enim curia talem vel hospitem vel hospitam post Christum ex mortuis primogenitum nunquam excepit, & Ecclesia nulli præterquam Deiparæ defert eum honorem, apertè decantans, Assumpta est Maria in cœlum; gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Ac iterum. Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorū ad cœlestia regna. Nec vllum reperias è Sanctis omnibus, nisi Mariam solam, cuius assumptio corporalis in Ecclesia celebretur, & à Græcis Latinisq; scriptoribus maximè commendetur. Siquidem haud satis fore visum est Deo, Mariæ animam à corpore separatam cœlestibus inferri sedibus, ac locum illi excellentissimum assignari, qui honorandæ matri haud dubiè à Filio debebatur: verum etiam corpus hoc maternum Filij sui corpori voluit cōformari, & hoc post mortem, ab omni corruptione & putredine præseruari, vt in Mariam quoq; competeret, quod de Christo scriptum adducit Petrus: Nec scabis Sanctum tuum videre corruptionem. Vnde nos docet Iohannes Damascenus, corpus Deiparæ sanctum & integrum, & corruptioni minimè obnoxium, tertio die ex monumento resurrexisse, & Matrem ad Filium ex sepulcro translata esse. Tum Cosmas magnus ille hymnographus à Glyca citatus, perspicuè scribit, Mariæ corpus in sepulcro incorruptum asseruatum, admirabiliterq; ex terrena hac statione ad cœlestem sedem translatum esse atq; conglorificatum.

QVOCIRCA Doctorum iudicio consentaneum est planè, Mariam secundum Christum, qui primatum tenet in omnibus, nō inferiorem sed superiorem esse Sanctis reliquis, quos animæ simul & corporis gloriâ cœlesti præcellit. Et probabiliter asserunt quidam, duo maxima lumina Christum & Matrem, velut primitias dōrmienium in vtroq; sexu apud superos effulgere, indeq; maximam spectātibus omnibus voluptatem adferri. Cuius rei figura non obscura in veteri lege præcessit, cum pacificus rex ille Salomon in suo excelso throno sedens ac imperans, matris suæ curam ingentem habuit,

Coloff. 1.
Apocal. 1.

*Maria corpus dicitur
assumpta ab 7.*

Actor. 2.
Psal. 15.
Serm. de
obdormi-
tion. Ving.

Ad Ali-
pium.

Coloff. 1.

3. Reg. 2.

Exod. 26.

2. Reg. 6.

Pfal. 131

a Oratione
de hypopā-
te Dom.
b De viris
illust.

1. Cor. 15.

Pfal. 44.

camq; iuxta se collocatam, voluit ab omnibus peculiariter honorari. Nec sanè mysterio caruit, quòd Iudæorū synagoga, quæ multa post secutura præmonstravit, arcam habuit fœderis magno studio fabricatam, & ex impubilibus lignis cõpositam, tantoq; in pretio tenuit, vt nihil sanctius, magisque venerandum apud illos existimaretur. Per hanc ipsam arcam, vt eruditi consentiunt, mater Domini adumbrata fuit, & idcirco eandem rex David valde suspexit, præsertim cum illā ex humiliore loco in arcem Sion cura & reuerentia summa trãtulit, neq; per se tantum, sed communi etiam suorum studio mirabiliter & publicè cohonestavit. Quid ergo mirer, Christum verum Davidis filium hãc figuram implese, cum & ipse circa pretiosam arcam, immò dilectam Matrem suam sollicitus, eandem in optimum locum transferendam, & in selectam arcam Sion euehendam curavit? Certè rex idem David de hac arca cecinit gloriabundus: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tue.* Nam & veteres hunc locum annotarunt, què Propheta diuino spiritu illustratus, intellexerit de futura Christi ac matris eius admiranda resurrectione, pulchrè quidem arcam sanctificationis vocans virginem, quæ corpore animoq; sancta & illibata, post Christum ipsum resurgere debuerit ad corporis immortalitatem, sicut & Michael Glycas, & Nicephorus Callistus hunc locum explanant. Peruetustus Christi martyr est *a* Methodius, quem citat & *b* Hieronymus; ab hoc Maria eleganter dicitur verè animata arca nostri legislatoris Dei, & eius qui loco non potest comprehèdi cœlum, sed & glorificata. Deoq; digna sedes, quæ solis mentis oculis conspici queat. Ac de Sanctis alijs in fine mundi resuscitandis norit omnes, quòd Paulus disertè pronuntiarit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Excipitur autem hïc Deipara, cui inter alia summa priuilegia munus hoc amplissimum contulit Christus, vt ante alios resurrectionem & glorificationem corporis maturè consequeretur, suoq; Filio conformaretur. Hoc enim est quod Propheta regius illis verbis ostendit, *Assit Regina*

a dextris

à dextris uis, in vestitu deaurato, circumdato varietate. Sicut enim ex clarissimis magni Athanasij verbis elucescit, Prophe-
ta illic de Maria & eius assumptione hoc asserit, quòd Chri-
stus Rex præpotens Mariam clarissimam hoc honore digne-
tur, vt illam sibi in cœlis adsciscat veluti Reginam, quæ carnis
in corruptibilitate induta, ac velut fulgēti purpura, & generis
omnis virtutum ornatu circundata sit & condecorata. Præte-
rea si Henoch in sublime raptus, & Helias curru cœlesti aue-
ctus, vitam corporis integram conseruârunt, Deo in illis mi-
rabili operante: quis obsecro dubitâdi superest locus, quòd
Maria mortua ex infirmitate, tamen ex Dei virtute reuixerit,
nec viderit corruptionē? quemadmodum Andreas Cretensis
iam olim est ratiocinatus. Qui inter alia sic loquitur: Sicut nō
fuit corruptus Mariæ parientis vterus, ita mortuæ caro nō in-
terijt. Partus effūgit corruptionem, & sepulcrum non admisit
interitum. Stat enim sepulcrum inane vsq; ad hodiernum diē,
quod & testimonio approbatum est, & approbat factā trans-
lationem.] Nec minùs luculenter à Nicephoro scribitur: Vbi
ad Gethsemane peruētum est (cum Mariæ funere scilicet,) se-
pulturæ quidem illa filium imitata traditur: per illum autem
diuina tabernacula, ad ipsum scilicet paradysum, vbi & vitæ ar-
bor condita est, ratione ea, quā qui hæc fecit Deus nouit, trās-
fertur.] Consentit his quod Germanus ille Patriarcha Con-
stantinopolitanus, vir maximi nominis, palàm affirmat, sacra-
tissimā Virginis carnem ex morte iam resuscitatā, & ad omnē
immortalitatem & incorruptionē transformatam esse. Præte-
rimus interim, quæ Euthymius, Metaphrastes, Glycas, & præ-
cipuè Iuuenalis Patriarcha, ac Leo Imperator, qui Sapientis
cognomen sortitus est, in medium adferunt, vt corporalem
Dei Virginis resurrectionem & perfectam assumptionem cō-
probent. Accedit & locus Euangelicus de Sanctis mortuis,
qui resurgente Domino, ad vitam resurrexerunt, ac de monu-
mentis exeuntes, se viuos multis Hierosolymitis demonstra-
runt. Putant autē eruditi; hos rediuuos nō modò cū Christo
resurrexisse, sed eius etiā in cœlum ascendentis fuisse comites,

In Euang.
de Deipar.

Genes. 5.
Heb. 11.
4. Reg. 2.
Eccl. 44.

In oration.
de assump.
Virg.

Lib. 2. hist.
c. 22.

Matth. 27.

Opusc. 8.
& 3. par.
Sum. q. 27.
a. 1.

De hoc ipso
festo.

Conclusio

Lib. 6. in
Cantic.

Exod. 20.

*Primum
festo assumptæ
Virginis
primus
j. l.*

atq; iterum secundum carnem nunquam obdormiuisse. Cur igitur quod hisce Sanctis clarissimi Theologi largiuntur, matri Domini adimamus, eamq; debita fraudemus gloria, quod eadem Christi virtute ad vitam resurrexerit immortalē? Scholasticorum Doctorum princeps est Thomas Aquinas, qui suo & aliorum nomine dilucidè testificatur: Credimus quod post mortem Maria resuscitata fuit, & in cœlum deportata. Ac licet in sacris literis non tradatur, Mariam cum corpore in cœlum assumptam esse: tamen id ab Augustino & alijs doctis rationaliter colligitur ac probatur. Verum Augustini rationes adferre, ne sim longior, super se deo, ac demum ita concludo: Mariam non solum animam beatam, sed etiam corpore gloriosam, & in cœlum assumptam, tum super Angelos omnes exaltatam, ac præ Diis omnibus honorandam nobis esse, ingenuè profiteor, semperq; profitebor, cum videam, tot seculis Græcos & Latinos Doctores ita sensisse, nec aliter Catholicam Ecclesiam mirabili consensu ac publica religione in hunc diem usq; testari. Vnde cum Ruberto Tuitiensi, qui grauis est autor, dicere non verebor: Quando de hoc mundo assumpta, atq; ad æternum thalamum translata es (Virgo Deipara,) tunc tu, & ex tunc electa ut sol, electa inquam nobis. Quia sicut ex te natum Dei filium solem verum, solem æternum adoramus & colimus ut Deum verum: sic & te honoramus atq; veneramur ut veri Dei genitricem: scientes quia totus honor impensus Matri, sine dubio redundat in gloriam Filij. Et quidem naturam non tu idem es quod ille sol, sed nihilominus tanta es, ut te honoret ipse Sol honore, quo decet filios honorare parentes suos. Qui enim dixit, *Honora patrem tuam, & matrem tuam,* non dubium, quin & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis suam velit honorari matrem.]

Hoc unum iam superest, ut quem fructum ex hoc Festo Assumptæ Virginis capere liceat paucis expediatur. Primum pro meo quidem modulo annitar, magis ac magis è terris in cœlum mente assurgere, meq; ipsum ad futuram communem electorum omnium assumptionem præparare. His enim con-

uenit

uenit, vt instar aquilæ alis accincti, in Christi aduentum & occursum lætissimè rapiantur. Cùm enim ille in tuba Dei descēdet de cœlo, sicut Paulus promittit, simul rapiemur cū electis alijs, qui primùm in Christo sunt mortui, & *rapiemur* quidem *in nubibus obuiam Christo in aëra; & sic semper cum Domino erimus. Vbi enim corpus, illic & aquila congregabuntur.* Deinde cōsolationem mihi singularem adferet, quod Christus adeò liberalem ac munificum se Matri suæ in fine præbeat, nec solùm in anima, sed etiam in corpore illam beet, immò & beatis omnibus in cœlo anteponat, sibi verò coniunctissimam & propinquissimam reddat, ac illo demum cultu, qui in creaturam purā cadere potest, velit ab omnibus honorari. Ita velut in clarissimo speculo cernimus, quàm verè diuina Scriptura definiat: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronā vitæ quam re promissit Deus diligentibus se. Qui se humiliat, exaltabitur.* ^a *Beati qui lugēt, quoniam ipsi consolabuntur.* ^b *Humilem spiritu suscipiet gloria.* ^c *Bonorum operū gloriosus est fructus.* ^d *Id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloria pondus operatur in nobis.* Huc demùm ^e Augustinus & Bernardus referunt, atq; de Maria glorificata interpretantur, quod à Iohanne scriptum est, ^g *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius.* Cur igitur me supra modū prospera demulceant, vel aduersa perturbent & crucient: Si cum Maria socius fuero passionum Christi, cum eadem etiam diuinæ æternæq; consolationis in cœlo particeps ero. *Si enim commortui sumus, & conuiuemus. Si sustinebimus, & conregnabimus.* Etiam si mundus corruat, & mors pijs non horrenda, sed cū Maria desiderabilis pulset fores, tamen cū Paulo nos dicere conuenit, sicut haud dubiè Maria sæpè dixit: *Cupio dissolui & esse cum Christo: Saluatorem expectamus Dominū nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Adhæc Angelicis legionibus non immeritò gratulabor, quæ suam Reginam, & Matrem nostrā ad sublimem cœlestis gloriæ thronum ingenti cum honore, com-

1. Thess. 4.

2.
Matth. 24.

Iacob. 1.

Luc. 18.
^a Matth. 5.
^b Prou. 29.
^c Sapi. 3.
^d 2. Cor. 4.
^e Lib. de symbolo ad Cat.
^f Serm. de hoc dicto.
^g Apoc. 12.

2. Cor. 1.

2. Tim. 2.

Philip. 1. & 3.

3.

muniq; applausu hodie deduxerunt, nullus vt vnquam secundum Christum, qui solus princeps est æternæ gloriæ, ad tantam fuerit dignitatem euectus, & sublimiora præmia in vtraq; Ecclesia reportarit. Quocirca me huius Angelici & inexplicabilis gaudij participem reddam, præsertim vt intimo animi affectu complectar, quod optimo iure canit & hortatur Ecclesia, Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honore beatæ Mariæ Virginis, de cuius assumptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. Quod gaudium spirituale, quoad eius fieri potest, augebo sedula meditatione, in mentem reuocando ea quæ Bernardus pulchrè verbis illis complexus est: Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium Legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm diuinis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem exaltata creaturam? cum eo honore, quo tanta mater digna fuit; cū ea gloria, quæ tantum decuit Filiū.] Sed & Athanasium imitabor, qui clarissimè notat, hanc virginæ matris assumptionem tum à cœlestibus, tum à terrestribus hierarchijs magno studio celebrari, & angelos quidē ordine quodam procedētes, Reginæ nouæ sollempniter accendere, Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.]

Serm. I. de
Assumpt.
Mariæ.

LUC. I.

4.

ROM. 12.

Rursus & meo & Credentium omnium nomine pro virili curabo, vt si antehac vnquam, nunc maximè nouo religionis studio inciter ac impellar ad hanc Reginam Christo Regi in cœlis coniunctissimam venerandam atq; colendam. Proinde spe bona plenus, ad hanc ipsam æquè potentem ac clemētem matrem cōfugiam, eiq; tum mala mea quibus liberari cupio, tum bona illa quibus plurimū egeo, fidenter exponam, vt facilius ab illo exaudiar, qui sua dona per media quædam ordinata etiam immerentibus persæpè dispensat. Quandoquidē verò & conscientia mea & res ipsa testatur, me à legitima vitæ sanctæ perfectione procul abesse, magno me desiderio teneri

par est,

par est, vt ad Dei gloriam & proximi commodum proficiam in charitate, vtque spiritualement quendam mediter assumptionem illi spiritui consentaneam, quem eximij Patres, nostrique maiores qui Matri huic misericordiae semper extiterunt deuotissimi, iam inde ab initio imbiberunt, suisque votis, precibus, scriptis & exemplis orbi comprobauerunt. Ego verò vt à germano illo, totiusque Ecclesiae Catholicae sensu & affectu neuiquam degenerem, mea spes atque fiducia, meum robur atque praesidium secundum Deum in illa locabitur Virgine, quam constat inter Sanctos omnes Christianae gratiae inuentricem, verae vitae genitricem, humanae salutis procuratricem, ac miserorum mortalium aduocatam inde ab aeterno diuinitus praedestinatum atque constitutum esse. Huius ergo praesentem ac salutarem opem, quam noui Hagiomachi nec intelligere: nec percipere digni sunt, ego implorare non desinam, multoque magis cum veteribus Theologis praesertim Athanasio, Ambrosio, Ephraem, Augustino, Germano, Damasceno, Bernardo errare, quam cum nouis huius aevi theologastris sapere desiderabo. Sinam hos quidem de Mariano cultu accusando & abolendo semper contendere: cum illis verò probatis Ecclesiae Doctoribus intrepidè dicam: Salua sancta parens. Intercede hera, domina, regina & mater Dei pro nobis. Per te accessum habeamus ad Filium, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Hic ille mons est domus Domini sublimis, & in vertice montium praeparatus, sicut huc Isaie locum Gregorius Magnus interpretatur, indeque Mariae praesentiam Sanctorum omnium gloriae anteponebat. Demum quoties feriae tantae Virgini sacrae sollenniter celebrantur, cum Bernardo mihi persuasum habeo, Christum Dominum nostrum in die huiusmodi sollennitatis & laetitiae illis, qui dulcissimum Mariae nomen cum laude inuocant seruulis, gratiae suae munera libentius elargiri. In periculis, ait, in angustijs, in rebus dubijs **MARIAM** cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.]

Isaie 2.
Greg. in 1.
lib. Reg.
cap. 1.
Serm. 4. de
Assumpt.

Homil. 2.
super Mis-
sus.



DE PRECIBVS CVM HOC EVAN-
gelio & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro Catholicis, vt magis magisq; cōtendant, se Marthas & Magdalenas, id est, actiua & cōtemplatiua vitæ studiosos homines ad Christo seruiendum atq; ministrandum fideliter exhibere; qui sua insuper vocatione contenti, vitam agant inculpatam, neq; vel seipsos, vel alios, præsertim ad vitam perfectiorem vocatos, impediunt in officio vere pietatis.

Apocal. 13.

PETAM deinde à Diuina bonitate, vt Satanam eiusq; ministros vi magna comescat, ne in Mariam (sanctissimam Dei viui tabernaculum) irruere & blasphemare pergant, sicut Iohannes Apostolus fore prædixit, neue priscum illum Catholice deuotionis spiritum in sacrosancta Virgine veneranda, publicèq; celebranda suppressant & extinguant.

ORABO itidem excitari complures Mariæ amatores atq; cultores, per quos Deiparæ honos passim violatus nouo studio restituatur, hoc præsertim ferreo & exulcerato seculo, quo Domine nostre intercessione, patrocinio ac meritis in utroq; statu plurimum indigemus.

Matth. 25.

SED & magnoperè cupiam ac precabor, eam mihi gratiam suppeterè, vt post hanc vitam letis aliquando oculis cōtempler, tum Regem Christum in decore suo perfectè regnantem, tum benedictâ eius Matrem immortalitatis ornata purpura, & velut Salomonis matrem in suo præcellenti throno residentem. Erunt haud dubiè tempus, quo decem virgines, id est, omnes animæ fideles per baptismû Christo veluti desponsatæ, Sponso & Sponsæ Christo simul & Mariæ, obuiam ituræ sunt, quando nimirum ille corporibus induta, partim ad cœlestes nuptias probè instructæ, à Sponso tali comitante Sponsa, intromittentur, partim ob spiritualis olei defectum, suamq; dormi-

tantiam

*tantiam excludentur, quemadmodum Evangelica de decem virgini-
bibus parabola non obscure nobis designat atq; delineat.*



IN DIE FESTO BEATI BARTHOLOMÆI APOSTOLI

Sequentis Euangelij Argumentum.

INTEMPESTIVAM, Christoq; ingratam contentionem instituunt Apostoli, cum statim post acceptam sacram Eucharistiam inter se disceptant, quis illorum primas & princeps in Christi regno futurus esset. Etenim in extrema cœna, quam cum eisdem discipulis ante mortem habuit Christus, hæc ipsa incidit disceptatio, & similis alia iam antè præcesserat, Christo eosdē corripiente. Hic verò illi admonentur, quòd præsens contentio aliquid ethnicæ ambitionis redoleat, nec absit à consuetudine illorum, qui tyrannicam in alios dominationem exercent, malèq; prorsus illis congruat, quos ab omni fastu esse alienos, & singularissubmissione alijs prælucere decebat. Tum seipsum Dominus illis in exemplum quod sequantur, statuit, qui tamen si sit per se summus, ac potenter illis imperare possit, tamen ad humilia quæq; sese demittit, & velut serui officium vtrò præbet omnibus, vt meritò alibi dicat ac doceat, Dilcite à me, quia mitis sum & humilis corde. ac iterum; Exemplum dedi vobis (vestros nempe lauâdo pedes,) vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Non est seruus maior Domino suo, nec Apostolus maior est illo qui misit illum. Addit porrò &

Matth. 11.
Iohan. 13.

Luc. 22.

consolationem, laudans & recreans discipulos quantum-
uis reprehensibiles, eò quòd haectenus sibi domino fide-
liter adhæserint, multa etiam secum aduersa perpeffi. Un-
de præcellens & quidem cœleste illis promittit præmiũ,
quod per multas afflictiones in vita futura sint consecu-
turi. Vos estis, inquit, qui permansistis mecũ intencationi-
bus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater
meus regnum. Vera igitur ad cœleste regnum & peren-
nem gloriam via est, non appetere, sed fugere mundi fa-
stum, omnem cupiditatem eorum quæ mundus exoptat
seponere, honores & excelsa contemnere, alijs libenter
inferuire, & crucem ferre potiùs quàm primatum & im-
perium desiderare.



E V A N G E L I V M

Lucaë XXII.



ACTA est contentio inter discipulos, quis eo-
rum videretur esse maior. Dixit autem eis I E-
SUS: Reges Gentium dominantur eorum, &
qui potestatem habent super eos, benefici vocan-
tur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut iu-
nior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior
est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego
autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat: vos autem
estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego
dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum: vt eda-
tis & bibatis super mensam meam in regno meo, &
sedeatis super thronos, iudicantes duodecim
thronos Israël.

NOTÆ



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Facta est contentio inter discipulos, quis eorum
videretur esse maior.*

QVANDO QUIDEM coram Deo & hominibus
odibilis est superbia, intium & radix omnis peccati,
valde mihi cauebo ab eo genere superbiorum, qui vt
se germanos Adæ ac Euæ filios prodant, suis vitijs fucum libē-
ter obtendunt, ac velut quærunt perizomata, vt idcirco è iu-
storum etiã factis peccandi colligant occasionem. Quare mi-
hi commendatam habebò illant Tobix sententiã, *Superbiam
nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa
enim initium sumpsit omnis perditio.* Ad horum superbiorum
classẽ spectant, qui licet in alios soleant censores esse seueri,
sibi tamen nihil non indulgent ac indulgeri volunt, & è San-
ctorum vitijs vel peccandi ansam rapiunt, vel suam improbi-
tatem per illorum casus & lapsus libenter excusant imminu-
untq̃. Proinde cùm de sacris Apostolis non optima legũt vel
audiunt, statim inde sibi adblandiũtur, & quæ in nostrum cõ-
modum benè scripta sunt, in suã ipsi perniciem malè & pesti-
ferè vertunt. Atqui hoc est Euangelio licenter abuti, & pro-
prium diuinæ Scripturæ fructum negligere, de quo Aposto-
lus pronuntiat: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam
scripta sunt,* nimirum vt sitinus non subtractionis filij in perdi-
tionem, sed fidei in acquisitionem animæ, sicut idem loquitur
Apostolus. Peccarint sanè Apostoli tũm ambitione, tũm con-
tentione, sicut ex hoc Euangelio colligi potest, quoniam de
primatu disceptarũt, quis nempe à morte Domini primus ac

Eccl. 10.

Gen. 3.

Tob. 4.

Rom. 15.

Heb. 10.

Matth. 18.
& 20.

Iob. 7.

Genes. 3.

Ierem. 17.

Eccles. 40.

Eccles. 3.

1. Iohan. 1.

Matth. 20.

Iohan. 10.

Eccles. 1.

Prov. 17.

princeps inter ipsos futurus esset. Ego verò quod Christus in discipulis semel atq; iterum reprehendit, laudare & probare nō possum: sed curabo tamen, vt hoc qualecunq; illorum factum mihi maiorem vtilitatem quàm offensionem adferat, & vtcunq; fiat salutare. Sic igitur mecum cogitabo; non solū ad nos, sed ad Apostolos etiam pertinere has generales diuine Scripturæ sententias: *Quid est homo quia magnificas eum (O Deus;) aut quid apponis erga eum cor tuum? Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Prauum est cor hominis & inscrutabile; quis cognoscet illud? Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulture.* Breuiter, *Cuncta subiacent vanitati.* Sed & Apostolorū vera propriaq; est confessio, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Deinde quod ab Apostolis hoc loco factum, immò & malè commissum existimatur, ego candidè interpretabor, velut quod non ex vlla malitia, sed mera ignorantia proficiscatur, ac idcirco maioris criminis effugiat notam, & excusationem facilè promereatur. Nam illi dum humanæ sapientiæ & communi errori de regno Christi plusculum tribuunt, in eundem lapidē impingunt cum Zebedæi filijs, Christiq; Domini regnum, de quo sapè dictum audierant, mundanū, ac politicum fore imperium arbitrantur. Eundem errorem Iudæi mordicus retinent, sed cum inexcusabili stultitia & perucacia, dum suum fictitium, pomposum & præpotentem coram mundo Messiam expectant. Accedit quod Apostoli à Christo mansuetè correpti, non obstrepunt ac repugnant, sed in eius verbis videntur acquiescere, & statim cedere veritati, ac velut oues morigeræ pastori suo parent citra difficultatem. *Oues enim meæ, inquit Dominus, vocem meam audiunt: peruersi autem difficile corriguntur. Plus proficit correptio apud sapientem, quàm centum plæge apud stultum.*

QVAPROPTER ego diuinæ sapientiæ ac bonitati gratias agam, cui visum est per huiusmodi nauos discipulorū

me aliosq; commonefacere humanæ imbecillitatis, quæ in Propheta eximio Moyse se quoq; prodidit, vt eo rectius intelligamus, quid & quàm miser sit per se homo sine Dei gratia, & quid rursus gratiæ splendore ac virtute instructus valeat efficiatq;. Etenim quamdiu presentes discipuli Sancti Spiritus copiosa gratia non sunt imbuti, varijs de rebus Christum audiunt quidem, sed non intelligunt, quemadmodum de Crucis mysterio, de Domini resurrectione & regno, de morte Iohannis differentem. Præterea in multis hærent, cum vigilandum est dormitant, nonnunquam offenduntur, de seipsis immodicè sentiunt, multorū obliuiscuntur, improuidè loquuntur, plus æquo tristantur, plorant ac ciulant, vindictæ sunt cupidi, sed & Dominum contra fidem datam, ad primum hostiū impetum deserunt. Hac illi ratione velut typum nobis exhibent hominis, vt Paulus vocat, carnalis & animalis, qui in sita etiam sapientia verè stultus est, nec solum obiurgatione, sed etiam pœna dignus, & qui suam infelicitatem cum Paulo iure deplorat, & cum Propheta Deo testatur, *Auertente te faciem, turbabuntur (omnias) auferes spiritū eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Rursus verò Apostoli exemplo suo me aliosq; erudiunt, quid sit & valeat homo Dei gratia instructus atq; confirmatus, cum velut è tenebris vocatus, in lumen quoddam admirabile miro modo transfertur. Relinquit enim cum Apostolis retia sua, contemnit facultates, negligit temporalia bona, parentes, fratres, propinquos, immò & seipsum odio habet, veterem hominem exiit, totus renouatur, sui curam & amorem abiicit, corpus castigat, carnem crucifigit, vim atque iniuriam passus ignoscit offendentem, pro calumniante precatur, inimicum æquè ac amicum ex animo diligit, de ingrato & impio persecutore benè meretur, nulli mortalium se præfert vel æquat, sed sicut magistratibus, ita & æqualibus ac inferioribus sese vltro submittit, crucem non detrectat, sed & voluntariam eligit, & ab alijs impositam lætus perfert, quin etiam ob quamlibet afflictionē velut sibi diuinitus immisissam piè gloriatur. Adhæc iustitiam non vulgare, sed abundantem

Num. 17.

Luc 18.

Matth. 20.

Iohan. 21.

Iohan. 16.

Matth. 20.

& 29.

Marc. 8.

Iohan. 6.

& 16.

Luc. 24. & 9.

Matth. 26.

1. Cor. 3.

Rom 7.

Psal. 103.

1. Pet. 2.

Matth. 4.

Luc. 5.

Rom. 8.

1. Cor. 4.

Rom. 12.

Ephes. 4.

exercet, vt non modò diuinis præceptis, sed & consilijs Euan-
gelicis pro virili satisfaciât: orat Patrem in Spiritu & veritate,
charitate in Christum flagrat, in rebus afflictis infractum præ-
stat animum, veritatem intrepidè profitetur, sincerè ad Dei
gloriam consilia sua instituit, nihilq; cupit ardentius, quàm vt
conformis esse queat imagini Filij Dei, in iustitia & sanctitate
corâ Deo & hominibus ambulans inculpatè In illo ipso, sicut
in electo organo suo habitat & operatur Spiritus sanctus, sua-
que dona diffundit, nec illum finit vnquam inertem ac otio-
sum esse.

QUOCIRCA verebor admodum in sanctos peccatæ A-
postolos, eosque mihi aliquando infensos habere, si eorum
nempè labes potius quàm virtutes mihi ob oculos ponam,
aut eorundem imbecillitates ad meorum peccatorum excu-
sationem vel extenuationem detorqueam. Siquidem illi non
solum fuerunt homines, & Adæ filij suis quibusdam verrucis,
sine quibus hîc non viuitur, obnoxij, verum etiam inter om-
nes Sanctorum ordines tenent primas, excelsi Dei viuientis fi-
lij facti, Ecclesiæque vel maximè necessarij, qui post acceptam
diuini Spiritus plenitudinem tam sobriè, piè, iustèq; vixerunt,
vt velut luminaria in medio mundi lucentia, ludæis & Genti-
bus non minùs exemplo quàm verbo præluxerint, atq; suam
nobilissimam vocationem omni virtutum genere & miracu-
lorum gloria mirum in modum illustrârunt. Illorum est sanè
proprium apertè testari, *Gloria nostra hæc est, testimonium con-*
scientiæ nostræ. Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo
Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia
Christi bonus odor sumus Deo. Et si cognouimus secundum carnem
Christum: sed nunciam non nouimus. Nostra conuersatio in cælis
est. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an
angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gla-
dium? Adhæc me ipsum in eo reprehendam, quòd huiusmodi
Apostolorum ferias irreligiosè transigam, aut certè non stu-
diosè satis obseruem & expendam, quàm præclari illi acceptæ
gratiæ olim in terris fuerint cooperatores, quantoperè in ex-

2. Corin. 1.
2. Corin. 2.

2. Corin. 5.
Philip. 3.
Rom. 8.

colenda Christi vinea defudarint, quàm sedulò suam quis que prouinciam & vocationem vbique gentium exornârît, quàm sincerè non propriam sed communem Ecclesiæ vilitatē die noctuq; procurauerint, eò referētes omnia, vt mundo sibiq; mortui, Christum Dominum glorificarent. Vnde Chryso-
stomus illis acclamat; Vos rectè fidei immobiles estis columnæ, Ecclesiæ petra, regni petra, sceptrum, & huius maximè gregis vigiles præfecti, infirmitatis humanæ gratis medici, nostræq; versus Deum pœnitentiæ compatientes fideiussōres. ¶ Eosdē vocat Sacerdotes & Sacerdotum principes, Credētium magistros, qui serpentis prudentiam & simplicitatem columbæ habuerint, mentesq; hominum errantes in viam reduxerint, & ad Angelicam traduxerint vitam. Dolebo igitur, hos Christi legatos ac testes, primos que pastores & doctores Ecclesiæ omni exceptione maiores, eorumq; sollempnes ferias mihi hætenus non maiori curæ ac venerationi fuisse, quos Christus ipse Pastorū princeps, & rex super Sion à Deo cōstitutus tanti habuit, & haberi vult ab orbe vniuerso terrarum. Illos enim cunctis Prophetis anteposuit, & peculiariter nuncupauit ^a sallem terræ, mundi lucem, ^b piscatores hominum, ^c electos amicos quibus omnia mysteria reuelauerit, ac duodecim tribuū Israël, id est, iuxta Chryso-
stomū, Christianorum omnium iudices. Verùm proh dolor, vbi mea fides, quæ illorum doctrine respondeat saluari? vbi alienæ salutis auida & semper officiosa charitas, quæ tantoperè in illis exarsit? vbi alacris & expedita ad ferendam crucem patientia, per quam illi Christi ducis vestigijs constanter ac fortiter inhæserunt? Nisi surdaster essem, mentis aures adhiberem, & illam D. Bartholomæi cōcionem, quæ hodie resonat in Ecclesijs, reuerenter audirem, *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut iunior. (vel, quemadmodum alij legunt, minor.)

NON solum hoc loco, nimirum in vltima cœna, sed & alibi sapius, vt superius dictū est, altercantur inter se Apostoli

Homil. in
S. S. duode-
cim Apof.

1 Pet. 5.
Psalm. 2.

^a Matth. 5.
^b Matth. 4.
^c Iohan. 15.
^d Matth. 19.

1. Corin. 11.

Matth. 18.
& 20.

de pri-

Marc. 9.
Luc. 9.

Matth. 22.
1. Petr. 2.

Rom. 13.

PROB. II.

de primatu siue principatu, re magni sanè momenti, & digna quæ paulò exactius à me ponderetur, potissimum quòd hodie complures ac pestilentes errores huic argumèto commisceantur. Sunt enim, qui cum impijs Anabaptistis adstruant, cunctos in republica Christiana æquales esse, nec magistratū & præminentem aliquam dignitatem ferri oportere. Atqui Euangelium non abolet, sed confirmat Cæsaris dignitatem, eiq; licet ethnico Principi, suum ius à Dei populo iubet exhiberi, iuxta notam illam Christi sententiam: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Nec obscurum Petri Apostoli verbum est, Deū timete, Regem honorificate; quinetiam Ducibus à Rege missis Christianos omnes esse subiectos affirmat. Et consonans Paulus perspicuè tradit, Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Idemq; clarè pronuntiat, magistratum Dei ministrum esse, non ad terrorem, sed vtilitatem bonorum Fidelium; sicut & Salomon dixit, Vbi non est gubernator, populus corruet. Sunt rursus, qui Politicum siue profanum magistratū admittunt atq; probant, sed Ecclesiasticum è medio tollunt, aut eatenus quidem tolerant, si Pontifices, Episcopi, & Antistites Ecclesiæ circa sacra versentur, vt suum gregem pascant ac doceant: verùm temporalem & sæcularem iurisdictionem illis prorsus adimunt, legesq; cōdendi & subditos coërcendi nullam illis potestatem cōcedunt, vt eos ex dominis quodāmodo seruos, & mancipia faciāt politici magistratus. Id enim præsentī Euangelio consentaneum esse putant, quandoquidē Christus ambitiosos Apostolos, qui dignitatem externam affectabant, nō semel reprehendit, ac regulam illam præscripsit Ecclesiasticis: Vos autem non sic, puta vt veluti Reges & magistratus dominationem externam more Principum exerceatis, meumq; negligatis exemplum, qui sum in medio vestrum ab omni fastu, pōpa & publica gubernatione semotus, vestrumque omnium humilis minister siue ministrator esse pergo. Ac de Apostolis quoq; constat, quòd post acceptum Spiritū sanctum se modestissimè gesserint, suumque munus Apo-

licum

licum perpetua paupertate, rerumque omnium despicientia commendarint.

VBI ego de Christo libenter & apertè fatebor, quòd licet ille summus esset monarcha, & rex regum, dominusq; dominantium, cui ^b omnia dedit Pater in manus: tamen de forrensibus rebus noluerit iudicare, & ^d regnum oblatum refutârît, ac apertè Pilato dixerit, *Regnum meum non est de hoc mundo*, quantum ad externâ scilicet administrationē. Etenim Prophetarum oraculis voluit satisfacere, in quibus Messias tempore prioris aduentus pauper & humilis promittebatur. Non enim venit ille iudicare sed iudicari, & seipsum Pilato iniuste iudicanti tradidit. Deinde satis constat, Apostolis illud congruisse, vt sine pompa, Christi sequerentur exemplum, summamque humilitatem præ se ferrent, atq; Apostolico munere occupati, rem publicam nō administrârent, neq; ius in alios dicerent, sed à curis Principum & Iudicum alieni essent iuxta illam Pauli sententiam, *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nos, inquit illi, orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Hîc tractare non attinet, ad mundi potentiam deprimendam, Dei que gloriam illustrandam retulisse plurimū, vt Euangelica philosophia per discipulos paucos, eosque ignobiles, egenos, idiotas, abiectos & simplices orbi primū traderetur, tantasq; sumeret vires, quantas tyrannorum & persecutorum omnium immanitas nulla vnquam ratione extinguere posset ac labefactare, sicut Paulus Apostolus Corinthios docet. Cæterum quod ad Apostolorū successores, præsertim Pontifices & Episcopos attinet, nullo illi quidem adstringuntur præcepto ad hanc primam Apostolorum simplicitatem & paupertatem obseruandam, sed præter spiritualem potestatem, qua illos Christus instruxit, habet etiam externam quandâ iurisdictionem; & inde ab initio habuerunt, licet ea paulatim auctior facta sit. Etenim Doctor Gentium ita sui temporis Episcopos instituit, vt verbis apertis postulet eos domibus suis benè præesse, bonos œconomos agere, hospitalitatem exercere, nec solū honestos presbyte-

Matth. 28.
a Apoc. 19.
b Iohan. 13.
c Luc. 12.
d Iohan. 6.
& 19.

Ioh. 3. & 12.
1 Pet. 2.

2. Tim. 2.
A 1 Cor. 6.

1. Cor. 1. & 2.

1. Tim. 3.
Tit 1.
1. Tim. 5.

ros susten-

1. Cor. 9.

Matth. 10.
Luc. 10.

1. Cor. 9.

Galat. 6.

1. Cor. 9.

Rom. 15.

Matth. 2.

Isai. 49.
& 60.

ros sustentare, verum etiam egenas & sexagenarias viduas alere de bonis Ecclesiæ. Gratis quidem ipse Paulus euangelizauit, sed hoc officium alijs ad eum non iniungens, ut etiam huiusmodi tradat regulam: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deseruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de Euangelio uiuere.* Repetit præterea illam Christi sententiam, *Dignus est operarius mercede sua*: nec obscure declarat, quod Præpositi sumptus à Fidelibus oblatos accipere possint atque possidere, quodque ministri Ecclesiæ, stipendijs acceptis sine vitio sacra dispensent, suoque munere fungantur in Ecclesia. *Debet enim, ait, in spe qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Tum conuersis ad fidem mandat, ut se gratos acceptæ fidei magistris præbeant, quando sic loquitur: *Communicet is qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Ita enim ratiocinatur: *Si nos uobis spiritualia seminauimus: magnum est si nos carnalia uestra metamus?* ac alibi rursus in eandem ferè sententiam scribit: *Si spiritualium eorum* (de Iudæis loquitur) *participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis.* Quod uero Paulus hinc rationi & legi veteri cõsentaneum esse testatur, & à recens baptizatis requirit, id antiqui Principes sedulo tanè præstiterunt, ac Magos (primicias nempe Gentium) egregiè sunt emulati. His quippe non sat fuit Christum, uti supremum suum regem, in Bethlehem agnoscere, ac suppliciter adorare, sed suam in illum fidem pretiosis oblati muneribus iniussi etiam professi sunt. Neque nesciebant iidem principes Prophetica uerba, quæ ad magnates ac diuites propriè spectant: *Erunt reges nutriti tui, et regine nutrices tue.* Tum alibi sic Isaias affatur Ecclesiam: *Surge lac Gentium et mamilla Regum lactaberis.* Quod si ueteres & Ecclesiasticas consulamus historias, clarissimè cernemus, primos illos ualdeque religiosos Principes non sine diuino instinctu & laudabili pietate id effecisse, ut sedulam curam & operam, magnosque sumptus conferrent in cultum diuinum passim amplificandum, in fundandas ac dotandas Ecclesias, in Episcopos, eorumque pios cona-

tus promouendos, in Sacerdotum collegia & monasteria erigenda atq; cohonestanda. His enim alijsq; modis suam illi erga Deum pietatem, ac propensam in Ecclesiam obseruantiam publicè comprobauerunt, tantòq; magis Ecclesiasticum ordinem attollere voluerunt, quantò rectius iudicauerunt, Ecclesiã ipsam & sacra quæ peraguntur officia, temporalibus indigere subsidijs, quia sine illis cõsistere, diuq; durare nõ possint spiritualia. Notauerunt insuper, Pastores & Doctores parum aut nihil populo valituros, nisi cõmodè fouerentur, & apud improbos pollerent autoritate, vt illos in metu & officio continere possent. Igitur partim diuinæ gloriæ, partim bono publico id à magnatibus tributum est, vt Sacerdotes, eorumq; Antistites modis varijs ornarentur, magnisq; priuilegijs afficerentur, immò etiam Principum ordini quidam adscriberentur. Nam & sacris literis edocemur, quàm feliciter imperarint Ezechias & Iosias laudatissimi reges, quòd humanæ potentie præsidijs destituti, cum sui temporis Sacerdotibus coniunctissimè uiuerent, singularem templi curam haberent, & pios Ministrorum conatus fideliter adiuuarēt. Habuit vetus etiam Ecclesia prouentus nõ exiguos, suosq; thesauros, quorum curam percutustus ille Sixtus Pontifex Maximus & Martyr Laurentio Martyri suoq; Diacono demandauit. Præterea suos habuit Ecclesia Constantinos, Theodosios, Martianos, Heinricos, Carolos, qui verè pij Cæsares cum fauerēt & patrocinauerentur Episcopis, nõ solum imperium præclarè gubernauerunt, sed & religioni cõseruandæ ac propagandæ plurimum profuerunt. Notant sanè Principes & Magistratus, primū Israelitarum regem Saul funditus periisse, quòd Samueli sacerdoti noluerit obtēperare, quòdq; collegium Sacerdotum immaniter trucidari; nec ignorarūt, ab Ignatio martyre nõ minus verè quàm grauius dictum esse: Si quis cõtra Regem insurgens damnatione dignus est, quomodo vltionem euadere poterit, qui præter Episcopum aliquid egerit?] in rebus nempe spiritualibus, quæ ad fidem & religionem spectant. Quid multis moror? Quod ab optimis ac Deum amantissimis Principibus per om-

4. Reg. 28. &
2. Paral. 29.
4. Reg. 22. &
2. Paral. 4.
& 35.

Vide Ecclesiast. Hist.

1. Reg. 15.
& 22.

Epistol. ad Smyrn.

Codice, De
sanctiss. E-
piscopis.

nes ferè etates sanctè donatum, & sponte oblatum fuit, quem-
admodum & Cæsareæ leges, & publica diplomata compro-
bant, id ipsum a Catholicis Episcopis absq; vitio suscipi, ac le-
gitimè vsurpari certum est, cõmuni totius orbis consensu sus-
fragante, & magno quidè bono reipub. consequente. An verò
obscuri sunt nominis Antistites, qui cū Pastoralis munere am-
plitudinem Principatus egregiè coniunxerunt, laudemq; im-
mortalè promeruerūt? Ex his fuere, vt è multis paucos recen-
seam, diuus Siluester Romæ, D. Rubertus Salisburgi, D. Vdal-
ricus Augustæ, D. Vvilibaldus Eichstadij, D. Vvolfgangus Ra-
tisbonæ, D. Conradus Constantiæ, qui profectò non minùs
Ecclesiæ lumina quàm patres patriæ, Imperijque columnæ à
pijs & prudentibus meritò existimantur.

QVAE omnia maiorem mihi lucem adferent, vt sciam &
perpendam, in hoc Euangelio Ecclesiasticum Magistratum
non labefactari, sed confirmari potiùs, illumq; aliquando fu-
turum prænuntiari, cū suis Christus ita loquitur: Qui maior
est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator.
Perinde ac si dicat: Qui in vobis est honoratior, is gerat sese
modestiùs, vt è suscepto munere nō arrogantiam & superbiã,
sed humilitatē potiùs ac timorē colligat. Hoc enim est quod
alibi Scriptura disertè præcipit: Rectorem te posuerunt? noli
extolli: sed esto in illis quasi vnus ex ipsis. Quando magnus es, hu-
milia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam ma-
gna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Eòdem spe-
ctat, quòd princeps Apostolorum, velut hunc locum expla-
nans, grauius admonet Seniores siue Præpositos Ecclesiæ, vt
nō sint in cleris dominātes, sed se formam & exemplar Domi-
nici gregis præbeant. Deinde notabo singularem Christi leni-
tatem, cū suos discipulos adhuc ambitiosos arguit, qui &
statim post illis ipsis ingentia præmia pollicetur, ac sui ipsius
exemplum, velut totius mansuetudinis atq; humilitatis ma-
gister, proponit omnibus perpetuò retinendum. Errant igitur
nō leuiter hostes Ecclesiæ, qui cū vidēt Catholicos Episco-
pos suis vitijs laborare, fœdè & seditiosè in illos destomachā-

Eccl. 32.

Eccl. 3.

1. Petr. 5.

tur,

tur, eosq; magis vulgo contemptibiles reddunt, perinde ac si Christus suos Apostolos humanis affectibus & quibusdā nātuis obnoxios nō patienter tulisset, omnemq; in illos humanitatem nō exercuisset. Vnde Paulus quoque legem illam tulit, Seniorem ne increpaueris: sed obsecra ut patrem. Et notus est Euāgelij locus de Doctoribus atque Rectoribus Ecclesiasticis: Omnia quaecunque dixerint vobis, seruare & facite: secundum verò opera eorum nolite facere.

Ex his præterea cōsequitur, ineptos esse aduersarios, dum eximiam illam ab Ecclesiasticis requirunt sanctimoniam, quæ in probatissimis Deiq; Spiritu plenis eluxit Apostolis, quos constat in summo Euangelicæ perfectionis vertice constitisse. Præterea nō animaduertunt, Ecclesiam sic esse comparatam, vt licet in præcipuis fidei partibus, præceptisq; diuinis pulchrè sibi cōstet, & sicut Paulus ait, firmamentum & columna sit veritatis, tamen in politia, ritibus ac legibus quæ ad gubernationem spectant, aliquas mutationes admittat, seq; prudēter veluti medicum ægrotis filijs accommodet, cūm sciat, rerum humanarum nō solum vtilem, sed etiam necessariam esse vicissitudinem. Nam & Christus Dominus eiusq; Apostoli nonnulla subinde mutarunt, vt se tempori rectius cōformarent, & Ecclesiæ cōsulerent vtilitati. Iubentur enim discipuli primū in Iudæam tantū proficisci, ac semen illic Euangelicum spargere, dicente illis Domino: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Succedit autē postea præceptum longè aliter sonans: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creatura. Visum est item Christo id ab Apostolis exigere, vt à pecunia, calceamentis, virga & gladio abstinerent. Verū vt ^a Iohannes Chrysostomus, ^b Augustinus, ^c Theophylactus & alij Patres locum interpretantur, mandatum hoc fuit vel consilium temporarium; ideoque Apostoli & sibi & Ecclesiæ vsum etiam gladij postea permissum habuerunt. Nec est obscurum Christi mandatum, quo iubentur baptizare Apostoli in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: sed putant multi eruditi, hanc baptizandi for-

i. Tim. 5.

Matth. 23.

i. Corin. 3.

Matth. 10.

Marc. 16.

Matth. 10.

Marc. 6.

Luc. 9. & 10.

^a In cap. 16.

ad Rom.

^b In cap. 2.

de consens.

Euang. c. 30.

^c In cap. 22.

Lucæ

Matth. 28.

Vide D. Tho-

mam. in 3.

Par. Sum.

Act. 8. & 10.

A Cor. 15.
& 16.A Cor. 21.
A & 16.
Galat. 5.

Psal. 2.

3. Iohan. 1.

a Lib. 4.
cap. 19.
b Lib. 2.
cap. 35.In Epist.
prima.Vide Nice-
phor. lib. 12.
hist. c. 11.

mam ab ipsis Apostolis non sine diuina reuelatione ad tempus esse commutatam, quòd solo Iesu Christi nomine in tingendo vterentur. Nec diu sanè durauit Apostolica Constitutio, vt à sanguine & suffocato Fideles abstinerent, sicut in primo Concilio fuit definitum. Deniq; licet vetus lex esset abrogata post Euāgelium promulgatum, tamen nō dubitauit Paulus in obseruanda Lege Mosaica sibi aliquid sumere, qui suum etiam discipulum Timotheum circumcidere veritus non est, cūm alibi tamen scripserit, *Sē circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Stat igitur, vt semel finiam, manetq; firmū Christi consilium & decretum, vt non solū Ecclesiastici, sed Ciuiles quoq; magistratus potestate sibi tradita cōuenienter vtantur, nec secundū vulgarem ac tyrannicū morem dominādi libidine cōmoti, onus hoc difficile ac periculosum administrent, neq; propter iurisdictionis præeminētiā agant insolentiū, quin potiū vt rationi & legibus ad regendū obsequētes, Diuino timori & commodo publico posthabeant omnia iuxta illud, *Apprehendite disciplinam; ne quando irascatur Dominus.* Quanquam multò magis cōpetit Ecclesiasticis, ab omni ambitione & fastu sese abstinere, singularem charitatem ac misericordiam præ se ferre, arrogantiam & inhumanitatem deuirare Diotrophæ, qui cūm præesset Ecclesiæ, Iohannem Apostolum & Christianos fratres peracerbè tractauit. Plures id genus inflatos Antistites, qui Ecclesiastica potestate turpiter abusi sunt, apud *a* Sozomenum & *b* Socratē inuenimus, nempe Lucium & Georgium in Ecclesiam Alexādrinam intrusos, sicut & Macedonium Constantinopolitanum, qui falsam religionem professi, in Catholicos immaniter sæuierunt. Quantò autem religiosior, Euangelicæq; modestiæ obseruātor fuit Clemens, qui à Petro Apostolo ad Pontificatum electus ac designatus, suam excusauit indignitatem, & supplex ei factus, ab onere tanto suscipiendo petijt liberari. Gregorius verò Nazianzenus cūm celebris esset præsul Constantinopoli, Sedi suæ sponte renuntiauit, atq; vt alius ipsi substituere tur orauit, & ad vitam se transfudit Monasticam. Decreuit interim Nicæna Synodus, legemq; statuit de non transferendis

Episcopis,

Episcopis, vt occasio ambitus in Ecclesijs præscideretur, multaque mala, quæ ex comptetorum ambitiosa prensatione facile proueniebant, præcauerentur. Et ne quenquam offendat Pauli sententia: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat;* locum eundem sic explicat Gregorius magnus: Tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quãdo per hunc, quenquãdubium non erat, ad supplicia grauiora peruenire. Is verò sibi testis est, quia episcopatum (legitimè) nõ appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærat. Idemq; Pontifex verè humilis, & si licuisset, Pontificalis honoris fugitans, præclare docuit: *Sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita fugientibus offerendus.* Confirmat hoc Apostolico illo dicto, *Nec quisquam sumit sibi honorè, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Vt enim idem alibi tradit: *Sicut is qui inuitatus reuit, quæsitus refugit, sacris altari- bus est admouendus: sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus.*

Niceph.
cod. lib. c.
10.

1. Tim. 3.

Parte 1. cu-
re pastoral.

8. q. 1.

Hebr. 5.

Ad Siagri.

epist. 1.

Quæst. 6.

cap. vlt.



DE BEATO BARTHOLOMAEO
CHRISTI APOSTOLO.



VNT qui arbitrentur, tam præstantem & venerandum virum genere Syrum natum, & valde nobilem extitisse, qui à Rege cognato, aut etiam patre Ptolomæo nomen suum traxerit, ac speciali quodam priuilegio purpuram gestarit in Apostolatu. Ego aliorum sententiã vt probabiliorem amplectar, qui Bartholomæum hũc à Nathanaele diuersum faciunt, & reliquis exæquant Apostolis in eo, quòd genere fuerit ignobilis, ingenio simplex, habitu minimè peregrino & insolente, natione itidem siue prouincia Galilæus, ideoq; Iudæorũ vulgo despectus. Tales enim Christi discipuli in literis Apostolicis describuntur, quòd fuerint homines sine opibus, sine literis, sine autoritate, ac præci-

Acto. 1.

Acto. 2.

Vide laudationem Iosephi in eundem Apostol.

1. Cor. 1.

Luc. 10.
Iohan. 15.Matth. 5.
Luc. 6.
Matth. 19.Matth. 10.
Marc. 3.
Luc. 6.

puè Galilæi, sicut duo Angeli post Christum in cœlos assumptum illos ita compellant: *Viri Galilæi. Et ciues Hierosolymitani clarè pronuntiant, Nonne ecce, omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Veterum certè scriptorum nullus est, qui de nobilitate Bartholomæi faciat mentionem, sed apud Metaphrasten legimus, illum priùs idiotam, vitâ pauperem & piscatorem extitisse. Ego verò Christum idcirco laudabo, quòd pro singulari sapientia sua cùm alios, tùm hūc discipulum, licet mundo contemptum, & nihil magnificè præ se ferentem elegerit, si biq̃ue gratum esse monstrauerit, nos pulchrè commonefaciens, vt sciamus, rem Christianam & Ecclesiæ originem non ex mundi præsidijs atque commodis, sed à nutu diuino pendere. Vt enim apertè Paulus prædicat, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi & cōtempnibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret.* Tantò que magis Christo gratias agam, qui sicuti matrem sibi pauperem elegerit, ac voluntariam ipse paupertatem per omnem vitam amplexus est: ita etiam pauperes discipulos, viles piscatores, despectosque Galilæos sibi peculiariter adsciuit, & ad summam Apostolorū dignitatē euexit, ac eosdem præterea è paruulis supra Prophetas & philosophos omnes sapientissimos, & in orbe toto præstantissimos fecit: *Beati, inquit, oculi qui vident quæ vos videtis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos: vt eatis & fructum afferatis: & fructus vester maneat.* Proinde pauperes & mendicos libèter honorabo, quòd Christi & Apostolorū sint fratres atque sodales, quos etiam Euangelium beatos appellat, sicut vicissim diuitibus maledicit, & agrè illos saluari posse confirmat.

PECULIARITER verò huic Bartholomæo gratulabor, quòd nō solùm præter meritum à Christo discipulus adsciscatur, ac sancto Apostolorum collegio clementer aggregetur, sed etiam huic arduæ & laboriosæ vocationi non grauatim respondeat, oblata gratiæ cooperator strenuus, ita vt relictis omnibus expeditè talem sequatur magistrum, seq̃;

perlibenter in illius tradat disciplinam. Fuit enim non minimus ex illis, qui Christo Domino fideliter adhæserunt, & ob suam patientiam atque constantiam illud audire meruerunt: *Vos estis qui permanistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Utinam verò indigno mihi contingat huius tanti Apostoli vestigijs inhærescere, vt aliqua saltem ex parte humilem eius paupertatem, purū cælibatum, rerumq; mundi contemptum addiscam, vtq; propter Christum terrena cuncta vti stercora deputem, ac Evangelio Christi dignè conuerfer. Quàm sapienter, quàm fortiter suam ille vocationē ornauit, qui Christi gloriæ & bono publico Ecclesiæ cuncta postposuit; maximè quando demandatam sibi prouinciam apud Indos, obiuit; de citeriore autem India loquimur, vbi ille Spiritu sancto plenus, diligēter semen Euāgelicum sparsit. Quod enim Indorum Apostolus delectus ac missus fuerit, post Dionysium Areopagitam etiam Origenes, Eusebius ac Hieronymus notant. Idem deinde profectus est in maiorem Armeniam, quem scribit & Chrysostomus, apud Licaonios in verbo Domini laborasse, illosq; ad temperantiā instituisse. Tum apud Metaphrasten reperimus, quod vnā cum Philippo Apostolo Hieropoli docuerit: qui præterea Polemiū regem atq; duodecim ciuitates ad Christianam fidē præclare conuerterit. O' industrium in Christi vinea excolenda operarium, indefessumq; doctorem, qui non solum verbis, sed etiā mirificis operibus ac stupendis miraculis Euangelium egregiè comprobauit. Non sat illi fuit simulacra & idola Gentium demoliri, sed etiam ex hominum corporibus ac mentibus tectos dæmones passim eiecit, ac perditos, vt oues electas Christo lucrifecit. Non enim ad destructionē, vt Paulus loquitur, sed ad ædificationem functus est Apostolica sua potestate, vt etiam immundis spiritibus terribilis foret, ac re ipsa præstaret quod Christus promiserat, potestātē Apostolis cōferens curādi quemlibet morbum, adeoq; spiritus immundos eijciendi.

AN verò me non pudeat, quòd rariùs ac frigidè potiùs, quàm ardēter & seriò in oratione sancta verfer: Laudem san-

Luc. 22.

Philipp. 2.
& 1.
Eph. 4.De mystica
theol.
In Genesin.
De viris il-
lustris.

2. Cor. 13.

Matth. 10.
Luc. 9.

Pſalm. 118.

Luc. 18.

promeretur Pſaltes regius, qui negotijs publicis occupatus, tantam Diuini cultus habuit curam, vt bona conſcientia diceret, *Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitia tua.* Verùm Bartholomæus vt à Diuino cultu nullam ferè ſibi requiem permittat, centies interdium, & toties nocte flexis genibus Deum oraffe commemoratur. Tam illi frequens ac familiare fuit, cum ſummo Deo ſanctè colloqui, & orãdi ſtudium renouare, iuxta illud mandatum Domini, *Oportet ſemper orare, & non deficere.* In delicijs habuit ſacrum Matthæi Euãgelium, quod ſecum ferebat, & pro concione tractabat, immò & ſcriptum Indis reliquiſſe dicitur, vt certam de Chriſti myſterijs cognitionẽ Fideles haberent, & iuxta Euangelium in ſua quifque vocatione honeſtè piẽq; viueret. Vtinam verò mihi laus eã competat, quæ nobili ſponſæ Chriſti Cæciliæ tribuitur, quandoquidem Chriſti Euangelium ſemper gerebat in peſtore, & non diebus neq; noctibus à colloquijs diuinis & oratione pia ceſſabat.

Rom. 13.

1. Corin. 1.

OBSERVAO in ſuper tanto Apoſtolo dignam conſtantiam, qui grauiam pro Chriſto certamina perferre nõ detreſtauit, multos quidẽ labores, variasq; calamitates perpeſſus, vt velut aurum in igne probatum, coram Deo ſplendeſceret, ſuamq; erga hoſtes charitatem, quæ legis eſt plenitudo, cum inuicta patientia coniunctum omnibus declararet. Per moleſtos habuit malorum omnium incentores dẽmones, horumq; miniſtros & ſatellites primarios ſacerdotes impios, in hoc planè conſpirãtes, vt ſuos veteres ac idololãtricos ritus mordicus tuerentur, ſimulq; orientis Euangelij lucem, quacunq; ratione poſſent, extinguerent. Hinc Bartholomæo inuidiam conſtant maximam, præſertim apud Aſtyagem regis Polemij fratrem, & crudelem eius animum in odium ac necem Apoſtoli vehementer inflammant. Tam verè dixit Apoſtulus, *Verbum Crucis* (ſincerè à Bartholomæo prædicatum) *percutibus ſtultitia eſt: ys autem qui ſalui ſunt, Dei virtus eſt.* Ac iterum; *Quia in Dei ſapientia nõ cognouit mundus per ſapientiam Deum; placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere Credentes.*

Cæterum

Cæterum cur ego me ad crucem siue præientem, siue imminentem non rectius comparo, vt huius Apostoli exemplo adspiciam *in autorem Fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta?* An ad me quoq; nõ pertinet illa sententia? *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigèris dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat.* De nullo quidem Apostolo nisi de hoc Bartholomæo legimus, quod Ambrosiana confirmat præfatio, viuo illi cutem esse detractam, & quod excoriatas ab impijs animam exhalarit. Addunt & nonnulli, quod eidem præciderint caput, simulq; corpus cruci affixerint, illo quidem si bi plurimum hinc gratulâte. Tam nobili martyrio vitam, doctrinam, mortemq; iuam Bartholomæus honorificauit, & insignem suum Apostolatam sparsa sanguine absoluit Albani, quæ maioris Armeniæ vrbs est. Ita demum ille bonum certamen, & legitimum consummauit cursum, fidemq; seruauit integram, vt propositam iustitiæ coronam lætantibus Angelis adipisceretur. Beati sanè, qui cum Bartholomæo calicem Domini bibunt, & pro iustitia ad sanguinem vsque decertant fortiter, vt suum eximium in Christum amorem perfectè testentur. Hoc modò ille me quoque admonet, sine pudore & aperta fronte coram hominibus Christum Dominum confiteri, animamq; meam in hac vita perdere, vt in æternum illa seruetur. Videatur mundo mors huius atrox & funesta, sed quæ in conspectu Domini verè fuit pretiosa, & odoriferum Christo sacrificium præbuit, sanctæq; fidei testimonium tribuit perpetuò in Ecclesia celebrandum. Quarè non ego delicatum & mollem, sed strenuum & inuictum athletam, adeoq; si opus erit, & fauerit Deus, martyre Christo exhibebo, sciens non temerè scriptum esse. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Pauca duntaxat ex Metaphraste subiungam, qui Iosephum quendam in huius Apostoli laudem inter alia sic differentem inducit: *Salue Bartholomæe, potentis verbi sagitta acutissima, qui iure hostium corda vulnerasti, dæmonū*

Hebr. 12.

Eod. cap.
Prou. 3.

2. Timoth. 4.

Matth. 10.
Iohan. 12.

Eccl. 4.

per aërem vagantium turmas percussisti, & mortalium animas vitio vulneratas sanas effecisti. Salve Bartholomæe, qui idolorum templa solo adæquasti, & homines ipsos viuentis Dei templa reddidisti. Tuis igitur precibus nobis Deū ipsum propitium facias, qui que diem tuum festum recolimus, nobis omnibus delictorum veniam & cœlestis gaudij participationem tuis orationibus impetres.]



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, ut cum Politicum, tum Ecclesiasticum Magistratum ab exitiali peste ambitionis vindicare, atq; ad Christianam humilitatem reuocare, omnesq; de honoribus contentiones magnatibus auferre dignetur.

PETAM insuper augeri gratiam Ecclesiasticis hominibus, maximè qui grandiore dignitate pollent, ut sine omni offensione viuentes, ministerium suū fideliter impleant, utq; in illis resplendet spiritus Apostolicæ confessionis, veraq; charitatis ac patientiæ, quemadmodum in Bartholomæo miris modis floruit ac eluxit.

Matth. 5. SED & afflictoſ Catholicoſ diuina gratia commendabo, qui religionis ergò durè tyrannicèq; tractantur, ut illi Apostolorum exemplo suam quoq; crucem patienter ferant, seq; in Domino conſolentur. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Matth. 11. ORABO præterea eam mihi gratiam à Deo præſtari, per quã omnis superbia & arrogantia vitium depellam, (nullum enim est homini magis inſitum ac peſtilentius;) meq; in ſancta humilitate ac ſubmiſſione, ſicut Chriſtus docuit, contineri & exerceri precabor.



IN DIE FESTO
NATIVITATIS SACRO-
SANCTÆ MARIAE
VIRGINIS.

Euangelium Matthæi 1.

LIBER generationis IESU Christi filij David, filij
Abraham, &c. Reliqua vide superius in Festo
Conceptionis eiusdem beatissime Virginis, sicut
& ARGUMENTVM istius Euangelij.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Liber generationis IESU CHRISTI, filij
David, filij Abraham.*



ET SI de hoc Euangelio alibi multa mihi cogitan-
da notavi, tamen haud fuerit abs re, quædam hîc
etiã ad illud magis illustrandum, & rectius medi-
tandum adiungere, præcipuè obdignitatem & re-
uerentiam Dominicæ generationis siue natiuitatis. Etenim

Vide Festũ
concep.
Virg.

hoc mysterium ego permagni faciam, & singulari religione complectar, quod inter omnia dona Dei, quæ mortalibus vnquam collata sunt, est longè maximum & antiquissimum, in Lege quidè & ante Legem Moyfi sæpiùs repetitum, multisq; imaginibus, vocibus & vaticinijs adumbratum, serò tandem impletum, sed semper creditum, & ab illis cum primis expectatum, qui Mariæ & Christi progenitores in hoc Euangelio recensentur. Siquidem vt supputationem temporum secundùm Septuaginta duos interpretes cum Ecclesia Catholica sequar, annus erat à creatione mundi quinquies millesimus, centesimus nonagesimus nonus ad Virgineum vsq; partum, in quo placuit Deo suum seruare promissum, vt per illum homo perditus restitueretur, & nouus Adam veteri succederet, caputq; serpentis antiqui, qui hominem ac mundum suo subiecerat imperio, beato semine mulieris contereretur. Annus itidem erat à natiuitate Abrahæ Patriarchæ bismillesimus decimus quintus ad Christum vsq; natum, per quem vt verū Abrahæ semen, gentes omnes terræ benedicuntur. Annus in super agebatur ab vnctione Dauid in regem millesimus trigesimus secundus ad hunc vsq; promissum Sanctum sanctorum, qui factus est ex semine Dauid secundùm carnē Apostolo teste, quiq; cum esset æternus Deus, ac æterni Patris filius, mundum aduentu suo pijsimo consecrauit. Huius est proprium id efficere quod Gabriel nuntiat Danieli, nimirum vt deleat iniquitatem, & finē imponat peccato, adducat iustitiam sempiternam, sed & promissa & vaticinicia impleat Prophetarū. Proinde quod Christiana requirit gratitudo, præstare contendam in summa summi Dei bonitate sapientiãq; celebranda, qui circa hoc ipsum mysterium homini propalandum inde ab orbe condito tam sedulò versatus est, ac eandem de futuro Messia promissionem toties cõfirmavit, nec minùs per Sibyllas Ethnicis, quàm per Prophetas Iudæis subinde repetiuit, gentem & familiam certam sibi deligens, ex qua Virgo Maria eiusque Filius per successiones septuaginta septem legitimè tandem nascerentur. Hoc est, quod Isaias Propheta verbis illis

Vide Hieron de Hebraicis quæsit. in Genes. & Iulian. Toleran. Luc. 15. 1. Cor. 19. Genes. 3.

Genes. 12. & 22. Galat. 3.

Daniel. 9. Roman. 1.

Daniel. 9.

clarissimè nobis pronuntiauit, *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius EMMANUEL, quod est interpretatū Nobiscum Deus.* Ac rursus ille promisit, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quæ verba Leo magnus doctè hoc modo explicat: In qua virga, inquit, non dubiè beata Virgo prædicta est, quæ de Iesse & David stirpe progenita, & Spiritu sancto fœcundata, nouū florem carnis humanæ, vtero quidem materno, sed partu est enixa virgineo. Exultent ergo in laudem Dei corda credentium, & mirabilia eius confiteantur filij hominum; quoniam in hoc præcipuè Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimârit. Qui cùm origini humanæ multum dederit, quòd nos ad imaginem suam fecit: reparationi nostræ longè amplius tribuit, cū serui formæ ipse se Dominus coaptauit.]

C A E T E R V M in hoc priscorum Patrum catalogo, quorum series ad Mariam, vtpote Iosepho contribulem coniugem, & per Mariam ad Christum vsq; deducitur, ego valde mirabor haud vulgarem eorundem patrum patientiam, qui multis quidem sæculis suum Messiam expectarunt, atq; in expectando molestiæ ac fastidij plurimùm persenserunt, ardentibus sanè desiderijs longisque suspirijs æstuantes, quem admodum illorum frequentes preces & vota perpetua demonstrarunt. Ad hos enim illæ voces pertinent: *a Salutare tuū expectabo Domine. b Obsecro Domine mitte quem missurus es. c Ostende misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. d Emitte agnum Domine dominatorem terra. Rorate celi desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Utinam disrumperes cælos: & descenderes.* Eandem verò fidem ac fideliem expectationem in illis etiam videre licet, quos Christus illo dicto comprehendit, *Dico vobis, quòd multi Propheta & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Loquitur autem in vniuersum de antiquis Patriarchis, Prophetis, Iudicibus, Regibus, Sacerdotibus, alijsq; fidelium ordinibus, quibus futuro Messia nihil erat charius atque gratiosius, quòd scirent omnes, sine illo propitiatore nullā cum Deo pacem, sine illo Redemptore, nullam integram libertatem, sine

Ifai. 7.
Matth. 1.
Ifai. 11.

Serm. 4. in
natiuit.
Dom.

a Genes. 48.
b Exod. 4.
c Psal. 84.
d Ifai. 16.
45. & 64.

Luc. 10.

Isai. 1.

Iohan. 8.
& 15.

Prou. 13.

Luc. 2.

Luc. 1.

Homil. 4.
super Mis-
sus est.

Luc. 1.

Isai. 8.

Apocal. 21.

Matth. 7.

illo pastore atque duce nullam cōsolationem solidam obtingere posse populo Dei. Ad hoc enim electum semen illa Isaiæ pertinet sententia, *Nisi dominus exercituum reliquisset nobis semē, quasi Sodoma fuissēmus, & quasi Gomorra ha similes essemus.* Adeo verū est quod Christus quoq; liquidò tradit, *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Sine me nihil potestis facere.* Præterea mihi persuasum habebō, per omnes mundi ætates, quibus Messias à Fidelibus expectatus est, ingentem ac perpetuū fuisse luctum eorundem expectantium. *Spes enim qua differtur, affligit animam,* teste Salomone. Nec dubium, quin illi suum luctum & animi dolorem frequenti gemitu ac singultu testati sint, longas quidem preces cum amaris lacrymis coniungentes, quandoquidem toti pendebant ex illo promisso & semper exoptato Emmanuele. Erant igitur, sicut de Simeone iusto legimus, expectantes cōsolationem Israël, ac ardentè orabant, vt Deus Israël visitaret ac redimeret plebem suam, cornūq; salutis erigeret in domo Dauid pueri sui, sicut per sanctorum Prophetarum ora toties fuerat prælocutus. Neq; dubitabo verum esse quod Bernardus affirmat, beatam Virginem antequam ab Angelo in Nazareth salutaretur, ad cuiusdē Messiaē aduentum seriò & ardentè aspirasse, vt eum flagrantè affectu quæreret, & diebus ac noctibus orando etiam suspiraret. Vt sanè minùs admirandum sit, quòd eadem Virgo Gabrielelem Angelum audiens, nō modò illi mysterium promittenti crediderit, sed etiam singulari quodam desiderio incensa, responderit hoc pacto: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundū verbum tuum.* Nec temerè quidam notarunt, quòd veteris Synagoge patres magno semper in pretio habuerint, ac summo perè expectarint futuri Messiaē matrem, quam nobilem Prophetissam facit Isaias, & quæ nō potuit non singulare ac pretiosum Dei organum videri, quòd Messias editus tam multa & ingentia bona, sicut Prophetæ significarunt, suo populo impertiret, nouaq; faceret omnia. *Non enim potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere,* vti Christus ipse testatur.

QV AE omnia, sicuti nouam & saluarem verè que augu-
 stam Iesu Christi generationem valde commēdant, quomiam
 de Marię natali agetur postea; ita præcellens mihi bonis q̄; om-
 nibus gaudium ingerent, vt hinc ego tanquam Christū ipsum
 iam natū & præsentem amplectens, in lætam gratiarum actio-
 nem prorumpam, & cum Zacharia Propheta ex animo dicā,
*Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptio-
 nem plebis suæ*, vtq̄; cū iusto illo Simeone in Iesu saluari meo
 exultans decantem, *Viderunt oculi mei Salutare tuum, quod pa-
 rasti ante faciem omnium populorum*. Cur verò non gaudeam
 me ab illo misero populo esse discretum, qui, vt Isaias loqui-
 tur, ambulabat in tenebris, & in regione vmbre mortis habi-
 tabat, nunc verò postquam Oriens nos visitauit ex alto, *pro-
 pior est nostra salus quàm cū credidimus. Nox præcessit, dies autē
 appropinquauit. Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Ie-
 sum Christum facta est*. Erit autem mihi non modicæ consola-
 tionis, quòd veteres Patres suam patientiam atq; constantiam
 in expectando Messia tot annis & sæculis declararūt. Hinc ego
 meam in tentationibus fidem augebo, & in quotidiana cruce
 patientiam studiosius confirmabo, ac simul in orando Deo
 maiorem præstabo fiduciam, nihilq; diffidam illius promissis,
 qui ea quæ vult, & quando, & quomodo vult, facillè præstat ac
 efficaciter, cū in eius manu sint omnia: ipseque fidelis pater
 suis libenter assistat. Vnde Psaltes quoq; canit: *Voluntatem tis
 mentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos fa-
 ciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se*. Eodem spectat
 quod Paulus hortatur: *Nolite amittere confidentiam vestram,
 quæ magnam habet remunerationem. Patientia vobis necessaria
 est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc
 enim modicum aliquantulumq̄, qui venturus est, veniet, & non
 tardabit*. Vbi Apostolus ad illum Prophetæ locum alludit, *Si
 moram fecerit, expectabo illum, quia veniens veniet, & non tar-
 dabit*. Hæc spes quæ nō confundit, mirum in modum eluxit in
 antiquis patribus tamdiu Messiam promissum, eiusq; matrem
 sacram expectantibus, donec tot modis exoptata plenitudo

Luc. i.

Luc. 2.

Isai. 9.

Luc. 1.

Rom. 13.

Iohann. 1.

Psal. 144.

Heb. 10.

Abacuc. 2.

Roman. 5.

tempo-

Isai. 25.

Ecclef. 2.

Ephes. 5.

Exod. 15.

16. & 17.

Num. 11.

14. & 21.

a Sapi. 1.

Iac. 1.

Ibid.

temporis demùm accessit, quo Christus ex Virgine natus, longa & exoptata promissa cõpleuit. Quamobrem dum ego inter spem ac metum suspensus hærebo, & humanis præsi dijs destitutus, omnis consilij inops ero, in Domino Iesu respira- bo, & cum Isaiâ Propheta me ipsum consolans dicam: *Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos iste Dominus, sustinui- mus eum, exultabimus & letabimur in salutare eius. Væ autem his, sicut Sapiens loquitur, qui perdid- erunt sustentiam, & dereliquerunt vias rectas. Væ filiis diffidentia: vt eos Paulus appellat, in quos venit ira Dei. Nolite ergo effici participes eorum. Væ demùm & impatientia: mea, quòd voluntati Diuinæ aliquando repugnans, ægrè ac molestè feram ea, quæ ad corporis animiq; commodum desidero, mihi vel prorsus negari, vel tardè cõcedi. Ex hac verò impatientia subinde murmur occultum nascitur, ac Deum vehementer offendit, quemadmodum ingenti malo suo frequenter experti sunt increduli ac ingrati Israëlitæ. Vnde verbum Dei nos admonet: *a Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detracti- one parasite lingua. Ac iterum: Patientes estote & vos, & cõfirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit. Ac rursus, Patientes estote fratres vsq; ad aduentum Domini.**



DE FESTO MARIAE NATALITIO
LAETE AC SOLLEMNI
ser celebrando.

DE festi præsentis historia, quicquid Nonateres tandem geriant, ego veterum scriptorum fidem mihi sectandam proponam, sicuti sunt Epiphanius, Proclus, Ioannes Damascenus, Andreas Cretentis, Nicephorus Callistus, Idelphonsus, ac alij verè Catholici, qui multa & præclara de hac ipsa historia nobis memoria: pro- dederunt. Illud certissimè constat, Ecclesiam Græcanicam non

minùs

minùs quàm Latinam has ferias non sine ingenti ac solemnì gaudio iampridem celebrasse, atq; in illis publicè multis sæculis decantasse; Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium annuntiauit vnìuerso mundo. Ac rursus: Cum iucunditate natiuitatem beatæ Mariæ celebremus, vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum. Quod vetus, receptum ac sanctum Ecclesiæ institutum nemo certè, nisi sit censor inuidus ac insulsus, meritò insectabitur: quin prudens omnis vltro fatebitur, Mariæ benedictæ matris conditionem non minorem ac viliorem sed longè potiorem quàm serui reputandum esse, vt idcirco quod Iohanni Baptistæ eiusq; natali magno fidelium consensu tribuitur, id sacrosanctæ Deiparæ, eiusq; natiuitati nō possit, nec debeat denegari. De Iohanne illo fatentur omnes, quod sanctificatus in matris utero exultarit, quod quæ in eius natiuitate, secundum Angelicum vaticinium, complures gauisi fuerint, ac etiamnum gaudeant filij Dei. Ego Mariæ natalem non minore laude dignum existimabo, nihil dubitans, eum à Deo benedictum, & à peccato purum verèq; sanctificatum esse, quem iure omnes cum laude & gaudio ad Christi gloriàm celebrent, ita vt cum ipso Virginis progenitore Dauid in spiritu exultent, ac alacriter profiteantur, *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* Quæ mirabilia, rogas? Miraculum est sanè, Mariæ parentes Ioachim & Annam, ad cōsenes & tam diu infœcūdōs, clemēter à Deo respici, atq; in rebus desperatis tam fœlici prole donari, quemadmodū illi multis & ardentibus susis ad Deum precibus expetiuerant. Etenim quæ gratia Isaac, Samsoni, Samueli & Baptistæ peculiariter obtigit, Mariæ quoq; communicata est, vt sterilibus è parentibus mirabiliter nasceretur, Angelo sancto eiusmodi ortū prænuntiante, ac Deo præpotente suam illi dexteram, cui nihil est difficile, fortiter porrigente. Miraculum est, hanc Mariæ natiuitatem nihil peccati ac natiuæ labis admistū habere: sed puram & sanctam Virginem in lucem prodire, quoniam Spiritū sanctum tanquā in nitidissimo domicilio suo semper habuit inhabitantem, vt idcirco nec iræ filia, neq; sub maledicto &

Luc. 1.

Psal. 97.

Genes. 21.
Iudic. 13.
1. Reg. 1.
Luc. 1.

Psal. 45.

Serm. de
excellentijs
& sanctit.
Iohan.

Epist. 174

Lib. de vir-
ginitate S.
Mariæ.

Iob. 3.

potestate Satanæ natam illam esse credamus, quæ puritatis omnis autorem in lucem edidit, ac singulari mentis corporisque puritate cunctis electis inde ab initio antecelluit. In illa quippe completa videmus Scripturæ testimonia: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius; non commouebitur. adiuuabit eam Deus mane deluculo.* Qua de re alibi plura dicta sunt, quæ repetere non attinet. Bernardus cum de Ieremia Propheta, & Iohanne Baptista in materno utero sanctificatis posuisset exempla, hoc prudenter adiunxit: Quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit, utpote sanctuariū illud, in quo Deus & Dei filius carnem fuerat suscepturus.] Sed & aperte scribit, Mariam sanctam fuisse priusquam natam, ac de hodierno festo hanc profert sententiam; Non fallitur omninò sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Natiuitatis eius diem, & omni anno cū exultatione vniuersæ terræ votiuā celebritate suscipiens.] Tum Idelphonsus qui Bernardo est antiquior, hac ratiocinatione utitur: Sancta Virgo nisi in utero matris sanctificata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset: nunc autem quia autoritate totius Ecclesiæ celebratur, constat illam ab omni originali peccato immunem esse.

SED & illud haud vulgari miraculo meretur adscribi, Mariæ Natiuitatem contra communem nascentium hominū consuetudinem, qui à tristitia & lacrymis vitam hanc miseram & lacrymabilem auspiciantur, lætam dici ab Ecclesia, adeoque vniuerso mūdo, id est, veteris nouiq; Testamēti fidelibus, peculiare gaudium annuntiare. Maledicat ergo Iob diei suo natalitio, qui eum peccato pollutum, ac iræ diuinæ obnoxium filium orbi procreauit. Longè rectius ac felicius cum hac Virgine actum est, quæ causam nullam habuit natalitio suo maledicendi, sed potius congratulandi. quòd illa à prima & cōmuni maledictione mortalium immunis, multum veri gaudij cumulatum adferret, ac plurimis impartiret. Primū enim certò mecum statuam, sanctos in cœlis Angelos & Archang-

gelos

gelos, ob gratiosum ortū huius Virginis insigniter exultasse, cum nō essent ignari, sed conscij multorum mysteriorum, quę summus Deus per hanc incomparabilem Virginem tum in orbe mortalibus exhibere, tum in cœlis nō paucis ostendere decreuerat, præsertim vt per illam, eius q̄; præpotentem filium Angelicę ruinę restaurarentur, ipsaq̄; veluti Regina, sicut à Propheta vocatur, super omnes Angelorum choros augustissima exaltaretur. Deinde notabo sedētes in limbo lugentesq̄; patres, iam pridem in sui Redemptoris ardenti expectatione defixos, quibus velut peculiaribus amicis Dei bonitas siue per se, siue per suos nuntios proculdubio reuelauit, exoptatā cunctis Matrem Emmanuelis, quasi aut coram consurgētem, veramq̄; maris ac lucidam stellam, æterni solis aduentantis indicem, nunc demum in terris oriri. Hoc autem accepto nuntio, quid illis acceptius ac lætius videri poterat, quos veræ ac æternæ lucis aduentus tantoperè sollicitabat, & qui compleri cupiebant illud vaticinium Balaam, *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël.*

AD HÆC sanctis, valdèq̄; laudatis Marię parentibus Ioachim & Annę hic ipse dies, omninò felix illuxit, ac incredibilis lætitię causam præbuit, quòd clarè cernerent, odiosa lōgęq̄; sterilitatis notam sibi turpem abstergi, ac re ipsa compleri, quod Angelus illis antea prænuntiabat, vt coniugij sui fructum haberēt in filia nobili, quę toti familię, ac Ecclesię vniuersę mirificam cōsolationem ac gloriam ingentem exhiberet. Præterea quis neget, electos quosdam Israëlitas cum primis tunc esse lætatos, Deo, vt est probabile, illorum animos peculiariter illustrante, vt aliqua ex parte leirent optatū adesse tempus, quo sacra & vetusta complerētur mysteria de ^a rubo Moyli, ^b de matre Salomonis, ^c de porta aurea, de ^d virga è stirpe Iesse proditura, de virgine paritura, ac demum de matre Messię illud semen allatura, in quo Israël exaltaretur, & gentes omnes mirabiliter benedicerēt. Lætantur demum Euāgelicę gratię amatores, ac fidelium ordines omnes Christianum nomē profitentes, nec sibi tantum, sed etiam orbi iustif-

Psal. 44.

Num. 24.

^a Exod. 3.
^b 3 Reg. 2.
^c Ezech. 44.
^d Isai. 11.
 & 7.

Genes. 3.

Matth. I.
Luc. 3.In Euang.
de sanctis-
sima Deip.
Lib. 4. de fi-
de ortho-
dox.

simè gratulantur de hoc primo quasi festo noui Testamenti, de què salutaris initio restituendæ salutis humanæ. Vident quippe diuinitus instructi, illam demum esse natam in Israël, quæ in paradiso promissa, & ex regali progenie orta, nec minùs inter mulieres omnes benedicta, totq; sæculis expectata, nouam ac felicem Euam orbi præstaret perditò, ipsumq; vitæ & salutis nostræ fontem & authorem vnicum certissimè paritura esset. Vnde quilibet Christum amat, quo nihil nobis debet esse antiquius, multis de causis gaudenti huic Virgini, eiusq; amicis collætantibus iure gratulantur. Hæc enim ipsa est mulierum omnium laudatissima, quam Pater cœlestis æterno definito què cõsilio in dilectam filij sui matrem elegit, & ad opus hoc longè præstâtissimum, quod nulli aliquando communicatum est, maximè idoneam atq; ornatissimam fecit, in qua demum omnes veræ perfectæ què nobilitatis species debebant cõcurrere, quæ splendorem illustrissimi generis Christo Domino conciliarent. Vnde Maria sic à duobus depingitur Euangelistis, vt ortum suum trahat à clarissimis Patriarchis, amplissimis Regibus, celeberrimis atavis & proavis, his què suis maioribus omnibus illa virtutum præluceat insigni decore. Ex hac ipsa, velut proxima propagine, Christus accepit (partus enim sequitur matrem) quod in sacris literis ille prædicatur secundus Adam, semen Abrahæ, leo de tribu Iuda, filius Dauid, rex Israël, radix Iesse, Propheta magnus, lapis abscissus sine manibus, dominus legis & princeps pacis. Enimuerò per hæc virginem conceptus ac natus, non solùm hominis filius esse cœpit, sed etiam se verum Abrahæ semen, & legitimum filium Dauid, immò & regem regum ac dominum dominantium, cui in cœlo & terra potestas omnis est tradita, declarauit, ac Legis velut finis ac scopus, præcedentibus figuris ac vaticinijs complendis abundè satisfecit. Quòd si Maria sui & omnium creatoris ac redemptoris parens facta est, vt nullus piorum dubitare potest, planissimè consequitur, eam ipsam quoq; creaturæ omnium dominam ac matrem esse factam, quemadmodum Athanasius & Damascenus optimè ratiocinantur. Qua-

propter

propter si magnus pater Abraham, cum Isaac filius nasceretur, aperta lætitiæ signa edidit, si rex etiam Herodes ob diem natalem suum alios gaudij sui particeps fecit, si tot sæculis festum hoc Ecclesia lætissimè celebravit: cur & ego cum Angelis & hominibus hodie gaudētibus nō gaudeam? cur peculiare Deo summo non agam gratias, inde ab initio promissam & à plurimis fidelibus exoptatam Virginem, nobisque necessariam parentem in orbem prodire, ex qua demum verus ille Noë procreatur, de quo pater eius Lamech Christum Mariæ filium respiciens ita prædixit: *Iste nos consolabitur ab operibus ac laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus. Hæc dies boni nuntij*, ut quidam aiebant, cum in Syrorum hostium spolia fortuito incidissent, suumq; gaudium alijs etiam communicare statuissent. *Nemo natus est in terra qualis Henoch*, inquit Ecclesiasticus. Quanto autem rectius nos vno ore dixerimus: *Nemo mortalium ante Christum, qualis Maria Ioachimi filia, & Nazarena Virgo in terram nascendo peruenit, ac iustiorum gaudendi causam mortalibus præbuit?*

Genes. 21.
Marc. 6.

Genes. 5.

4. Reg. 7.

Eccl. 49.



QVIBVS DE REBVS PRAESENS
FESTVM NOS MONEAT.

NON mihi satis erit de Mariæ Virginis natali præclare sentire, ac hodierno die sanctè lætari, sicut iam est indicatum: sed & natæ huius Virginis occasione discam ac meditabor, quæ ad veram ac laudabilem hominis pertinent nobilitatem. Etsi enim Maria præ cæteris suis clarissimos & præstâtissimos maiores ac progenitores iactare potuisset, cum nihil illius genere ac stirpe illustrius esse videretur; tamen eo nomine se illa nunquam extulit, aut sibi placuit, non apud quenquã est gloriata, aut vlli vel abiectissimæ sortis homuncioni aliquãdo se prætulit, sed cum pauperrimis & obscurissimis potius, quàm cum ditioribus ac potētioribus, qui

Luc. 2.

In oratione
Manass.
Daniel. 3.
Tobi. 6.

1. Reg. 25.

Psal. 117.

1. Cor. 1.

dignitate & autoritate valere solent, vitam communem ac familiarem duxit, immò & cum paupere IESV pauperrima esse gauisa est, quã præsepe Bethlehemiticum experiretur, & duos pullos columbarum offerret. Ea quippe laudanda & admiranda in terris est nobilitas, quæ licet generis claritate ac splendore nõ careat, tamen in Dei timore ac amore fundata, fortunæ contemnit ludibria, vanaq; mundi blandimenta nihili ducit, sed & magnarum virtutum præsidijs insignitur, & cum primis generosi animi constãti fortitudine præclaris quæ facinoribus declaratur. Cuiusmodi laudabilis, Deoque grata nobilitas in illustrissimis Patriarchis, ijsq; totius gentis Istraëliticæ lectissimis primoribus atque principibus Ahraham, Isaac & Iacob insigniter floruit, quãdo quidem eximia cõfecerunt, quos & Deo nõ peccasse, sed apprimè iustos fuisse legimus. Agam igitur summo Deo gratias de illis omnibus, qui exemplo Mariae verã nobilitatem cum sancta humilitate omnibus Ecclesiæ sæculis coniunxerunt, & hanc raram inclytamq; virtutem, perinde ac pretiosum ornamentum, sine fastu conferuarunt, vt suã vocationem cohonestarent. Adhæc mihi & amicis precabor, vt etiamsi pauperes, obscuro ac ignobile vulgo esse videamur, tamen singulari nobilitatis gratia nõ careamus, per quã nempe in solo creatore gloriãtes, ac humanum splendorem omnem pro inani fumo & vmbra ducentes, excelso animo despiciamus opulentiam, voluptatem, famã, formam, robur, & quidquid honorificum & magnificum videri potest; vtque nostris ærumnis angustijsq; cõtenti, propter Deum lætè sustineamus aduersa, nullaq; difficilia metuamus. Ex hisce nobilibus, erat inclytus ille rex, qui prælia Domini præliabatur, & superatis hostibus benefactorum omnium laudem soli Deo victoriæ omnis authori attribuebat, & idcirco inter alia lætissimè decantabat, *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.* Tum qui nobilissimus corã Deo erat Paulus Apostolus, vt celebra-

tam vul-

tam vulgo nobilitatem restringeret, significanter dixit: *Quæ frustra sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Proinde arrogatē mundi spiritum, & fallax hominum iudicium seponam, paruique ducā secularem illā & inanem nobilitatem, quæ in Ethnicis ac improbis Christianis sæpè comperitur, pluresq; tumidos quàm humiles facit, & vulgo quidē hominum vehementer imponit. Illos verò sincerè nobiles & & inuictos heroēs constituam, qui tamen si mundo ignobiles ac despicabiles videantur, tamen instar Apostolorum ac Martyrum beatorum, Christi spiritu & panoplia Euangelica sic instructi sunt, ut irrefrenatos & humanos sibi moderentur affectus, utq; mundi, carnis & Satanæ victores effecti, generosos milites & inuictos athletas Christo se præbeāt, ingenuè illud profitentes: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Melior enim est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium,* sicut Salomon pronuntiat.

1. Cor. 13.

Prou. 16.

SUPEREST ut parentum nostræ Virginis non obliuiscar, quorum pietatem hodie pauci sedulò æmulantur, ut veris virtutibus suum coniugium decenter honorent ac ornēt. Etenim Joachim & Anna sic à veteribus Theologis describuntur, quòd mores inculpatos veraq; iustitiæ cōiugibus dignos attulerint, & iuxta normam diuinæ legis vitā suam instituerint accuratè. Laudatur in his, quòd cultum diuinum amarint, sæpè ac ardentem Deum orauerint, pietatis exemplo multis præluxerint, ac demùm patienter tulerint iniquissima tempora, moresq; tyrannicos regis Herodis, qui tunc crudeliter in Dei populum sæuebat, honestas leges opprimebat, ac libertatem populi immaniter violabat. Commendantur itidem, eò quòd suas facultates piè distribuerint, ut partem vnā templo sancto eiusque ministris alendis impenderent, alterā egenis & peregrinis ex charitate nō ficta largirētur, ac tertiā duntaxat ad suę vitæ & familiæ vsus necessariis frugaliter applicarēt. Qui præ-

terea in sterili coniugio, quod apud Israëlitas probrosum erat, tam se prudenter pieq; gesserunt, vt summum implorare Deū non destiterint, donec prolem annis multis expectatā ac desideratam diuinitus impetrarent. Cū verò illis Maria filia minus diuinum obrigisset, fonti bonorum ingentes egerūt gratias, ac puellam triennem authori suo reuerenter obtulerunt ac dedicarunt, eamq; in templo inde à primis annis religiosè instituendam curarunt, vt pijs votis facerent satis, ac puella eadem optimè educaretur. Qua de re non est opus repetere quę apud Epiphanium, Damascenum, Nicephorum & Cedrenum scripta reperiuntur.

Luc. 1.
 Heb. 13.
 1. Tim. 2.
 Ephes. 6.
 Deuter. 13.
 Iudic. 19.
 1. Reg. 2.

E G O igitur, quantum in me fuerit, nostri sæculi coniuges admonebo, vt eiusmodi officijs & virtutū exercitamentis, quę in Marię ac Iohannis baptistę parētibus reperiūtur, suā quoq; vocationē illustrent, & tria illa quę vocātur Matrimonij bona, fidem, sacramentum & prolem, valde sibi habeant commendata. Ita enim fore pollicebor, vt quemadmodum Paulus loquitur, honorabile sit illorum coniugium, & thorus immaculatus. Præterea dolebo & deslebo, paucis coniugibus illud in votis esse, vt Ioachim & Annę præclara sequantur exempla in prole à Deo petenda, & in sterilitate diuturna longanimiter sustinenda, suoque coniugio verè sanctificādo. Nam & Apostolo testante, *saluabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Vbi non solum in suos filios, verum etiam in Rempub. & in Ecclesiam vniuersam peccant hi parentes, qui à veterum patrum & matrum familiās Christiana pietate magis magisque degenerāt, nihil ferè solliciti de filijs probè instituendis, & sicut Paulus requirit, in disciplina & correptione Domini educandis. Hinc tanta turba filiorum Belial, sicut Scriptura vocat, qui omne iugum ferre detrectant, vt neque parentibus, neq; præceptoribus, neque magistratibus obedientiam debitam præstare dignentur. Etenim ex malis ac putribus arboribus infelices ac pœnitendos fructus gigni necesse est, qui miserandum in modum Ecclesię sanctę hortum vitient atque deprauent.

Si Ioachimi & Annæ, sicut & Zachariæ ac Elisabethæ hodie suppetent, plures profecto Mariæ & Susannæ, Iohannes & Samueles florent, omnesq; fidelium ordines decorarent. Quare mihi ac pijs omnibus crimen videbitur deplorandum, fidâ & sedulam iuniorum educationē, sicut necessarium Ecclesiæ seminarium, à Christianis parentibus tam fœdè negligi, rudesq; puerorum & puellarum animos velut agrum fertilem passim sine cultura iacere, multisq; spinis & noxijs herbis oppleri. Siquidem prima & florens illa ætas, ex qua tam multa pendent in reliquas ætates commoda & incommoda, nō ad virtutem Dei que timorem à parentibus flectitur & formatur, sed ad omnem potius licentiam ac petulantiam excrescere sinitur, vt magis magisq; suā obfirmet duritiem, atq; ab omni virtutis ac pietatis studio fiat aliena. Verissimum est enim, & repetitum à Salomone prouerbium, *Adolescens iuxta viam suam* (positus) *etiam cum semerit, non recedet ab ea.* Monet igitur Sapiens quemuis parentem: *Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps: curua cervicem filij in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne foris induret & non credat tibi, & erit tibi dolor anima.* Habent sanè probi parentes quem in coniugio suo imitentur Tobiam seniolem, vt qui valde fuit sedulus in filio suo ad pietatem ac iustitiam omnem informando. Habent & Christi Domini præceptum: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum.* Feliciter ego natos dixerim, quibus vnâ cum Maria Deo dilecti fidiq; parētes obtingūt, & qui à primis annis diuino cultui applicantur atq; dedicātur, quemadmodum lex vetus suos olim ostendit Nazaræos in Scriptura commendatos, quia Deo diuinoque cultui peculiariter consecrabantur. Grauis est autor Iohannes Damascenus, qui Mariæ patrem Ioachim virum diuinum, & vxorem eius Annam venerandâ appellat, cum ambo precationis fructum, qui alioqui essent steriles, hanc filiâ à Deo impetrarint. Quam beata, inquit, Dominus Dauid, ex qua prodijisti (sic enim Mariam affatur,) & beatus venter, in quo Deus sanctificationis arcam, hoc est, eam à

Prou. 22.

Eccl. 30.

Tob. 4.

Matth. 19.

Num. 6.

Iudic. 13.

& 16.

Amos 2.

Orat. 2. de
Mariæ na-
tiuit.

qua ipse sine semine in lucem editus est, condidit. Verè beata es ac ter beata, quæ beatitudine donatam à Deo infantem, hoc est, nomine quoq; ipso magnoperè venerandam peperisti, ex qua Christus vitæ fons exitit.]

NEC erit intempestiuum, vt hoc loco de Mariæ annis puellaribus cogitem, sicut Ecclesia me admonet, quando in hunc modum canit publicè; Natiuitas est hodie sanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inelyta cunctas illustrat ecclesias. Etsi enim de Virginis huius prima ætate ac educatione nihil scriptum extat enucleatè; tamen est consentaneum, nō vulgarem, sed singularem & excellentem eius puellæ institutionem fuisse, Deo nimirum vitā eius omnē, quā impensissimè diligebat, sapienter ac mirabiliter gubernāte. Nec temerè facit Ecclesia, quòd in Mariæ persona loquens testetur publicè: Cùm essem paruula, placui Altissimo, præ cæteris nempe mortalibus quamlibet piè ac religiosè institutis. Virginum illa princeps fuit & antesignana, vt nulla illi vel præferri possit vel æquari, sicut susiùs alibi demonstramus. Quare & virginem quoq; Saram excelluit, quæ cùm Raguelis esset filia, & sub veteri Lege coleret Deum, suos puellares annos tam probè sanctèq; transigit, vt bona conscientia Deo testaretur, *Mandam seruauì animā meam ab omni concupiscentia: nunquam cum ludentibus misui me, neq; cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Benedicta illa proculdubio fuit inter mulieres, sancta, vt diximus, priusquā nata, quæ conuenientibus primordijs, ac medijs quæ futuræ matri Dei congruebāt, vitam inculpatam, valdeq; castam instituit, vt etiā Angeli tantæ puritatis assidui testes verè illi affirmare possent: *Tota pulchra es amica Dei, & macula nō est in te.* Proinde nihil ego prorsus addubitabo, eximias Mariæ virtutes cum progressu ætatis magis magisque floruisse, ac mirā suauissimi odoris fragrantia Deo, Angelis, & hominibus præbuisse. Emicabat perpetua illius innocētia, nullis vnquā neuis inquinata: spirabat incredibilis modestia, tantaq; sui submissio, quæ ab omni fastu & elatione semper esset aliena: virebat amor in Deum Dei que cultum mirè fragrans; crescebat con-

Lib. 1 operis
Mariani
c. 12. 13.

Tob. 3.

Cantic. 4.

seruanda

seruandæ virginitatis incensum studium firmumq; decretum seu votum, quod in illa quoque^a Augustinus agnoscit, atque^b Bernardus apertè confirmat. Demùm se in illa magis indies exerebat rara prudētia simul & prudens maturitas, vt decentē & exactum iustitiæ ordinem in omni vita seruaret. An ego dubitem, hãc præ virginibus omnibus electã & dilectam Dei virginem & adolescentulam, omni labe peccati, omniq; motu prauæ concupiscētiæ caruisse, & ad illud præceptum Dei seruandum aspirasse quo: *Sancti estote*, dicitur: *quia ego sanctus sum*? Certè omnis illa spiritus carnisq; colluctatio, quæ in renatis hæret, & iustos etiã vel inuitos affligit atq; commaculat, hanc sanctã virginem nec pupugit vnquã nec polluit, cuius cogitatio, cura & voluntas omnis in lege Domini noctes ac dies versabatur. Incredibile est prorsus, quàm ardēti charitate suũ authorem dilexerit, quàm sedulò innocentia conseruãda & augēda vacarit, quàm perfectè in spiritu & veritate coluerit Deum, fide, spe & charitate cum summo æternoq; bono vsq; coniuncta. Quocirca cum Augustino, vel si mauis, cum vniuersa dicã Ecclesia: Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullã prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuit, ad vincēdum omni ex parte peccatum, que cõcipere ac parere meruit eum, quem cõstat nullum habuisse peccatũ.] Et ne multis agã, satis est nobis hoc modo Ambrosium de Mariæ vita testari: Sit vobis tanquã in imagine descripta virginitas vitaque Mariæ, de qua velut in speculo refulget species, castitas, & forma virtutis. Talis Maria fuit, vt eius vnus vita omnium disciplina sit.] Huic matri viuētium, vt^a Epiphanius loquitur: huic salutiferæ Virgini, sicut^b Leo magnus appellat, cum^c Ruberto fatebor & ego: Tu virtutum operatrix, ac totius sanctæ magistra religionis, qualem nunquam oculus vidit, qualis ab initio, quando Eua facta est, nunquam fuit, nec est nec erit in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suauitatis, in omni flore & fructu honoris & honestatis.]

^a Lib. de sancta virginit. c. 4.
^b In Sermon. Signum magnum.

Leuit. 11.
19. & 21.

Psal. 1.

Lib. de natur. & gratia. c. 36.

Lib. 2. de Virginit. b.

^a Cont. Antidicomarianitas.
^b Sermon. 1. de passio. Dom.
^c Lib. 4. in Cantica.

HIC iam proximum erat, vt vitam meam cum Mariæ vita
 componerem, & veluti tenebras cum luce conferrem. Satis
 autem fuerit, hanc valde disparem collationem in alium reij-
 cere locum, magnoq; dolore ac pudore me totum affici, cum
 rectè mecum expendo, puritatem ac sanctitatem omnem cū
 atatis progressu in me magis imminui, vitiosos autem naturæ
 corruptæ motus & aculeos eum in modum augeri, vt quantò
 diutiùs viuo, tantò longiùs à prima & baptismali vt vocant,
 discedam innocētia, meamq; conscientiam pluribus ac gra-
 uioribus vitijs sentiam onerari. Quid igitur mirum sit, si bonæ
 cōscientiæ testimonio destitutus, mihi multum displiceam, &
 candidā innocentiae vestem conspurcatam ex animo deplorē,
 ac verā in super mei ipsius despicientiam præ me feram? An nō
 merito tundens pectus exclamem: *Peccavi, quid faciam tibi o*
custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum
mihimet ipsi grauis? Iniquitates meae supergressæ sunt caput meum,
& sicut onus graue grauata sunt super me. Quantò autem à sum-
 ma & perpetua Deiparæ Virginis innocentia, iustitia & sancti-
 tate me vitamque meā longiùs abesse comperio, tantò humi-
 liùs ad sacros illius pedes aduoluar, meamq; necessitatē ma-
 ternæ illius clementiæ accuratiùs commendabo, vt cœlestis
 gratiæ munera, quibus egeo vehementer, illius intercessione
 mihi calamitoso impetrentur. Scio etenim, & ipsa confitetur
 Ecclesia, quàm multa & magna beneficia Theophilus, Dama-
 scenus, Idelphonus, Bernardus, Rubertus, præter innumeros
 alios, per illā ipsam peccatorum aduocatā acceperint, quàm-
 que propitiā Dei matrem persæpè senserint, ac alios itidem
 de illa tum amanda, tum honorāda publicè docuerint atque
 prædicarint. Teneamus ergo eam, vt quidam insignis amator
 Virginis loquitur, nec dimittamus, donec benedixerit nobis.
 Potens est enim: nempe vellus est mediū inter rorem & arē,
 mulier inter solem & lunam, Maria inter Christum & Ecclesiā
 constituta. Tria verò peculiariter petam, quæ Regina illa in-
 tercedente & procurante mihi diuinitus concedātur, nimirū
 vt quemadmodum ipsa præ cæteris omnibus insigniter fuit

Iob. 7.

Psal. 37.

Bernard. in
 illud. Apo-
 cal. 12. Si-
 gnū magn.

mansitq;

mansitq; semper Patris æterni obediens filia, & Filij Dei ancilla fidelis, sanctiq; Spiritus humilis discipula: ita ego me illi in his tribus, quæ magni sunt sanè momenti, aliqua ex parte cõformem, rectius quæ indies placeam beatissimæ Trinitati. Sic enim fiet, vt idem Pater me filium obedientem, & Filius fidelem seruum, ac Spiritus etiam sanctus humilem discipulum habeat ac foueat in sanctæ Ecclesiæ schola, quæ sola obedientes, fideles ac humiles Dei seruos, filios, atque discipulos suo sinu concludit ac prouehit.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro longanimitate & patientia sancta seruanda, veterum nempe patrum exemplo, qui Maria ortum & Christi aduentum diu multumq; expectarunt ac desiderarunt.

RVRVSVS petam spirituale quoddam gaudium in Catholicis excitari & augeri, illa in orbem prodeunte, quæ Deus oriri voluit velut auroram solis prenuntiam, certumq; signum tribuit & veteris consummadi, & noui Testamēti in Christo mox cõsecuturi.

ORABO insuper Deum pro coniugibus Christianis, vt statũ suum coniugalem ritè incant & obseruent, superatis omnibus impedimentis: sicut Deipara Virginis parentes Ioachim & Anna, licet diu infecundi degerent, tamen suum coniugium ingenti Ecclesiæ fructu per Mariam filiam decorarunt, & laudem iustitiæ publicam promeruerunt.

PRAETEREA sedulam & piam iuuentutis educationem diuinæ gratiæ commendabo, vt ea non solum parentibus, sed & præceptoribus tantò magis cordi sit, quanto plura & grauiora in-

commoda

commoda ex neglecta puerorum & puellarum educatione passim in Ecclesia consequuntur.

POSTREMO' mihi concedi petam gratiam, vt secundum spiritum regeneratus, noua sanctæq; natiuitatis particeps fiam, ac me omnino renouem in mea uocatione; atq; idcirco Mariâ, ceu uirtutum omnium specimen, religiosius colam & honorem.



MEDITATIONVM NOTÆ
PECVLIARES, FESTIS APPLI-
CANDAË DIEBUS, QUI DE SA-
crosancta Domini Matre toto anno
celebrantur.

Genes. 3.
Apocal. 12.

IN PRIMIS obseruandum simul & deplorandum est mihi studium serpentis antiqui, qui nullum Sanctorum alium, perinde ac mulierem illam sole amictâ hostili odio persequitur, & Marianæ quidem dignitati, quæ plurimum illi hæctenus obfuit, inuidet vehementer, adeoq; cunctis ætatibus Ecclesiæ aperto Marte aduersatur. Eo igitur, vt malorum omnium incentore subornante, tam multi coniurati perduelles agminatim erumpunt, qui si antea vnquam, in hac quidem postrema mundi ætate illud Dei tabernaculum, quod blasphemis linguis à Iohanne impetendū prædicatur, certatim oppugnare & labefactare contendunt. In quo pessimo quidē instituto tantam illi paucis abhinc annis profecerunt, vt post se plurimos errantium greges ducant, eosq; ingenti commodo & spiritali præsidio, quod ex legitimo Deiparæ Virginis cultu percipitur, infelicissimè spoliare pergant. Vbi ego duplicem notabo Satanæ nequissimi tentationem, per quâ in Mariano cultu præstando nunc homines

Apoc. 13.

plurimum præpediuntur. Prior veram & Catholicam fidem attingit, quam complures ministri Satanæ circa eiusmodi cultum infensis animis extinguere & deprauare moluntur: posterior ex illorum pendet negligētia, qui licet de Mariano cultu sanè cum Ecclesia sentiant, tamen in illo ipso exercendo haud parùm frigidi ac incurij esse consueuerunt.

DE priore tentatione, quæ se latè porrigit, meminero, Satanico studio id tandem esse perfectum, proh dolor, vt plurimi ex Catholicis hæretici facti, Marianum cultum omnē vel superuacaneum, vel superstitiosum faciant, planèq; contemnant ac damnent. Proinde nullum illi locum tribuunt stans Deiparæ nostræ Ferijs quamlibet vetustis ac sollempnibus, templa & sacella in eius honorem cōstructa in nullo tenēt pretio, sed & furiosè demoliuntur, & quoniam passim regnant insani iconoclastæ, Mariæ imagines è medio tollunt, omnemq; fidē rebus præclaris & miraculis per illam exhibitis abrogare nituntur. Quidquid enim ad eiusmodi Virginis cultum instituit & obseruauit venerāda vetustas, id illi velut intolerabile, superstitiosum, idololatricum & ab Euangelica puritate alienum reputant, varijsq; ludibrijs ac sannis excipiunt, vt veteris quidē pietatis vestigia plurimis in locis prorsus oblitterata esse videantur. Tantum enim sibi sumunt sectarum principes, ac eorū asseclæ, vt sese sacris Concilijs, & legitimis Pontificibus ac Episcopis superbè antepōnāt, ac simul accusandi, testādi & iudicādi potestatem sibi solis audacter vendicēt, perinde ac si ex ipsorum velut Apostolorum arbitrio Christi Ecclesia & orbis pendeat vniuersus. Ab his errorum magistris lex illa tyrannica, quæ nūc apud principes & magistratus obtinet, deriuata est, vt quod cuiq; ferè libet, id etiā dicere liceat, Sic volo, sic iubeo; sit pro ratione voluntas. Ita quippe deformarūt & distraxerūt Ecclesiam, cuius tamē reformatores videri volūt, vt iam inter sacrum & profanum discrimen pænè nullum à plurimis agnoscat, quādo ne sacrosanctæ quidem & incomparabili virgini, Deiq; nostri matri parcitur, sed illam etiam sordidi homines, & impuræ mulierculæ mira petulantia magis magisque;

despiciunt,

despiciunt, omnemq; eius cultum conuellunt atq; derident. Quid multis? ad Iudaicam ac Ethnicam impietatem hostes Ecclesiae paulatim delabuntur, qui praclaro Euangelicorum nomine gloriantur quidē, sed re ipsa declarāt, se ab omni puritate, modestia & obediētia Euāgelici spiritus maximē alienos esse. Et quoniam ad odium & inuidiam Catholicorum cuncta detorquent, mirum sanē, quantoperē laborent illi in pessimam partem ea quae ad Mariæ cultum facit Ecclesia, interpretari, simulque Sanctorum cultum omnem funditus abolere, quemadmodum in suis quidem synagogis iam pridem non sine publicis motibus ac furoribus aboleuerunt. Quid autem istuc est aliud quæso, quàm Satanæ spiritu ac tentatione seduci? cum Dei Matrem honore suo impiè spoliāt, atq; Christū ipsum in Matre sua persequuntur, vt Spiritui sancto non obscurè contradicant, cuius firmum decretum per ipsam Virginem ita confirmatum habemus. *Beatam me dicent omnes generationes.* Ea enim verè credentiū vetus & perpetua est consuetudo, vt cum Gabriele, Elisabetha, totaq; Ecclesia de Matre Domini sui praclarè sentiant ac loquātur, eiusque cultui sese gratos ac deuotos priuatim publicèq; testentur, quā de cunctis mortalibus optimè meritam esse cognoscunt. Sed religionis nouæ hominibus contra vsuuenire cernimus, vt antiqui serpentis, de cuius nati sunt femine, ingenium referant, Matri viuentium semper infensi, ad eius laudem & hymnos nunquam non surdas tri & nauseabundi, maledicis linguis, aut certè virulentis animis instructi, deq; Mariano cultu non augendo, sed supprimendo & extinguendo vsq; solliciti.

VBI notabo insuper, multis exemplis ac probatis historijs demonstrari, maternum honorem Christo filio inprimis esse curæ, qui Nestorium & alios in Mariam blasphemos seuerè ac horribiliter vindicari. Nec obliuiscar, Orthodoxos sacris literis edoctos probè scire, versipelli Satanæ vera etiam loquēti nequaquam esse credendum, quin potius illi audacter contradici oportere. Hinc enim illę voces nobis proponuntur: *Vade retrò Satana. Obmutescere. Imperet tibi Dominus.* Cur quæso,

Luc. i.

Vide Hist.
Ecclesiast.

Marc. i.

à Deo

à Dei filijs pater mendacij audiatur? qui se non sine fraude maxima in lucis angelum trāsfiguratur, suosq; semper habet operarios, vt Paulus vocat, subdolos & seductores. Hi velut ouilla veste cōtecti, se in Christi Apostolos tunc maximè transformant, cū de abusibus Ecclesiæ, sacroque cultu disputant, in quibus etiamsi vera quædam admisceant, (Iliacos enim intra muros peccatur & extra) tamen illi censores idcirco audiendi non sunt, quòd sicut Christus indicat, ouium sit propriū deuitare lupos, nihilque cum illis habere commercij, si rectè sibi suæque salutis cupiant esse consultum. Proinde vir æquè doctus ac pius Ephræm iam olim ita scripsit: Dæmones clamoribus confitentem veritatem, Dominus iussit obmutescere: neque enim ipse qui erat veritas, operâ ipsorum sibi fidem haberi voluit, sed quæ vera sunt, per veros nuntios promulgauit. Sic Apostoli dæmonem à quo collaudabantur, audire recusarunt, eorumq; laudes vt maxima probra vitauerunt homines sancti: nam & diabolus versipellis audientes veritatis specie decipere solet. Idcirco Dominus ne vera quidem à Dæmonibus audire voluit.

QV ID autem boni quæso de Mariæ cultu in medium adferant, quibus atra, suspecta & impura videtur omnia, quæcunque in hoc cultu vel credimus, vel agimus Catholicis? Noti sunt veteres Collyridiani, aduersus quos iure inuehitur Epiphanius, alijq; plures hæretici, qui cum Heluidianis & Nestorianis in Matrem Domini turpiter impegerunt, ac iustam damnationis sententiam ab Ecclesia reportarunt. His annumerare licet reliquos, qui supra modum ea quæ soli Deo debentur, vt sacrificium, adorationem & patriæ cultum, Deiparæ attribuerunt, contra quos Ionas Aurelianensis pro Catholicis iam pridem hoc modo respondit; Virginem quæ peperit Christum, nō adoramus, sed sanctam Dei Genitricem cōgruo honore veneramus, eiusque intercessionem apud Diuinam maiestatem humiliter flagitamus. Nec immeritò, quippe quoniam per eam authorem vitæ suscipere meruimus, & pro eo quòd eadem sancta & intemerata virgo Maria, quæ vtiq; Deū

Luc. 4.
Actor. 16.
Luc. 1.
Matth. 4.
2. Cor. 11.
2. Tim. 3.

Matth. 7.

De morbo
& vitijs.
Luc. 4.

Actor. 16.

Marc. 1.

Lib. 2. de
cultu ima-
ginum.

Hæres. 39.

Iob 4.
 Genes. 4.
 Exod. 2.
 Deuter. 32.
 Luc. 22.
 Matth. 26.
 & 20.
 Luc. 9.
 Ioan. 20.
 A. G. 6.

Rom. 3.

Prou. 1.
 I. Cor. 11.

& hominem nobis edidit, Dominum videlicet IESVM, à cunctis fidelibus pio colitur amore, & debito veneratur honore.] Epiphanius breuiter dixit: Sit in honore Maria: Dominus adoretur.] Quotquot sanè Catholici sumus, inter Dei adorationem & Mariæ venerationem siue cultum discrimen maximum ponimus, & neq; illam, neq; creaturam vllam tanti facimus, vt nomini ac honori diuino, cui nefas est quidquã detrahere, iniuria vlla irrogetur. Soli enim Deo sua est semper, & constare debet gloria illibata. Aduersarijs interim, qui domesticæ veluti caliginis obliuiscetes, alienos nauos curiosè peruestigant, illud haud grauatim concedimus, in Mariano cultu simplices & imperitos, præsertim malè institutas mulierculas, per superstitionem aliquando delinquere, & amentes delirare. Verùm priuatus quorundam error, sine quo in tanta credentium turba nõ viuunt, pijs rectè sententienbus non debet præiudicare, & propter abusus nescio quorum infirmorũ, grauis culpa in matrem eiusq; filios sapientes inuidiosè transferenda non est. Nulla vnquam religionis cuiusuis professio tam casta extitit, in quã non irrepserit erroris & malitiæ labes. Siquidẽ & Angelos apostatas legimus, & primos fratres paricidas nouimus, Moyses Aegyptium interfecit, ac tandem in fide ipsa dubitans, meruit à terra promissionis excludi. Petrus Malcho auriculam amputauit, suumq; negauit Dominum, cui datam fidem Apostoli omnes fugiendo fregerunt, An non ambitio & vindicandi libido Zebedæi filios occupauit? Christus Thomam arguit incredulitatis, & è septem primis Diacōnis vnus fuit; hæresiarcha. Nihil autem ista collegio derogant Apostolico, neque suam nascenti Ecclesiæ imminunt auctoritatem, sed nos humanæ admonent imbecillitatis.

Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.

AD Catholicos redeo, qui probè sciunt quis dixerit: *Non dimittas legem matris tue*, & quod Paulus tanti faciat Ecclesiæ consuetudinem, vt eam argumenti loco producat. Quarè de matre Domini, vel eius recepto cultu nullũ tuentur aut probant errorem: tamen vt sunt homines, bonis legibus & sacris

instituti-

instituti per ignorantiam aut pigritiam non raro abutuntur. In eo certe cuncti consentiunt, quod feriae Virgini sacrae publice & laudabiliter celebrentur, quod recepta cantica, veterum homiliae, introducti iam pridem ritus, & id genus alia in Mariae honorem quotannis obseruentur. Certo enim sibi persuasum habent, in hoc vniuerso cultu mentem & scopum tum Graecanicam tum Latinam Ecclesiam huc spectare, ut Filius in matre palam honoretur, ipsaque a Christiano populo propter Filium beata praedicetur, omnesque fidelium ordines suae in illam reuerentiae, deuotionis & gratitudinis specimen publicum praebent, suamque simul obedientiam Ecclesiae matri comprobent, ac vicissim eius efficaci apud Deum intercessione adiuuentur. Non dormit interim Satan, velut homo inimicus ad nostram perniciem vehementer intentus, qui bono & salutari tritico diuinitus seminato, sua zizania libenter inspergit, ac enixè procurat, ut in Mariano cultu saepe multumque peccetur. Proinde communem Ecclesiae sortem deplorabo, quae in suis filiis tam multos malos, & bonae quidem frugis ac sincerè pietatis paucos experitur, ut semper Christi dictum obtineat, *Multi vocati, pauci verò electi*. Itaque complures à Catholicis frigidi & inepti quaerunt semper deuia, ut vel dormire, vel ebrii ac ociosi esse videantur, nullumque fructum ex hoc cultu reportent à tam segniter & oscitanter sacra tractant & peragunt omnia. Veruntamen illorum socordia me ad maiorem diligentiam excitabit, sicut & aduersariorum pernicacia mihi calcari subiciet ad pium Mariae cultum augendum atque restitendum, utpote quae hodie plurimi tam indignè negligunt ac proteruè contemnunt, nefarieque pessundant. Si prohibere non possum, quò minus noui doctores, ut ipsorum fert libido, circumlarent ad Christi Mariaeque cultum antiquadum, saltem eos mihi doctores æmulandos adsciscam, qui sunt omni exceptione maiores. Loquor de Athanasio magno, Gregorio Nazianzeno, Iohanne Chrysostomo, Ephraem Basilij Diacono, Cyrillo Alexandrino, Iohanne Damasceno, Bernardo abbate, ut missos faciam alios, de quibus negari non potest, quòd in vita proba-

Matth. 13.

Matth. 20.

tissimi, & eruditione clarissimi, sed & Mariæ venerandæ Virginis deditissimi fuerint, qui per hunc quidem aureum veluti canallem, vel aquæductum cœlestis gratiæ, vberimos riuos biberint, quin etiam in alios salutariter deriuarint. His ego in Virgine saluanda me libenter adiungam, nec ab illorum quidem discedēs vestigijs, quibus institutum sacri, vt vocāt, Rosarij fuit & est perquàm familiare, vt simul præcipua redemptionis humanæ mysteria, quæ vitam Christi & Matris continent, facili quodam compendio in animum reuocentur. Non exiguus illorum est numerus, proh dolor, qui rarò vel nunquam sacrâ implorât Virginem, rebus nescio quibus profanis, inutilibus, aut certè parùm necessarijs dediti. Ego illos mihi probandos ac imitandos proponam, qui preces Horarias, sicut & Litaniã sanctæ Matri offerunt reuerenter, seque illi manè ac vesperi, vel si quid maioris momēti sit aggrediendum, religiosè commendant. Parum alij credant ac fidant sacratissimæ Virginis intercessioni, quæ summum alioquin inter cœlites locum tenet, Christo quæ filio est cõiunctissima. Ego à doctissimis Patribus ac religiosissimis maioribus non discedã, qui tot sæculis Mariã cœli reginam cum Ecclesia in rebus lætis ac tristibus libenter implorarunt: & quantò frequentius ardentiusquæ sua eidẽ vota commendarunt, tantò feliciorem rerum suarũ successum, maioraquæ Dei munera & præsidia sunt experti. Ex his profectò fuit non vulgaris, sed summus apud Græcos theologus Gregorius Nazianzenus, qui suam in Matrem Domini fidem ac pietatem hoc eleganti carmine demonstrauit:

In tragœd.
de Christo
patiente.

*Salve puella gratiosa Mater &
Virgo omnium castissima atq; pulcherrima,
Exercitijs præstantior cœlestibus,
Regina mundi, gaudium mortalium,
Seu per benignam exhibe mortalibus,
Mihiquæ sis salus vbique maxima.*

In threnis.
In caput 6.
Micheæ.

EANDEM Virginẽ appellat Ephrã conciliatricẽ, aduocatam & spem Christianorũ; Hieronymus aut vaticiniũ Prophetarũ, eò quòd præcelsi omnibus in Scriptura laudatis ele-

ctis, & Prophetarum oraculis prænuntiata, & præcis fidelibus, toti que veteri Ecclesiæ promissa fuerit, ac plurimū desiderata. Mons enim magnus erat quē vidit Daniel, vnde sine manibus excisus est lapis ille angularis, qui fecit vtraque; vnum, & cui innititur Ecclesiæ omnis ædificatio. Vetus est planè Martyr Methodius, & Mariam insigniter celebrat, quam vocat glorificatam ac Deo dignam sedem, quæ solis possit mentis oculis conspici, & inter alia his verbis illam compellans vtitur: Quis porro & quātus honos à nobis qui minimi sumus, tibi debetur, quæ verè facta es Regina, verè animata quædam arca Legislatoris nostri Dei, verè comprehensibile cœlum eius, qui loco nō potest comprehendi, Dei.] Subiungit postea: Gaude in æuum perpetuum gaudium nostrum: ad te namque rursus recurrimus; tu festiuitatis nostræ principium, tu medium, tu finis, quæ es pretiosa margarita regni, verè fons vberimus totius sanctitatis, animatum altare, panis vitæ. Gaude dilectionis Dei thesauri: gaude humanitatis filij fons: gaude Spiritus sancti vmbraculum. Nunc etiam eundem audi Methodium Deiparæ supplicantem: Quam ob causam, inquit, deprecamur te longè præstantissimam omnium, quæ Matris & honore gaudes, & libertate; memoriam nostri iugè fac ô sanctissima Deipara, qui te laudibus ornamus, & hymnis decentibus celebramus tui perpetuam & iugem memoriam.] Quid verò Apostolicorum temporum vicinus Irenæus: an nō Virginem nostrā celebrat, & inter alia scribit: Sicut Eua seducta est vt effugeret Deum: sic Maria suasa est obedire Deo, vt virginis Eua (hoc est, humani generis) Virgo Maria fieret aduocata.] quem locū & Augustinus videtur æmulari. Volens alios prætereo nunquam satis laudatos Mariæ præcones, immo & cultores & inuocatores, quorum affectus in Matrem pietas est in Filium: quoniam pij omnes in Matre Filium, & Matrem ob Filium vna cum Ecclesia constanter venerantur, vt omnis honos Matri præstitus in ipsum redundet Filium, summè semper & super omnes Diuos colendum, glorificandum, imitandum atque inuocandum. Quare Bernardus hanc nobis veluti regulam contra

Daniel. 2.
Ephes. 2.

Oration. ad
Hypopant.
Domini.

Lib. 5. contr.
hæref. cap.
19.
Serm. 2 de
Mariæ An-
nuntiat.

Homilia 4.
super Mis-
sus.

hæreticos omnes perpetuò retinenda promulgauit. Non est dubium, inquit, quicquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere: & rursum cum Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus.]

E G O verò me posthac ita comparabo, vt vnà cum sanctissimis Patribus, & cōtra exemplum nostrorum hominum in his rebus diligēter exercear, quæ ad incomparabilem Dominam, Reginam, Matremq; nostram colendam, amādam & prædicādam pertinet. Rogabo Deum pro impijs Mariomastigis, ac alijs in tantam Virginem siue scienter siue imprudēter delinquētibus, suoque illam cultu defraudātibus. Mariana festa tantò maioris faciam, quòd autore Spiritu sancto instituta, & à pijs religiosè hactenus obseruata, nouos Diuinæ gratiæ thesauros illis porrigant, q; singulari studio illa complectūtur, ac diuinū in illis cultū credēdo, sperādo, & amando decenter exercent. Erit mihi commendatum incarnationis Dominicæ tempus, quod & Aduentus Domini vulgo dicitur, & quo cūctis Catholicis salutæ per Angelū Virginis memoria quotannis refricatur. Tum quod proximè cōsequitur tempus Natalitium, mentem atque cogitationes mihi ad sacrum Mariæ puerperium recolēdum piè reuocabit. Paschale tempus cum gaudio transigam, letusq; Virgini matri ex animo gratulabor, quæ suum Filium de morte triumphātem, & cœlos ascēdentem aspexit, digna certè, cui omnes pij vbique gentium illud accināt: Regina cœli letare. Sabbatinos dies eò chariores habebo, quòd iam pridem honori Virginis magno Catholicorū cōsensu deputentur, nosq; moneant de acerbissimis doloribus ob Christi mortem ac sepulturam à Matre perceptis, qui instar gladij pectus Virgineum penetrantis, ad filij resurrectionem vsq; durarūt. Quare nec grauabor tunc ieiunium aut abstinentiam, aliudue pœnitentiæ opus vltrò subire, vt meam erga Virginem tot modis afflictam obseruātiā qualicunq; corporis vel animi submissione renouem atque confirmem. Ero serius & constās in retinēdo veteri more salutandæ Virginis, potissimū quando vel dormientes vel aliud agentes ad

Luc. 2.

huius-

huiusmodi salutationis officium destinato pulsu excitamur. Probabo & illorum studium, qui tanquam obedientes filij, matrem suam Ecclesiam toties præeuntem, nec temerè salutantem hoc modo audiunt: Aue maris stella; Aue Regina cœlorum. Salve sancta parens. Salve Regina, mater misericordiæ. Amplissimæ sunt citra cōtrouersiam virtutes Virginis, ex quibus ego tres maximè nō minùs imitandas quàm meditandas mihi proponam, vtpote virginitatem siue puritatem, humilitatem siue paupertatem spiritus, diuinamq; charitatem. Gaudet quippe virgo pulcherrima, in qua fructus omnes abundant Spiritus, tales in primis habere cultores, qui virtutibus iam dictis florent, & in illorum studio magis magisq; progressum facere contendūt: sic enim illi verbum feliciter audiunt & faciunt, & sicut Matris, ita & Filij eius & fratres fiunt sectatores. Nec omittam pro mea quidem imbecillitate conniti, vt huic tantæ magistræ cōformer partim in studio compatiendi, quoniam illa peracerbos dolores ob incredibiles Filij charissimi cruciatus frequenter fuit experta, partim in affectu spiritualis gaudij intimè persentiendo, quando quidem vt Filium amauit maximè, ita & propter illum doloris gaudijq; inæstimabili sensu fuit affecta, verè magistra facta magistrorum, vti Rubertus appellat. Dabo in super operam, vt subinde cogitē de verbis illis Iohannis Apostoli, *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Hæc mulier mihi, sicut & ^a Augustino & ^b Bernardo, Maria erit, inter mulieres omnes vtiq; benedicta, & signum spectatu dignum, nec vulgare sed excellens ac verè magnum, nō minùs ipsis cœli incolis, quàm hîc peregrinantibus mortalibus diuinitus preparatum. Quæ mulier, amicta sole est, quoniam vestiuit solem iustitiæ Christum, & vicissim ab illo vestita est. Vestiuit enim illum substantia suæ carnis, & rursus ab eodem vestita est stola incredibilis gloriæ ac multiplicis maiestatis, atque, vt reliquis beatis pulchrior ac beator in cœlo appareret, stellis lucidissimis, aureaque corona capitis redimita, quoniam varijs meritorum & præmiorū

Luc. 11.
Matth. 12.
Luc. 8.

In lib. 1.
Canticor.

Apocal. 12.

^a Lib. de
symbolo ad
Catechumen.
cap. 1.
^b In Sermon.
Signum
magnum.

3. Reg. 2.

Pſalm. 44.

Serm. de
Natiuit.
Virg.Lib. 6. in
Cantic.

Exod. 20.

Homilia 6.
con. Neſtor.In Tragœd.
de Chriſto.


inexplicabilium gemmis inſigniter decorata, ſed & ſicut altera Bethſabee proximè Salomonem filium in ſublimiore folio collocata. Hanc ego intuens, non ſine admiratione cum Propheta regio Chriſtum affabor: *Aſtutis Regina à dextris tuis in veſtiti deaurato, circumdata varietate*, ſicut eundem locum, vt antè diximus, Athanaſius interpretatur. Sed & cum Bernardo fateri non dubitabo: Aſcendit planè, Maria ſuper omne humanū genus: aſcēdit uſq; ad Angelos, ſed & ipſos quoq; tranſcēdit, & cœleſtem omnem ſupergreditur creaturam.] Nec eſt diſſimile Ruperti teſtimoniū, à quo perſpicuè traditur: Quando de hoc mundo aſſumpta, atque ad æternum thalamum translata es, tunc tu (Maria) & ex tunc electa vt ſol, electa inquam nobis. Quia ſicut ex te natum Dei Filium ſolem verū: ſic & te honoramus atque veneramur, vt veri Dei Genitricem: ſcientes quia totus honor impenſus matri, ſine dubio redundat in gloriam Filij. Et quidem natura non tu idem es quod ille ſol: ſed nihilominus tanta es, vt te honoret ipſe ſol honore, quo decet filios honorare parentes ſuos. Qui enim dixit: *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, non dubium quin & ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis ſuam velit honorari Matrem.] Quid ergo mirum, inter Sanctos Sanctasq; omnes illam in primis publicè laudari & inuocari, quæ primas apud Deum obtinet, & ſummis ornata eſt priuilegijs, ob quæ illa regina, ſponſa & mater incomparabilis, reliquis Dei amicis & ſeruis ancillisq; in immenſum prælata, iam pridem dicitur honoratior Cherubim, glorioſior Seraphim, ſemper beatiffima, penitè incōtaminata, quauis viſibili & inuiſibili creatura ſuperior, quam dignam & iuſtum ſit ſeculis omnibus venerari atque glorificare, quemadmodum Chryſoſtomus, Baſilius & Germanus, teſtes vtrique fide digni, ingenuè profitentur. Quid verò Cyrillus Alexandrinus? Tu, ait, totius orbis theſaurus, per quam cœlum exaltatur, per quā Angeli & Archangeli latantur, per quam in toto orbe fundatæ ſunt Eccleſiæ.] Nec rarum eſt Patribus, hanc Chriſtianorum facere propugnatricem & dominam, quā Orthodoxi vt glorioſam

Aduocatam etiam Gregorij Nazianzeni tempore inuocarūt. Verè sanctus Bonaventura in hunc modū scripsit: Gloriosum gloriæ Mariæ priuilegium est, quòd quicquid post Deum pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.] Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, vt Bernardus hortatur, quia sic voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.] Optabo demùm ex animo, eã quæ multis alijs verè pijs cõtigit gratiam, mihi quoq; cõmunicari, vt post Christum humanæ salutis authorem & principem, pulcherrima huius, præstantissimæque sponsæ amore capiar, eandem in delicijs habeam, libenter in ore versem, & vbiq; locorum in oculis præ me feram, nec solùm flagrãti amore, sed & singulari honore prosequar, quam & ingenti fiducia & religione ad mortem vsque complectar. Ea namque cum parens fuerit eius qui omne cœlum, omnemque naturam molitus est, verè ac propriè, vt ait Damascenus, in res vniuersas Heræ ac Reginae nomen & ius adepta est. Ea ipsa demum ab omni peccato alienissima, omni virtute instructissima, omni gratia plenissima, omni felicitate cumulata, cū Christo Domino nostro & Filio suo coniunctissimè regnat: ad cuius nomen & principes tenebrarum contremiscunt, & animæ iustorum mirum in modum exultant, cuius fido insuper salutariq; patrocinio mortales miseri sese sustentant, vt à Christo eius filio in hac futuraque vita benedicantur. Est enim verissimùm quod Germanus Patriarcha eandem Virginem augustissimam alloquens, his verbis asseruit: Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimùm tuum nomen quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore loco & modo non solum lætitiæ & auxiliij est signum, sed ea etiam procurat & cõciliat.] De gloriosis verò titulis ac honoribus qui Deiparæ tribuuntur, alibi diximus, eos Diuina maiestati & Christi excellentiæ nihil derogare, si sanè ac sobriè iuxta mentem Ecclesiæ intelligantur.


In Speculo
B. Mariæ.
Serm. de
Natiuit.
Virg.

Lib. 4. de
orthodo.
cap. 14.
& 15.

Homil. de
Virgine
Deipar.



DE FESTO EXALTATIO-
NIS S. CRVCIS vide NOTAS superiùs
traditas de Festo INVENTIONIS eiusdem
S. CRVCIS.



IN DIE FESTO
SANCTI MATTHÆI APO-
STOLI ET EVANGE-
LISTÆ.

Sequentis Euangelyj Argumentum.

CH R I S T V S humanæ salutis semper audus, vidit aliquando in transitu Matthæum, qui & Leui dictus est, officio publicanum, cùm is non modò sederet in telonio suo, sed & vilibus ac fordidis lucris vacaret, nihil minus quàm de Deo rebusque diuinis cogitans. Eum ipsum Christus vocat, eximprovisò, & hanc vocationem adeò reddit efficacem, vt ille postpositis ac relictis omnibus, I E S V M pauperem pauper è vestigio comiteretur, eiusque Apostolis à mundo despectis totum sese coniungat. Laudanda est huius Matthæi hospitalitas & beneficentia, quia Christum vnà cum Apostolis suo liberali excipit hospitio, & his conuiuus alios, veteris nempe vitæ socios publicanos, & publicè infames homines, non sine ingenti eorum fructu prudenter adiungit. Præterea vocatus & conuersus aspernatur obtrectantes, Christi que semper æmulos Pharisæos, qui hoc familiare Christi cum cri-

minosis hominibus in mensa contubernium fugillabant ac insectabantur. Retundit autem morsus illorum Christus, dum se medicum statuit non sanorum sed malè habentium, amatq; misericordiam calamitosis impensam, eamq; sacrificio præfert externo, & qui præcipuè quidem idcirco à Patre missus in mundum venit, vt peccatoribus gratiam & opem ferat, sicut apud Zachæum publicanum degens, illa voce testatur: Venit Filius hominis quærare & saluum facere quod perierat.

Luc. 19.




EVANGELIUM MAT-
thæi IX.



*UM transiret inde IESUS, vidit hominem
sedentem in telonio Mattheum nomine, & ait
illi, Sequere me. & surgens secutus est eum. Et
factum est discumbente eo in domo, ecce multi
publicani & peccatores venientes discumbebant cum IESU
& discipulis eius. Et videtes Pharisei dicebant discipulis eius,
Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister
vester? Et IESUS audiens ait, Non est opus valentibus me-
dicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid
est, Misericordiam volo & non sacrificium, non
enim veni vocare iustos sed
peccatores.*



NOTA



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Vidit IESUS hominem sedentem in telonio Mat-
thæum nomine, & ait illi, Sequere me.*

Luc. 10.



NGENTES ego gratias agam Christo verè Sa-
maritano, qui de supremo cœlo descendens, cum
nullius rei prorsus egeret, venit in huius mundi de-
sertum horridum, ac refertum ægrotis, nec sua spe-
ctavit, sed nostra quæsiuit commoda, medicum se benignissi-
mum præbens. Ita quippe in hoc Evangelio seipsum vocat &
ostendit medicum, atque non rogatus Matthæum grauissimè
laborantem vltro inuisit, nihil prorsus intermittens, quod ad
illum restituendum, & à morte ipsa vindicandū posset deside-
rari. *Venit enim filius hominù, sicut ipse alibi testatur, quærerere &
saluum facere quod perierat. Non veni, ait, vocare iustos sed pec-
catores. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego
reficiam vos. Ego sum resurrectio & vita: Qui credit in me, etiamsi
mortuus fuerit, viuet.* Eandem Christi clementiam senserunt,
qui passim in Evangelio se illi curandos commiserunt, impuri,
infames, perdit, varijsque flagitijs cooperti homines, de qui-
bus Lucas affirmat: *Erant appropinquantes ei publicani & pec-
catores, vt audirent illum, licet interim illi non veniam, sed hu-
ius & futuræ vitæ cruciatus perpetuos mereretur, ac si huma-
na spectes præsidia, de remissione peccatorum desperare pos-
sent. Pertransit enim Christus benefaciendo & sanando omnes
oppressos à diabolo, sicut Petrus affirmat.*

Luc. 19.
Matth. 9.
Matth. 11.
Iohan. 11.

Luc. 15.

Actor. 10.

VBI ego quorundam olim errantium falsa dogmata no-
tabo. Fuerunt enim tam audaces, & Christianæ gratiæ iniurij
homines, vt asserere non vererentur, hominem absq; Christi

speciali

speciali gratia iustificari, iustè viuere, Dei præcepta implere, Deum ac proximum diligere, pœnitentiam agere, ac vitam æternam cōsequi posse. Verùm hunc errorem satis diuina Scriptura coarguit, quæ gratiæ Christianæ præsidium cuius homini semper necessarium, ac merè gratuitum esse declarat. Vnde Paulus gratiæ assertor acerrimus clarissimè scribit: *Neque uolentis, neque currentis, sed Dei est misericordis. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Immò Isaias iustorum omnium nomine, vt soli Deo eiusque gratiæ benefactorum omnium honorem tribuat, absolute pronuntiat: *Omnia opera nostra operatus est in nobis.* Et Ieremias profitetur: *Scio Domine, quia non est hominis, nec viri est, vt ambulet & dirigat gressus suos.* Quid multis? gratiæ omnis qua iustificamur atque saluamur, autor est Christus, fons idem aquæ uiuæ, de cuius plenitudine omnes accepimus, & vitis vera, sine qua palmites arefcere possunt, sed non fructificare, nisi eidem viti Christo per fidem & charitatē sint ac maneant insiti. *Sine me,* ait, *nihil potestis facere.* Eòq; maioris ego semper faciam, & cupidius desiderabo, firmitusq; conseruabo thesaurum absconditum, pretiosam margaritam, bonorum omnium feracem hanc ipsam Christi gratiam, quæ cunctis opibus est pretiosior, & cui omne desiderabile non potest comparari.

R V R S V S inuenti sunt impij Manichæi, cum quibus hodie plurimi conspirant, hominem spoliantes libero arbitrio, velut humana industria præsentis Dei gratiæ nō possit, nec debeat cooperari. Non vident isti, à summo Deo, qui non suauiter minùs quàm fortiter disponit omnia, ad benè beatèq; viuendum hominis conatum ac studium requiri, sicut hisce Dei vocibus apertè monstratur: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Petite, & dabitur vobis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.*

Rom. 10.
1. Cor. 3.
2. Cor. 3.

Tit. 3.
Isai. 26.

Iere. 10.

Ioan. 1.4.
& 15.

Matth. 13.
Prouerb. 3.
& 8.

Sapien. 8.

Zach. 1.
Ezech. 18.

Matth. 7.

Apocal. 2.
Matth. 23.

Cap. 21.
Cap. 4. & 5.

Iohan. 1.

1. Cor. 3.

1. Cor. 15.

2. Tim. 4.

Ephes. 2.

2. Cor. 6.

1. Cor. 9.

Serm. 17. de
verbis Dom.
& in Psalm.
102.

Iohan. 10.
Luc 15.

Esto fidelis usque ad mortem: & dabo tibi coronam vita. Quoties volui congregare filios tuos? & noluisti. Rectissime igitur dictum est, sicut in libro de ecclesiasticis dogmatibus legimus, & Synodus Milevitana confirmat, initium nostræ salutis à summo Deo, & singulari Christi gratia pendere: vt verò salutiferæ illius inspirationi acquiescamus, ac gratiæ eius oblatae cooperemur, nostræ potestatis esse. *Quoi quot enim receperunt eum,* inquit de Christo Iohannes, *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Vnde Paulus itidē, sicut Christi gratiam valde commendat, sic liberum etiam arbitrium non parum excitat & impellit hisce sententijs: *Dei sumus adiutores. Vnusquisq; videat quomodo superadificet. Gratia Dei sum id quod sum; & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem seruavi. Dei sumus factura siue figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis,* (siue vt alij legunt, ad opera bona) *quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Sic currite, vt comprehendatis.* Adeo verum est Augustini dictum, quod in cunctorum ore versatur; *Qui fecit te sine te, non te iustificabit sine te. Fecit nescientem, iustificat volentem.* Debetur corona bonis operibus, si fiant: sed gratia præcedit, vt fiant.]

SED ad Euangelium redeamus, in quo pulchrum diuinæ gratiæ & cooperationis humanæ concursus spectare licet, & perspicuo quidem exemplo docemur, ad iustificationem hominis non sufficere, si gratiæ tantum opera constituentur, & hominis iustificandi conatus prætermittantur. Quis prudens quæso neget, ad Christi gratiã pertinere, quòd ille pastor bonus de industria veniat quærens ouem in deserto perditam, hoc est, vt Matthæum in telonio suo suauiter quiescentem, & mamonæ toto pectore seruientem clementer aspiciat, efficaciter vocet, mirabiliter conuertat, & amanter assumat? Quid nisi præclarum ac stupendum Christi beneficium fuit, ex infami & sordido publicano electum facere discipulum, peculiare feligere Apostolum, ac primum Euangelistam statuere, cuius

deinde

deinde laus perpetua esset in omni Ecclesia? Hæc mihi tantò maioris æstimanda sunt, quantò certius liquet, eiusmodi electionis ac dilectionis Christi indicia homini neque roganti neque cogitanti ex mera offerri gratia, perinde ac si ad eundè Matthæum propriè diceret Dominus, *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans.* Quod maius potest esse prodigium (Cassiani verbis vtor) quam sub momento breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis (ad Saulum videtur alludere) prædicatores Euangelij patientissimos reddi, ita vt eam quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent. Ita sunt, inquit, opera Dei, quæ se quotidie vnà cum Patre operari Filius protestatur dicens, *Pater meus vsq; hodie operatur, & ego operor.* De istis operibus Dei (qui subito mentes immutat humanas, & è pessimis optimos facit) beatus Dauid in spiritu canit, *Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis. Benedictus Dominus Deus Israël qui facit mirabilia magna solus.*

I A M verò si de Matthæo dicendum est, quis non videat, multis nominibus hunc esse laudandum, qui cum oblatam Christi gratiã & amicitiam posset refutare, sicut nonnulli refutasse leguntur; tamen ad primã Christi vocem & inuitationẽ ita se promptum & paratũ exhibet, vt citra moram & excusationem vllam de veteri sede sua surgat, amicos omnes negligat, domum & facultates contemnat, res malè partas deserat, & reliqua non leuia impedimenta reijciens, totum se Christo committat & addicat, & quem fortasse antea non nouerat, huic magistro per omnia se morigerum discipulum, atq; comitem indiuiduum magna cum fiducia subijciat & adiungat, à cuius latere nunquam sit discessurus. Parat insuper Domino & Apostolis conuiuium, hæud modicam hospitalitatem & liberalitatem re ipsa demonstrans, & simul veteris vitæ socios, prauosq; collegas non sine magno zelo ad mensam suam inuitat, vt eos etiam acceptæ diuinæ gratiæ participes reddat. Hæc profectò luculenta sunt argumenta non modò concepte fidei, sed etiã hominis verè cõuersi, & Dei gratia cõuenienter

Jerem. 31.
Collat. 12.
cap. 12.

Actor. 9.

Iohan. 5.

Psal. 64.
& 71.

Matth. 8.
& 22.
Luc. 9.

3. Reg. 19.

Rom. 8.

Rom. 9.

Philipp. 1.

Ephes. 4.

Coloss. 3.

1. Theff. 4.

2. Pet. 1.

Matth. 4.

& 3.

2. Tim. 2.

vtentis, quem planè obedientem, ac vocanti Domino gratum fateri cogimur, si circumstantias omnes ritè perpendamus. Pauca quidem Christus ab illo postulat, hoc vnum dicere cōtentus, *Sequere me*: multa verò ille non iussus præstat alacriter, vt se strenuum acceptæ gratiæ cooperatorem, fidumq; dispensatorem ostendat, non dissimilis quidem Prophetæ sancto Eliseo, qui ab Elia vocatus in agro quem colebat, vocantis lateri se confestim adiunxit, & relictis bobus vitam cum illo cōmunem egit religiosè, ac ei sedulò ministravit. Fuit ergo Matthæus ex eo electorum numero, de quibus affirmat Apostolus, *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit*. Vbi primū & merè gratuitum Dei donum. prædestinatio nobis commēdatur, secundam quam inde ab æterno eligit Deus vocandos & iustificandos, vt suam illis misericordiam gratiamq; primā, quæ sub nullius hominis meritū cadit, vtrò impertiat, eosq; vasā misericordiæ faciat, vt Paulus loquitur, in gloriam præparata. Quid verò ab his vocatis & iustificatis idem Apostolus exigit, antequam illi glorificentur? Nimirum vt cum timore & tremore suam salutem operentur, ac dignè ambulent Euangelio cum omni humilitate, mansuetudine & patientia. *Hæc est*, inquit, *volū. as Dei*, sanctificatio vestra. Quid verò eisdē iniungit princeps Apostolorum? *Satagite fratres*, ait, *vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*.

Hic ego meminero triplicis gratiæ, quam inter alia dona Matthæus accepit, & quæ mihi etiam ac alijs omnibus, qui Christo placere cupiunt, ad benè beatèque viuendum est necessaria. Prima est gratia, quæ peccatorem à Deo auersum ad viam iustitiæ conuertit, ac velut ex mortuo viuum Christi mēbrum efficit, Euangelica pœnitentiā intercedente; quā Christus & Baptista primū prædicauerunt. Altera gratia est, quæ conuersum in huius vitæ tentationibus adiuuat, & constantē Christi militem seruat, vt hinc Paulus dixerit: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu*. Tertia probatū & exercitatum Dei seruū coronat, æternæq; vitæ præmio dignum reddit, vt iustitiæ co-

ronam,

ronam, sicut Paulus appellat, post suos labores consequatur. Etenim ut ex peccatore vel impio iustus fiam, & in accepta iustitia magis magisque proficiam iuxta illud, *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, utque tandem iustitiæ mercedem assequar, Christi gratiæ magis quam meritis meis acceptum ferre debeo, tametsi sine meo conatu res tanta non perficiatur. *Esto fidelis, inquit, usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.*

SED satis nunc erit de proposito Matthæi exemplo, quod ad me spectet, aliquid expressius dicere. Putabo in primis, Christum Dominum, qui se illi tam beneuolum præbuit, nunc mihi etiam & fidelibus omnibus ita sese spectandum offerre, ut eum & loquentem audire, & vocantem sequi possimus, si Matthæi duntaxat fides & ardor accedat. Sic enim scriptum habemus: *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Fili peccasti? Non adicias iterum; sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Gloria magna est sequi Dominum.* Eòque magis dolebo ex animo, & mihi succensebo, quòd fulgentem iustitiæ solem, qui Christus est, velut cæcus clausis vel infirmis oculis sæpè non cernam, talemque magistrum docentem ac iubentem surdis tanquam auribus præteream, aut certè non tam illius voluntati quam proprio amori, malorum omnium fonti, obsequar, quòdque terrenis rebus & curis, quæ semper deorsum hominem trahunt, me ipsum impediam, quò minus ex toto corde conuertar ad Dominum, illique seruiam expedite, peccandi periculis & occasionebus, velut pestiferis funibus, omninò præcisissis. Ut enim Sapiens monuit, *qui amat periculum, in illo peribit; & qui spernit modica paulatim decidet.* Est profectò paucorum, vocantem Dominum perfectè sequi, quæ admodum ante Matthæum pater ille Credentium Abraham fecit, cum de terra & cognatione sua propter vnam Domini vocem egrederetur. Nunc Israëlitas velut adulterinos Abrahamæ filios ferè sectamur, ut ad terram vel patriam promissam peregrinaturi, ad relictam Aegyptum aspiremus, nihilque magis quam ollas carniū, & voluptates corporis in itinere ap-

2. Tim. 2.
Apocal. 22.

Apocal. 2.

Prou. 15.
Eccl. 5.
21. & 23.

Eccl. 3. & 19.

Gen. 12.

Num. 11.
Exod. 16.

- Gen. 19. petamus. Nec sumus dissimiles pigro Loth Abrahæ nepoti, qui per Angelos duos vocatus sæpèque monitus, tam agrè suam reliquit Sodomam, & à notis ac necessarijs vix tandem potuit auelli. Visus est enim illi & domesticis eius Angelus quasi ludens loqui. Idem sanè quod Petro Apostolo accidit, mihi etiam vsuuenire solet, vt etiamsi Christum audiam postulantem Sequere me, tamen respiciam retrò, & nescio quibus curis ac negotijs impeditus, meam ipse vocationem negligã. Dolebo præterea vicem illorum, qui cum iuvene diuite audiunt quidem Christi consilium, vt ipsum pauperem pauperes & ipsi sectentur, sicut Matthæus planè sectatus est: malunt interim suis opibus incubare, & cõsectari lucra, suoq; genio indulgere, quàm vt promissum in cœlo thesaurũ paupertate voluntaria comparent, ac nudi nudum Christum studio sè cõmitentur. Vtinam verò diligenter obseruẽ, quoties mihi Christus, vt membrum capiti conformer, crucem imponit, & sui sectatorem esse postulat. Sic enim apertè loquitur: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* ac iternm alibi: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Quàm verò pudendum, & à pijs omnibus deplorandum est, hanc clarissimam Christi vocem, vt ipsum à Patre glorificatum sequamur, à magnis & paruis adeò negligi, vt vocantem nos mundum, licet fucatã, fallacem & pestiferam meretricem, longè magis quàm Christum ipsum Dei sapientiam & virtutem, audiamus? Etenim cū sua promissa & blanda illectamenta mundus ingerit, quid facit aliud, nisi quòd omnibus Adẽ filijs dicere videatur, Sequere me? Quod eius præceptum innumeri sectantur cupidè, vt etiam lætentur quum malefecerint, ac læti per viam latam procurrant ad perditionem: qui vt se veteris Adæ patris filios declarent, ne suas amittant vel contristent delicias, sine pudore ac timore diuinas violant leges, & admoniti peccatum non agnoscunt, sed excusant inobedientiam, in alios culpa sæpe reiecta, sicut & parens omniũ Adam fecisse legitur. Solus Christus qui secundus est Adam, paucis persuadere potest morta-

libus, quidquid demum doceat ac promittat, vt relictis & cōtemptis illis quæ paulò post hîc relinquenda sunt, se rectâ sequantur, vtq; terrena cum cœlestibus, & momentanea cum æternis commutent, sicut Matthæus felicissimè commutauit, quâdo verè in Deo diues, totusq; spiritualis effectus est. Quid autem succinctius quæso dici, quid sanctius excogitari, ac fructuosius obseruari potest, quàm præceptum hoc aureum, nec satis vnquam laudandum SEQVERE ME: quo dicto summam totius Christianæ philosophiæ quasi comprehensam habemus, nimirum vt quem fide complectimur omnium redemptorem, cum quoq; moribus magistrum ac ducem vitæ sectemur atq; honoremus. Et meritò sanè, cum is de se ipso asserat, *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

ILLVD verò meam in Christum fiduciam alet, iustamq; pariet consolationem, quòd hîc Dominus cum Matthæo agens, ad eò se clementem ac potentem manifestè declaret. Etenim de lapidibus, vt cum Baptista loquar, nouum Abrahamæ filium suscitatur, & velut piscem stupidum ac mamonæ mancipium ex profundis maris fluctibus ad littus extrahit, vt pecuniæ seruum, ac vndiq; spinis obsitum transferat in libertatem filiorum Dei, quem ex improviso suum etiam amicum faciat, & hominum piscatorem constituat, ac talem totius Ecclesiæ largiatur scriptorem, qui splendore doctrinæ suæ orbem vniuersum illustret. Hæc est mutatio dexteræ excelsi Dei; hæc virtus Altissimi, quæ ritè perpensa, si verum fatebimur, nos cogit de pessimis hominibus etiam optima quæq; sperare, & è futuris potius pendere quàm ex præsentibus, nec temerè quenquã licet pestilentem ac perditum, iudicare, sed suo Domino iudicandum quemq; relinquere, ac semper dicti Apostolici meminisse, Tu quis es qui iudicas alienum seruum. Domino suo stat aut cadit: stabit autem, potens enim est Deus statuere illum. Vnde quod scripsit Gregorius Nazianzenus, in mentem sæpè reuocabo, Matthæus heri publicanus: hodie Euangelista, Tantòque magis cauebo mihi à fermento & supercilio Phariseorū,

Iohan. 8.

Matth. 3.

Psalm. 76.

Rom. 14.

Oratio. 44.

Matth. 9.
Luc. 19.
& 7.

Iohan. 9.
Luc. 6.
2. Tim. 2.

Pfal. 112.

a 2 Reg. 11.
b Matth. 26.
c Luc. 23.

Ioel. 1.
2. Cor. 1.

Rom. 2.
Act. 9.
Luc. 7.
& 10.
Rom. 4.

Luc. 5.
Marc. 2.

Iohan. 11.

qui Matthæo, Zachæo, Magdalena tam seueri ac rigidi fuere censores, ac dum aliena crimina ponderant, suorum profusus obliuiscuntur, meritòq; cæcitatibus & hypocrisis, à Christo insimulantur. Solus cognoscit Deus qui sunt eius: & quos ad tempus labi permittit, ipso lapsu sæpè firmiores efficit, gratiaque suæ organa illustriora demonstrat, & ex imis velut facibus ad summas primasq; sedes pro sua immensa misericordia transferre consuevit. Aded verum est Prophetæ dictum, quod ego ad nostrum quoq; Matthæum referam: *Suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Tântum abest, ut ego de quouis fœdè lapsus, sicut & ^a Dauid, & ^b Petrus, & ^c Latro in cruce pendens, lapsi fuerunt, non præclarè confidam, ac illum mihi & alijs propitium fore nõ sperem, qui benignus, misericors, patiens, multæ misericordiæ, & præstabilis est super malitia, ut pater misericordiarum, & Deus totius consolationis meritò appelletur. Cur non meliora mihi de fratribus pollicear, licet à iustitiæ via procul aberrent, cum in Dei manu sint omnia, nec ille personarum sit acceptor, sed ex publicano etiam Matthæum, è Saulo persecutore Paulum, è peccatrice Magdalenam optimæ partis electricem nullo negotio faciat, & sit ille solus, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Apostolo teste.

Vidit IESUS publicanum nomine Leui sedentem ad telonium. Vbi de re vsuraria est tractatio peculiaris.

HIC mihi cogitandum est partim de singulari Christi Matthæum vocantis benignitate, & in tractandis peccatoribus industria atq; dexteritate (nullus enim est tam miser Matthæus ac perditus, quem si videat & vocet Christus, non facile sanet) partim de miranda Matthæi erga Christum vocantem promptitudine ac obedientia, qui velut cum Lazaro mortuus, statim reuiuiscat. Vbi Matthæus commodam mihi præbet oc-

casione,

caſionem, vt rem uſurariam, cui ille veriſimiliter fuit obnoxiuſ, mecum animo verſem ac ponderem. Is quippe fuit, ſicut in Euāgelio ſcribitur, publicanus, hoc eſt, ex illo infami & rapaci hominum genere, qui cū primū equeſtris ferè ordinis eſſent, locupletes & ornatī, quales laudat & Cicero, demū ob ſummam eorum auaritiā & iniuſtitiam cū alijs, tam ludæis facti ſunt vehementer exoſi. Etenim publica veſtigalia in prouincijs queſtus ſui cauſa conducebant, ac lucrum ſordidū ingenti cum hominum iniuria extorquebant, ita vt ne Chriſto quidem, qui veſtigal pendere iubebatur, pepercerint. Præterea hic Matthæus ita deſcribitur, quem Chriſtus ad teloniū ſedentem offenderit, quoniam publicanis domus erat negotiationis, vbi ſedebant telones, id eſt, publicani tributum exigentes. Videmus & hodie ſic ferè fieri, vt qui tributis & veſtigalibus exigendis præſunt, malè apud populum audiunt, tantò que peius, quantò certius cōſtat, eos hominēs diuini timoris & iuſtitie communis facilè obliuiſci, neque tam Reipub. commodo, quàm ſuæ cupiditati ſeruire, ac uſurario quidem lucro vacare libenter. Sedenim hoc malum latè peruagatur, vt ſi antehac vnquam, nunc mundus vel maximè abundet uſurarijs, qui nec diuini, nec humani iuris rationem habēt, nec ſuis tantū ſed & filiorum ac hæredum conſcientijs peſſimè conſulunt, dum ſicut priuatis perſonis variā creant calamitatem, ita & Principibus & Magiſtratibus totiq; Reipub. ſunt ſæpè pernicioſi. Seuera ſemper fuit & eſt Eccleſia in manifeſtos uſurarios, hanc grauē peſtem hominū valde deteſtans, nec ferens eos ad uſum Sacramentorū accedere, vel Eccleſiaſtica ſepultura gaudere, vt ſaltem pudore ducti illi reſipiſcant. Etſi verò Dei quoq; verbū & præceptū, vt oſtendemus, damnat uſurarios, tamen omnes ferè hominum ordines hoc ſe vitio nunc polluunt, nec obſeruant diuinum oraculum, quo expreſſè traditur, in Dei tabernaculo & monte ſancto illum eſſe habitaturum, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, ſicut Zachæum & Centurionem feciſſe Chryſoſtomus notat. Qui alibi quoque dicere non veretur: Matthæus erat publica-

In Plancia-
na, & ad
Fratrem.

Matth. 17.

Extra. & in
Clementi-
nis, de uſur.

In eund.
Pſalm.
Homil. 11. in
4. c. 1. ad
Corin.

nus, in perpetua viuens rapina: repente noxam exiit, & sitim extinxit, & spiritualemente aggressus est negotiationem.] Verum nos rei vsurarię tractationem latè patentem, in pauca contrahemus.

PRINCIPIO inter illa peccata, quæ cum proximi charitate inuiolabili pugnant, & præcepto illo diuino, *Non furtiū facies*, prohibentur, quæque damnabilem iniustitiæ speciem præferunt, vt à regno Dei hominem profus excludant, vsura proculdubio cõnumeratur. Peccat enim, & se coram Deo furti reum facit, qui se vsura polluit, suumq; defraudat proximum; pecuniam illicitè mutuando. Prohibuit enim Deus in veteri Testamento, vsuram, & superabundantiam accipere; sicut & alibi populo Iudaico præcepit: *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quàm dedisti.* Ac iterum: *Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugam superabundantiam non exiges. Ego Dominus vester.* Quid rurius eo clarius dici potuit, *Non scenerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem;* Tum Propheta regius vt urbem impiam notet, inter cætera illi hoc attribuit: *Non defecit de plateis eius vsura & dolus.* De Propheta Ezechiele postea viderimus, quod in vsuram seuerè inuehatur, nullūque illi locum permittendum esse confirmet. Laude & imitatione dignus est Nehemias, vt pote verus Israëlita, & sui populi quasi princeps, qui optimates & magistratus palam corripiens & increpans dixit, *Vsurasne singuli à fratribus vestris exigitis? Non est bona res quam facitis, quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobetur nobis à Gentibus inimicis nostris?* Et mox vir sanctus seipsum & probos alios Dei cultores ab vsuris alienos in exemplum proponens, adjicit: *Ego & fratres mei & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam & frumentum.* Vnde concludit suam exhortationem: *Non repetamus in commune istud; es alienum concedamus, quod debetur nobis. Reddite eis hodie agros suos.* Tantumque valuit hæc admonitio, vt statim responderint auditores: *Reddemus; & ab eis nihil quæremus;*

sicq; faciemus ut loqueris. Illud admirabilis, quod Ethnici quoque ante Christum natum hoc peccatum improbarunt, velut cum ipso iure naturæ pugnet, sicut & illa Ciceronis verba declarant: Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam quàm mors.] Quid quod Romanus ille Cato, quem citavit etiam Ambrosius, vsurarium facit homicidam, cum ita loquitur: Quid fœnerari? quid hominē occidere?] hoc enim vitium in apertam sæpè crudelitatem erumpit, & rapinam admiscet, sed & sudorem & sanguinem pauperum exprimit, vt rerum vsus quotidianus ostendit. Certè Aristoteles hoc crimen vt à natura alienum, sic etiam turpe lucrum esse statuit, quod priscis quoque Germanis, cum Christi fide nondum essent imbuti, insuetum & execrabile fuit, sicut Cornel. Tacitus annotauit. Quàm ergo pudendum Christiano est facinus, id committere, quod solo naturæ lamine instructæ Gentes per se illicitum ac nefarium esse palàm confirmârunt: Videbant quippe illum qui fœneratur, bis idem vendere, ac id quidem quod non est: obseruabant insuper, rationi & honestati aduersari, hominē ex otio locupletari, ipsamque pecuniam, quæ in se omninò cæca, muta & mortua res est, velut ad fœtū pariendum, contra omnem ordinem conuerti. Quamobrem Basilius Magnus vsurarios confert leporibus, qui simul & parere & nutrire, & superfœtare assolent: sic enim inquit: Fœneratoribus pecuniæ simul tempore & dantur ad vsuram, & gignunt, & superfœtant.] Confert eosdem viperis, eosq; gemimina viperarum appellat Sicut enim viperæ ventrem matris perrodendo nascuntur: sic item fœnora debitorum domos absumendo gignuntur; & sicut vestes vsu, ita vsu ris patrimonialia scinduntur, & multiplex malorum germen in eorum animis pariunt, qui fœnore sunt grauati. Ex quibus non obscure patet, id quod iam olim Ethnicis iure naturæ, & Iudæis Lege Moyse prohibebatur, vt alter ab altero vsuram exigat accipiatque, id multò magis Christianis hominibus interdictum esse; qui sanè ad perfectiorem legem, videlicet Euangelicam, te

Officior.
lib. I.

Lib. de Te-
bia. c. 14.

Lib de Ger-
mania.

Serm 7. in
Psal. 14.

Matth. 5.

Luc 6.
Vide Cate-
nam aur. S.
Thomæ.

Matth. 5.
Luc. 12.
Coloss. 3.

Homil. 13. in
5. Matth.

Hom. in 18.
c. Genes.

Homil. 12.
in cap. 5.
Matth.

nentur adstricti. Non enim Christi præceptum obscurum est, *Mutuuum date, nihil inde sperantes.* Quem locum Gregorius Nyssenus hoc modo interpretatur: Debet homo vitare damnosam sollicitudinem, ne quærat ipse ab inope diuitiarum augmenta, æris & auri metallorum steriliū exigens fructum, sicut ait Saluator, Mutuuum date, nihil inde sperantes.] Exigit enim Christus, vt quia Christianus charitate & iustitia Iudæos omnes debet excellere, ab omni auaritia, quæ idolorum est cultus, se seruet immunem, & idcirco si aliquando ad præstandum fratri mutuuum veniatur, prout humani contractus flagitant, is qui dat mutuuum, nihil accipiat, ac ne mente quidem speret accipere vltra id quod mutuuum dedit. Etsi verò non præceptum, sed consilium est Evangelicum, mutuuum dare fratri, nisi extrema fortassis necessitas ad hoc charitatis opus venire cogat; tamen hactenus illud præceptum facit Christus, vt gratis & sine vsura quodcunque mutuuum in Christianum conferatur, & ratione dati mutui nihil vel expectetur ab alio, vel exigatur. Quocirca rectè Chrysostomus notat: *Iubet nos Christus mutuam dare pecuniam, non tamen sub vsuris: quia qui sub vsuris mutuuum dat, in prima quidem facie videtur dare, reuera autem nõ suadat, sed rem alterius tollit.]* ac alibi: In pecunijs prohibuit Dominus, ne quis vsuram acciperet. Quare, & ob quam causam? Quia vterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem *inopia afficitur*, creditor autem *diuitias augens peccatorū accumulatur sibi multitudinem.* Proinde ab initio olim Iudæis crassioribus tale præceptum dedit Deus dicens: Non sceneraberis fratri tuo & proximo tuo. Qua igitur excusatione digni erunt (Christiani) qui Iudæis sunt inhumaniores, & post gratiam, & tantam à Domino misericordiam inueniuntur his qui sub Lege fuerunt inferiores, immò peiores?] Cuiusmodi quidem vsurarios idem ille confert pestilenti aspidi, cuius est proprium, homini morsum infigere, ac venenum primò soporiferum, deinde mortiferum infundere. Sic etiam, inquit,

qui

qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipiat, & sic per suauitatem beneficij nō sentit, quomodo captiuus efficiatur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum.] Ex quibus omnibus est consequens, quòd sicut Apostolus Paulus tradidit, *Omnis auarus non habet hereditatem in regno Christi & Dei*: sic à nobis etiam verè asseri ac pronuntiarì possè; *Omnis vsurarius* (est enim vsura crudelis, & funestæ matris auaritiæ filia) regnum Dei non consequetur. Et verò si rem penitius inspiciamus, multas & graues Dei leges scenerator violat imprudenter, quibus nempe sancitum est: *Non concupisces. Non furaberis. Diligis proximum tuum sicut te ipsum. Omnia quaecunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quod ab alio oderis fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Impingit præterea in illam Apostoli sententiam: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?*

CAETERVM præfens locus flagitat, vt crimen hoc ingens, sed nimis vsitatum, quod proh pudor, à multis etiã excusatur atque defenditur, enucleatiùs describatur, ac magis omnibus elucescat. Vsuram ergo dicimus lucrum illud, siue pecunia sit siue res pecuniã æstimabilis, quod ratione mutui præter sortem & summam quam vocant capitalem, à creditore acquiritur vel speratur, ita vt præcipuus quidem finis mutui in lucro ipso consistat. *Quæ vsura partim aperta est, vt se statim prodatur, quoniam verbi gratia, expressè pacisceris, vt supra id quod dederis, aliquid ob mutuum datum accipias: partim recta, siue vt vocant, palliata, quoniam licet mutui mentio intermittatur; tamen ultra sortem aliquid reddendū exigis à debitore.* Verùm exemplis ista sient clariora. Vsura est, si pannum, frumentum, vinum, oleum, aliasq; res minores iusto pretio emeris ob solam anticipatam solutionem, vel cariùs vendideris, quàm iustum pretium ferat, propter expectationem temporis. Est & ille vsurarius creditor, qui vtrens pignore quod à debitore accepit, fructum inde perceptum in

Ephel. 5.

Exod. 20.

Rom. 7.

Leuit. 19.

Matth. 22.

& 7.

Tobi. 4.

1. Corin. 6.

Exemplum

2.

3 fortem principalem non supputat: qui præterea triticum, hor-
 deum, vel simile aliquid alteri mutuum dat cum pacto, vt re-
 stituatur eo tempore, quo eiusdē rei pretium auctum iri exi-
 stimatur, aut etiam reddi non posse probabile est. Adhæc se v-
 4 surâ contaminat, pecuniam suam hac mēte Magnati vel Prin-
 cipi numerans, vt ab eo lucrosūm aliquod officium cōsequa-
 tur, aut plus quidem emolumenti referat, quàm in literis ob-
 5 ligatorijs est expressum, etiamsi de vera donantis liberalitate
 illic facta sit mentio. Rursus crimen vsuræ committit, qui cum
 illo pacto dat mutuum, vt postea debitor in ipsius duntaxat
 6 officina emere, vel ipsius vti molendino, aut simile aliquid
 officium præstare debeat. Eiusdem est farinæ, qui Iudæorum
 fœnerantium admittit munera, vel eorundem aut aliorum v-
 7 surariorum sese in lucro participem præbet. Præterea peccant
 hic iudices, notarij, testes, alijque ministri Reipublicæ, qui in
 procurandis, tuendis, vel exigendis vsuris patrocinantur, suâ
 8 que ad hoc vel operam tribuunt, vel auctoritatem. Accedunt
 & illi huius criminis rei, qui dant mutuum adiecta conditio-
 ne, vt debitor colat creditoris agrum, aut in eius messe labo-
 ret, vel pecudem donet, vel quoduis onus aliud subire cogatur.
 9 Huc demum spectant, qui præfixum diem solutionis absq;
 lucro prorogari non sustinent, & grauius quoq; delinquent,
 10 qui rusticum vel pauperem in eas redigunt angustias, vt quia
 is soluendo non est, suis bonis cedere, vel vnâ cum suis muta-
 re solum, & nudus profugere compellatur. Longum est reli-
 quas maledictæ vsuræ species, & fraudulentas artes persequi,
 quas insatiabilis hominum avaritia docuit & inuexit, ac etiã
 num auget quotidie, vt hinc deplorandæ calamitates cum in
 priuatis personis, tum in Principibus & Ciuitatibus magis ma-
 gisq; consequantur. Ita demum apparet, quàm latè pateat Ma-
 monæ à Christo damnatę imperiū, cui omnes hominum
 ordines cum sua & aliorum pernicie tam licenter obsequun-
 tur, vt impijs etiam Iudæis, qui ex professo tam multos expi-
 lant atq; deglubunt, sæpè rapaciores atq; crudeliores esse vi-
 deantur, quandoquidem suas facultates è rapinis, sudore &

Matth. 6.

fangui-

fanguine pauperum nullo prohibente coaceruant amplifi-
cantq;. Quam verò grauitè istas Harpyias percutit Deus: cū
iratus per Prophetam isti hominum generi palàm exprobrat:
Vsuram & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos
calumniabaris: meiq; oblitus es, ait Dominus Deus, ac iterum: Si-
cut l. orugiens, rapiciensq; pradam, animas deuorauerunt, opes &
pretium acceperunt. Quoniam verò Magistratus & Principes
vsurarijs contractibus se frequenter inuolunt, & turpia quoq;
lucra nō prohibent, sed magis promouent, meritò illos quoq;
iustus Deus coarguit, dicens: *Principes eius in medio illius quasi*
lupi rapientes pradam: ad effundendum sanguinem, & ad perden-
das animas, & auarè sectanda lucra. Nec est dissimilis Dei que-
rela & obiurgatio apud Michæam & Malachiam Prophetas.
Sed & Isaias planissimè loquitur: *Principes tui infideles, socij fu-*
rum, diligunt munera, sequuntur retributiones. Nullus autè con-
tra vsuras magis inuehitur quàm Ezechiel, apud quem Deus
ipse testatur, iustum illum censeri, qui ad vsuram non com-
modauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate manum
suam auertens. Negat præterea, illum Deo victurum, qui ege-
num & pauperem contristat, pignus non reddit, & ad vsuram
tribuit, ac amplius accipit: hunc enim morte moriturū, & san-
guinis reum futuram asserit. Qui verò manum suam auertit à
pauperis iniuria, vt vsuram & superabundantiam nō accipiat:
eum non moriturum in sua iniquitate, sed vita victurum esse
pollicetur. Neq; dubitari sanè potest, vsurariorum iniquitatē
talem ac tantam esse, vt preces eorum ad Deum fusæ nihil ef-
ficient, sed irritæ sint prorsus ac inanes. *Qui enim obturat aurē*
suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur,
teste Salomone. Et sicut Apostolus Iacobus affirmat: iudicium
sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Neq; solū o-
rationes, sed & quælibet oblationes istorū planè respuit Deus,
quia vti scribit Ecclesiasticus, dona iniquorum non probat Altis-
simus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sa-
crificiorum eorum propitiabitur peccatis. Consonat locus in Pro-
uerbijs traditus: Victima impiiurum abominabiles Domino: vota

Ezech. 22.
Eod. cap.

Eod. loco.

Mich. 3.
Malach. 3.
Isai. 1.

Ezech. 18.

Prou. 21.

Iacob 2.

Eccl. 34.

Prou. 15.

Ecclef. 34.

iusistorum placabilia. Immo verò, qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui auferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

Psal. 13.

Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt vt Ecclesiastici verbis vtamur. O Deum immortalem, in quæ nos tempora incidimus? quæ tot homicidas, sanguifugas & oppressores hominum indies pariunt, & magnis honoribus ornant eos, qui, vt Propheta ille Regius loquitur, *deuorant*

Matth. 19.

1. Tim. 6.

plebem sicut escam panis, qui que alienis facultatibus per vsuras abreptis, in otio & luxu quotidiano abutuntur. Quod si tam ægre saluari possunt diuites, sicut Christus pronuntiat: si preterea qui volunt diuites fieri, secundum Paulum, in tentationem & laqueum Diaboli prolabuntur, vanisq; ac noxijs desiderijs ad perpetuum exitium vsq; demerguntur, quandoquidem malorum omnium radicem cupiditatem consecantur: quanto demum peior illorum est conditio, & certior damnatio, qui aduersus charitatem ac iustitiam ob rem leuissimam, nimirum vilis pecuniæ lucellum, defraudant fratrem Christianum, sed & per vsurariam exactionem ius diuinum ac humanum violant, ac sua demum auaritia sibi & alijs numen diuinum offendunt, vt hinc orbis Christianus tot modis afflictus eo magis presentibus iræ diuinæ flagellis prematur atq; opprimatur. Euangelica certè docet parabola, Deum, vt æquissimum regem valde irasci, & implacabilem esse seruo, qui pecuniam sibi debitam à conseruo suo inhumaniter exigebat, atq; adeò extorquebat.

Matth. 18.

Quantò igitur peius habebit, maioremq; iram vindictis Dei sentiet, qui die, ac nocte fratrem vsuris discruciat, ac instar crudelis feræ tantum non deuorat, dignus planè, cuius inhumanitas non solum in futura, sed & presenti vita impunè non abeat, sed in eo vetus etiam compleatur prouerbum, *Malè parta malè dilabuntur*. Mirum sanè, hoc genus hominum non meminisse, quàm grauitè & piè moneat Leo magnus ita scribens: *Iniusta & impudens auaritia, quæ beneficium se dicit præstare cum decipit, non credit Deo veraciter promittenti,*

Serm. 6. de
ieiunio de-
cimi mēsis.

Dare & dabitur vobis: & credit homini trepidè paciscēti; dumque certiora existimat præsentia quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniusti lucri, nō iniusti causa sit damni. Vnde, quilibet sequatur euentus, mala semper est ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuisse, & auxisse peccatū est: vt aut miser sit amittendo quod dedit, aut inferior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorsus est iniquitas fœnoris, & lucrum quod omni caret humanitate, vitandū est. Multiplicatur quidem facultas iniustis & tristibus incrementis, sed mentis substantia contabescit: quoniam fœnus pecuniæ, funus est animæ. A tabernaculo Dei ostenditur alienus, & à sancto monte eius extraneus, qui dolosum quæstum de pecuniæ suæ captat vsuris: & dum per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri.]

Q V A N Q V A M probè scimus ac vltro fatemur, quòd licet viura ob mutuuum in lucro consistat, tamen pro vsurarijs omnes habendos ac damnandos nō esse, qui lucri spe minus principali concepta dant mutuuum. Nec ignoramus fieri aliquando sine peccato, vt ad pensationem aliquam vltra sortē veniatur, quam numeret mutuatarius ratione lucri cessantis vt vocant, aut damni emergentis. Lucrum autem verè cessare intelligimus, cū id quod debetur ob mutuuum, ita suo tempore non redditur, vt certum inde damnum proueniat creditori, alioqui vsurarij notam non euadit creditor, qui licet se ratione lucri cessantis excuset, tamē aut nescit, aut nō vult suā pecunia negotiari, vel rem aliquam frugiferam emere. Rursus non inuiti admittimus, ex veris cambijs & contractibus, quos appellant societatis, lucrum accipi & sperari posse citra vitiū, si debitæ quidem conditiones accedāt, rectèq; seruentur. Quibus de rebus tum Theologi, tum Iurisperiti multa copiosè tractant: nos autem minutim agere super sedemus; hoc vnum admonentes, nostris quidem hominibus ignorantiam & iniustitiam, quam committere solent, apud Deum & homines prorsus inexcusabilem esse, quando quidem priuato lucro nimium addicti, si antehac vnquam, nunc potissimum ex proxi-

mi damno

Luc. 6.

Psalm. 14.

Vide D.
Thom. q.
78. ar. 2.

mi damno quæstum captant vsurarium, mirisq; fraudibus magis ac magis indies extorquent. Tum diuites ac nobiles piaculum ferè putant, si pecuniam suam domi clausam & inutilem relinquunt, eamq; ad contractus vel ipso naturæ iure prohibitos non erogent: in hoc vnum intenti, vt quocunq; tandem modo, siue iure, siue iniuria suum ipsis lucrum, vnà cum capitali quod vocant, saluum maneat. Tam inexplebilis habendi sitis hominum animos occupat, vt omnem legum diuinarum & humanarum superet moderationem: adeò regnat effrenis licentia in pecunia scœnori locanda, & in superabundantia, sicut Propheta nominat, procuranda. Vix quisquam peritos iuris & exercitatos Confessarios cõsultat: aperta vel palliata, siue mentalis, vti vocant, vsura committitur impudenter: de iure Ciuili, ac multò magis Ecclesiastico obseruãdo nulla cura est. Adhæc si scœnerantes de restitutione necessaria fortasse moneantur, tantum non lusus illis videtur, quod ab Augustino verissimè dictum legimus: Si res aliena propter quam peccatũ est, cum reddi possit, non redditur: non agitur pœnitentia sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Ablatum inquam, siue per vsuram, siue per aliam iniuriam atq; fraudem, quam iustissimus Deus in hoc & futuro sæculo seuerè vindicat. Vt enim Scriptura testatur, *abominatur Dominus tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Non Deus volens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus: neq; permancbunt iniusti ante oculos tuos.* Consonat & illa iuris regula, Peccati venia nõ datur, nisi correcto. Adeò nihil isti secum expendunt, quàm rectè dixerit Apostolus: *Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis.*

IESV bone quàm rarò nunc se offert aliquis, qui cum Zachæo publicanorum principe verè testetur: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si quid aliquem defraudauit, reddo quadruplum.* Quàm verò multos inuenias Mattheos suo affixos telonio, q se totos illis curis, sollicitudinib⁹ & opibus,

quas

Ezech. 18.
& 22.

Vide Leges
& Canones
de vsuris.
maximè 14.
quæst. 3. 4.
5. 6.
Epist. 54. ad
Macedon.

Deuter 25.
Psalm. 5.

Regula 6.

I. Thess. 4.

Luc. 19.

quas Christus in Euangelio spinas dixit, immergant. Ita enim pecuniæ ac lucri studio dant operam, vt Mamona toto peccatore feruiant, non solùm à Dei, sed etiam proximi charitate profus alieni, nullamq; vel iuris, vel cōscientiæ rationem habere dignantur. Illud verò est difficillimum ætate nostra, vt in legitimum & Euangelicū Matthæum incidamus, qui se ipsum & peccatum suum agnoscat liberèq; confiteatur, & perfectā abrenuntiationem, de qua Christus loquitur, sibi sectandam proponat. De hac abrenuntiatione Basilius magnus differens, presentis Matthæi profert exemplum, qui cū vocatus esset à Domino, vectigal reliquit, nullum vitæ huius respectum vel cogitationem sibi reseruauit, & periculum non exiguum cōtempfit, cō quòd rationes vectigalium incompositas relinqueret ac imperfectas. Mirandum est sanè, quòd hic vsurarius opes malè partas, diuq; seruatas in vniuersum deserat, neque contentus peccandi occasionem omnem tollere, sui etiam prauis instituti socijs ad pœnitentiam conuertendis dat operam, vt secum illos ad Christum adducat, suæq; pœnitentiæ consortes habeat. Nec enim temerè Christus hoc loco dixit, *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*, quem admodum Græci codices hoc loco habent, & Lucas euidenter expressit.

QVAPROPTER ego Matthæi huius non amicos, sed inimicos. ac in primis deplorandos illos putabo, quos infelix auaritia tantoperè occæcauit, vt Dei timore, suæq; salutis negotio postposito, in quouis ferè commercio improbæ pecuniæ studium spectent, & pecuniæ obedire nitantur, terrenis facultatibus inhiantes, solasq; certas, cœlestes & perpetuas opes turpiter amittentes. Hi planè stupidi sunt, quòd parùm aut nihil illa Scripturæ verba ponderent, *Auaro nihil est sceleratius: Nihil iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet. Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucratur, anima vero sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quàm isti procū ab illo Christi præcepto videntes ac scientes aberrant? *Facite vobis*

Matth. 13.
Luc. 8.

Luc 14.
In Regulæ
cap. 5.

Luc. 5.

Ecci. 10.

Matth. 16.

Luc. 16.

- amicos de mamona iniquis atis, vt cum defeceritis, recipiant vos in eterna tabernacula.* Etenim hac exitiali peste laborantes, ex mamona non sibi amicos, sed omninò tot inimicos conſtant, quot ſuis vſuris in hac vita premunt & opprimunt. Quare illos ipſos pro patronis accuſatores coram Chriſti iudicio experientur, ac ſeueræ Dei vindictæ ſubiacebunt. *Stabuunt enim iuſti vt ſcriptum eſt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiaz uerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* Tunc iſti cum alijs auaritiæ mancipijs mercedem ſe dignam recipient, pro luce tenebras, & pro requie luctum exitiumq; perpetuum reportaturi, nec minùs quidem arſuri apud inferos, quòd cum plurimis ſui ſimilibus ardeant. Ita demum Chriſti vaticinium certo certius implebitur: *Mittet, inquit, Filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittet eos in caminum ignis. ibi erit fletus & ſtridor dentium.*



DE B. MATTHAEO APOSTOLO
ET EVANGELISTA.

- L**XIMIA, & meritò prædicanda eſt mihi gratia Redemptoris, qui hunc diſcipulum ſuum, vt cum Pſalmiſta loquar, præuenit in benedictionibus dulcedinis, quãdo illum apud Capharnaum in telonio ſuo ſedentem aſpexit, vocauit atq; ad meliorem frugẽ conuertit, immò ſuũ etiam Apoſtolum fecit. Cuius conuerſionem ego tanto maioris faciam, quanto rarior & admirabilior fuit, cum de nullo alio telonario vel publicano legamus, quem Chriſtus velut magnes ferrum, tam potenter ad ſe pertraxerit, ac velut ex profundis ſordibus ac fæcibus erutum, altiùs euexerit, ad ſublimem nempe ac præcellentem ordinem Apoſtolorum. Is Alphaei fuit filius, Leni etiam nominatus, ſicut Marcus & Lucas oſtendunt. Vitam eius ante conuerſionem Simeon Meta-

phraftes ita describit, quòd pecuniarum exactor & ratiocinator fuerit tam industrius, vt omnes quæstus faciendi vias & artes cognosceret, mentis etiam acrimonia, multoq; rerum vsu adeò præstans, vt inter publicanos, de quibus antea diximus, locum principem obtineret. Quare non vulgaris ille, sed iuxta sæculi morem inter alios sui ordinis homines fuit excellens, vir in agendo peritus, multumque versatus, eòq; aptior, vt est verisimile, ad Euangelij scriptionem. Ego Matthæi humilitatem in primis laudabo, qui quum cognomen suum dissimulare potuisset, sicut alij duo fecerunt Euangelistæ, à quibus Leui tantum vocatur, tamen se Matthæum ac publicanum aperte prodidit. Adeò illum non puduit & Christo gloriam dare, & seipsum, qui antea sordidè vixisset, pudescere: quoniã vt Salomon scripsit, *iustus prior accusator est sui*. Eandem submissionem in Paulo cernimus, qui se inter peccatores primum constituit, suamq; ad munus Apostolicum indignitatẽ liberè profitetur, ac de omnibus pronuntiat, *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit: ipse se seducit*. Mirabor & huius Matthæi obedientiam, qui semel vocatus à Domino, quum illum fortassis antea nec docentem audisset, nec vlla facientem miracula cõspexisset, & præterea vectigalium rationes in compositas haberet, nec sua cum amico vllò consilia contulisset: tamen euestigiò paruit, nullumq; locum humanis rationibus aut impedimentis obuijs dedit. Statim enim atq; vocatus esset, relictis omnibus (hoc enim Lucas addit) quæ non erant pauca & modica, vocantem Dominum secutus est, corde nimirum & corpore, & imitatione, certoq; consilio ad hoc suum telonariũ officium nunquam postea redeundi, sicut illum quoque non redijssẽ testatur Gregorius. Efficax profectò isthęc Christi gratia fuit, solo conspectu, & duobus tantum verbis Matthæi pectus ita mouere atq; mutare; vt ille vitijs & cupiditatibus quibus complures ad omnem peccandi licentiam pertrahuntur, nuntium remitteret, ac suas insuper facultates & opes, ob quas alij tanquàm pro aris & focis pertinaciter pugnant, omninò desereret, ac demùm quod est amplius, suæ quoq; vo-

Matth. 9.
& 10.

Prou. 18.

1. Tim. 1.
1. Cor. 15.
Galat. 6.

Luc. 5.

Homel. 24.
in Euang.

A&t. 9.
Pfal. 107.
Pfal. 72.
Pfal. 30.

1. Reg. 15.

Hebr. 2.

Iohan. 6.

Apocal. 3.

luntati renuntiaret, solus vt è Christi pendèret arbitrio, & ad nutum eius se facturum & passurū omnia decerneret. Perinde ac si cum Paulo se totum offerens, Christo diceret: *Domine quid me vis facere?* vel sicut Propheta loquitur, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. In manibus tuis sortes meae.* Quòd si felix Matthæo fuit hæc celeris & expedita obediētia, quæ sacrificijs externis omnibus præstat, an non ego me infelicem habebō, qui tot annis vocantem, iubentem, minantem & flagellantem Dominum audio quidem, sed vocem eius non sequor, eiusq; beneficijs non moueor, nec pœnis impellor ad benè beatèq; viuendum? Quid verò Paulus? *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* vt reliqua prætermittam. Probabo insuper singularem Matthæi hospitalitatem, qui non sola in Christum fide contentus, mox officiosam charitatem exercet, quando ad gratitudinem & obseruantiam optimo benefactori præstandam accingitur, & non rogatus, vel monitus, dominum hospitio excipit, eumq; tractat haud dubiè nō sine studiosa & magnifica liberalitate. E' domo sua velut cathedrā & ecclesiam facit, in qua Christus commodè veluti concionetur, & Apostoli pauperes cibo potuque recreentur, nec minus publicani, alijsque infames homines quodammodo catechizentur. O' gratum Christo conuiuium, in quo Matthæus volens & pascit & pascitur, vbi sancta colloquia instituuntur, & peccatores ad iustitiam consequendam manna cœlesti reficiuntur, vt è carnalibus fiant spirituales, eoq; cibo nutriatur, de quo alibi dixit Dominus: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dat vobis.* Dolebo interim, id mihi cum Matthæo non esse commune, vt Christum in ædes meas inuitem hospitem, eumq; venientem admittam ac tractem conuenienter. Sic enim idem apertè testatur: *Ecce sto ad ostium* (cuiuscunq; nempe Fidelis) *& pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Non dicam de alijs, quæ in Apostolis omnibus locum & laudem obtinent, ac id circò à

Matthæo

Matthæo aliena videri non possunt, utpote quod Christo veluti magistro fideliter adhæserit, doctrinam eius Evangelicam cupidè hauserit, ex multis eiusdem conspectis miraculis fructum cœperit singularem, quodq; laborum, curarum, angorum Domini, quamdiu in terris ille vixit, particeps fuerit, magnosq; progressus demū fecerit in solida pietate. Hoc ego magis in Matthæo commendabo, quòd in Apostolatus munere sit ita versatus, ut concreditum sibi talentum magno cum fœnore reddiderit atq; comprobarit Christo creditori. Cùm enim illius concionibus & exemplis esset satis instructus, & à Spiritu sancto varijs etiam dotibus cumulatus, in Evangelica re propaganda multum ille apud Iudæos primū, ac deinde apud Aethiopes, uti meminit & Origenes, aliasque gentes indefessè laboravit. Christi quippe præceptum illius animo semper erat infixum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumq; mandavi vobis*, quemadmodum idem Apostolus Evangelium suum ferè conclusit.

SAPIENTER autem suis Iudæis in fide iam institutis hoc tribuit, ut ab eis non transiret ad Gentes, nisi summā prædicationis suæ scripto quodam comprehensam traderet, ad eòque sacrum Christi Evangelium illis orantibus relinqueret Hebraicè scriptum. Hoc ego magni semper faciam, & reuerenter legam, quoniam inter alia Evangelia, quæ semper singulari veneratione complexa est Ecclesia, sacrisq; libris omnibus præfert, Matthæi Evangelium primum obtinet locum, ac talem habet autorem, de cuius fide nemo dubitare possit, quiq; præsens & vidit & audiuit ferè omnia, quæ in eo libro diuino scribuntur. Constat autem, ex duodecim discipulis duos duntaxat diuinitus electos esse, qui præclarum Evangelistarū nomen, laudemque tenerent in Ecclesia immortalem. Deinde Matthæum hunc æmulatus fuit Marcus Evangelista, ut idcirco à quibusdam Matthæi assæcla & breuiator nuncupetur, licet iussu Petri Apostoli Romæ scripserit, ut aliàs^a est indicatū. Et Apostolus quidem Bartholomæus^b tanti fecit hoc ipsum

In librum
Genes.

Matth. 28.

^a In Festo
D. Marc.
^b Vide Euseb.
lib. 3. c. vlt.
& 18.

Hist. Eccl.
l. 5. cap. 10.
Niceph. lib.
4. c. 32. & l.
16. c. 37.
Astor. 4. 9.
& II.

Euangelium, vt sit illud interpretatus, & literis Hebraicis conscriptum non modò predicauerit, sed moriens etiam reliquerit fidelibus, sicut apud Eusebium Panthænus asserit: idemq; opus postea illæsum fuit inuentum atq; integrum, vt in primis formis literarum nihil commutatum esset. Tum Barnabas Apostolus, quem Lucas sæpè commendat, hoc Euāgelium tam charum habuit, vt suis illud manibus descripserit, & in patriā Cypriam detulerit, ex quo haud dubiè instruxit populū, quod præterea cū suo corpore voluit terræ mādari, idq; sub eius pectore, cū regnaret Zenon Imperator, post multas ætates in Cypro inuentum est. Proinde non mihi solū, sed etiam vniuersæ gratulabor Ecclesiæ de tam nobili ac diuite publicano, in cuius velut ædibus conuiuas agimus cum Christo ipso discumbentes, quoties Euangelicis edulij ac ferculis optimis à Matthæo paratis pascimur ac nutrimur.

In Euang.
sept. panū.

2. Tim. 4.

Matth. 5.

Apocal. 21.

NEC solū ille scripsit & docuit Euangeliū scriptor primus noui Testamenti, vti eum Bernardus appellat, sed præclaris quoq; miraculis illustrauit, adeò vt cæcis oculos restituerit, leprosos curarit, alios paralyti liberarit, sed & quosdam defunctos ad vitam resuscitavit. Non enim illi defuerunt signa perfecti Apostolatus, sed in opere simul & sermone potens extitit, opusq; fecit proprium Euangelistæ, vt Paulus loquitur, Domino vtiq; cooperante, & sermonem eius confirmante sequentibus signis. Viginti tres annos in Aethiopia piscatorem egit hominum, nec modò fidem Christi latè propagauit, sed etiam Presbyteros & Diaconos instituit, ciuitatibus Episcopos præposuit, multa templa fundauit, ritus Ethnicos abrogauit, Aegippum regem eiusque coniugem ac filiam cum innumeris alijs Christo & Ecclesiæ lucrificavit. Cur ergo Matthæum ex animo non venerer, qui verè doctor est magnus in regno cœlorum, vt Christus loquitur, quoniam semel vocatus à Domino, fecit & docuit Domini sui voluntatem, factus è publicano pœnitentiæ speculum, & vnus ex primis illis Ecclesiæ fundamentis duodecim, sicut Iohannes appellat, Christi que mansurus præco & testis omni maior exceptione ad finem

vsq; sæculi vbiq; gentium, vt de illo etiam quemadmodum de Magdalena, meritò dici possit; *Amen dico vobis, vbi cunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit (aut scripsit ille) in memoriam eius.*

Matth. 26.

PRAETERMISSIS autem alijs, quæ ad fide dignam tanti Apostoli historiam spectant, vnum ego ad sacri calibatus commendationem hic silere non possum, nec debeo. Fuit Regis Aegypti filia illustris Iphigenia, quam hic Apostolus nò solum ex Ethnica Christianam fecit, sed etiam in susceptæ virginitatis proposito confirmavit, sponsoque Christo sponsam consecrauit, quin & ducentis virginibus alijs veluti magistrâ præfecit. Accessit autem Hirtarchus (alij Hirtacum vocant) qui demortuo patri Iphigeniæ in regno successerat, eamque virginem in coniugem sibi dari ardentè appetiuit, ac ideò Matthæi opem implorauit, qui suasiõne & autoritate sua virginis animum ad oblatas nuptias permoueret. Qua de re Apostolus nihil respondit aliud, nisi quod in proxima concione de coniugio esset tractaturus, seq; cupere, vt virgines complures ad audiendum adessent. Habita est igitur ab eo concio, sed quæ Hirtarchum grauitè offendit, quod præter suam expectationem audiret, virginitatem coniugio anteferri, magnisque laudibus efferri, dictamque Iphigeniam in susceptæ virginitatis proposito stabiliri. Etenim illa oblatas Regis nuptias constanter deinde spreuit, & cum alijs multis virginibus Christo immortalis sponso se penitus dedicauit. Quæ narratio non parùm lucis affert ac roboris, vt non solum Ecclesiasticam, sed & Apostolicam complectar doctrinam, quæ coniugium Christianum ita probat, vt pium calbatum magis probet ac suadeat. Nota est enim illa Christi sententia: *Sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Notus & locus Apostoli: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* ac iterum inquit ille: *Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit, & qui non iungit, melius facit.* Et nulla quidem ætate Ecclesiæ defuerunt sacræ virgines, sicut Thecla, Valeria, Agnes, Prisca, Cæcilia,

Matth. 19.

Corin. 7.

Eod. loco.

Epistol. ad
Antioch.
Lib. 1. ep. 11.
Lib. 6. cont.
Donatist.
Lib. de S.
Trinita. c. 2.
1. Corin. 7.
Chr. & Am-
brof. in eūd.
Pauli locū.

quæ suum cælibatum voto firmarent. Eas Ignatius DEO se consecrantes, Cyprianus DEO dicatas, Optatus velatas Christi sponsas, & Augustinus Deo dicatas pia continentia virgines vocat. Quod verò Paulus affirmat, *Si nupserit virgo, non peccauit*, ad nondum velatam, Deoque consecratam spectat, sicut Chrysostomus & Ambrosius palam interpretantur. Nam quæ Christo se spondit, & sanctum velamen accepit, vt verbis vtar Ambrosij, iam nupta & immortalī viro coniuncta est, vt si nubere voluerit, communis coniugij lege adulterium perpetret, & ancilla mortis efficitur. Atque hæc obiter, vt quiuis iudicet de sacrilegis complexibus & incestis nuptijs plurimorum, qui continentiam Deo Ecclesieque promissam impudenter violant, atq; vt Paulus ait, primam fidem irritam faciunt, honestum interim coniugij nomen suis impurissimis connubijs prætexentes.

1. Tim. 5.

QVAPROPTER, vt semel finiam, hunc venerandum Apotolum & Euāgelistam maiorem in modum amabo, colam, & pro meo quidem modulo imitabor, præsertim cum videam, illum tanto alienæ pudicitie tuendæ zelo flagrasse, vt præsentis etiam vitæ periculo se quasi victimam obiecerit, & inuictum sanctarum virginum patronum vsque ad mortem egerit aduersus tyrannum Hirtarchum. Discam insuper ab illo frugalitatem & abstinentiam in victu, quandoquidem, vt Clemens Alexandrinus notauit, seminibus, baccis atque ole-ribus absque carnibus vesceretur. Sed & maiore fide ac reuerentia complectar sanctum Missæ sacrificium, quod Christus in vltima cœna primus instituit ac obtulit, suisque discipulis commendauit inquitens, *Hoc facite in meam commemorationem*. Hos autem sacrificasse, ex Augustino & alijs Patribus facile confirmatur. Et sicut Andreas Apostolus, quod alibi dictū est, ita Matthæus etiam ad altare sacrificauit, quin etiam prope illud sanguinem pro Christo fudit, nimirum vt munus Apostolicum, quo summa cum Dei gloria & hominum utilitate functus fuerat, martyrij laurea cumularet.

Lib. 2. præ-
dagogicæ
cap. 1.

Matth. 26.
In festo eiu-
dem Apōst.
Epist. 59. ad
Paulin.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Fcsto coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt ex peccatoribus & peccatricibus complures à Christo tam clementer ac potenter, sicut Matthæus, respiciantur, atq; vocati ad pœnitentiam conuertantur. Etenim ille misericordiam est consecutus, vt in eo Christus ostendat omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt in vitam æternam, si Paulinis verbis vtendum est.

1. Tim. 1.

ORABRO itidem pro usurarijs, negotiatoribus, & auaris omnibus, vt seipsos agnoscant, & Mamona serui esse desistant, cum Matthæo autem relictis impedimentis perfectam vitæ conuersionem serio meditentur, vt ubi abundauit peccatû, abundet quoq; gratia.

Rom. 5.

PRAETEREA diuina gratia commendabo cunctos, qui lethalis peccati vinculis astricti, in Satana sunt potestate, & nisi à Christo vocati surgant, ipsumq; sequantur, æternæ mortis periculû effugere non possunt. Ad hos illa pertinet sententia, Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus.

Ephes. 5.

NEC omittam Ecclesiasticis & religiosis hominibus eam gratiam à Deo petere, vt in vocatione sua cum Matthæo dignè ambulent, recteq; tractent Euangelium, nec sibi modo, sed alijs etiam lucra spiritualia colligant, quibus ditetur & ornctur Ecclesia. Etenim si quis Ecclesiasticus domui suæ præesse nescit: quomodo Ecclesia Dei, vt Matthæus, diligentiam habebit? Qui verò benè ministrauerit, habens mysterium fidei in conscientia pura, gradum sibi bonum acquirere, & multam fiduciam in Fide quæ est in Christo IESV, sicut Paulus doctor gentium admonet.

1. Tim. 3.



IN DIE FESTO
SANCTI ARCHANGELI
MICHAELIS, AC BEATORVM
SPIRITVVM SIVE ANGE-
lorum omnium.

Sequentis Euangelij Argumentum..

APOSTOLI non sine spiritu. quodam ambitionis de primatu inter se in via contenderant : idcirco a summo humilitatis magistro. Christo hic palàm reprehenduntur, & ad imitationem puerorū, qui natura sunt simplices, modesti, humiles ac innocentes, serió reuocantur. Ac eos demū omnes qui salui esse vnquam cupiunt, Christus admonet puerilem referre ac retinere modestiam, & ab omni elationis ac ambitionis vitio alienos esse. Quod vitium etiam Apostolorum animos titillauit, & ad contētosam disputationem adduxit, sed quorum malè sanos affectus Christus medicus sanaturus, in eorum medio puerum collocauit, nimirum vt talis magister vel solo cōspectu: fastum humanum omnem illis extundat: prohibeatq; . Hac occasione Dominus plura de pueris commemorat, qui suo quidem loco ab omnibus recipiantur atq; foueantur: eosq; sibi charos esse declarat, & alijs commēdat fidelibus. Sic & alibi complexans illos. & imponens manus super illos, ac benedicens eis dixit: Sinite paruulos venire ad me: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: quisquis nō receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud: Adhæc comminatur Christus il-

Marc. 10..

lis gra-

lis grauitèr, qui huiusmodi commédationis obliti, offendit paruos, vt illis offendiculū quoq; ponat, siue id sermone fiat, siue exemplo prauo, vita vel doctrina improba. Deus enim impunè manere non sinit, sed seuerè punit, quocūq; modo vel vnū è paruulis offenderis, contèpseris, læseris: quoniā in sanctissimā Trinitatē propter illos delinquis. Cū autē id fiat passim, minimèq; parcatur paruulis, & illorum similibus, qui verè sunt simplices & humiles, non potest sceleratus hic mundus non obnoxius esse maledictō, quod propter scandalum datum Christus hic eidem mundo interminatur, ad eòq; conduplicat. Indicat præterea, satius fore Christiano, se morti quamuis acerbæ & violētæ obijcere, quàm hominem siue magnū, siue paruum offendere, causamq; præbere, vt alius eo cū in peccati foueam atq; in æternum exitium pertrahatur. Peculiariter autē, si tutiorem parandæ salutis viam quærimus, non solum ab externis & palam impijs hostibus, qui nos offendere possunt, hic auocamur, sed etiam à parentibus, amicis ac familiaribus, eorumq; consuetudine praua nobis cauere iubemur, etiamsi charissimis & amicissimis hominibus carere debeamus. Postremò ad puerorum commendationem hoc Christus adiungit, illis adesse semper Angelos tanquàm ministros, custodes atq; tutores singulari Dei prouidētia deputatos, licet interim ijdem Angeli Creatoris sui iucunda præsentia nunquam non perfruantur. Quis ergo sapiens pueros etiam pauperum, licet vulgo despectos, ac Deo charos, in pretio non habeat? quis in illos peccare non vereatur? quos tanti faciunt nobiles creaturæ beati Angeli, vt illis ipsis assistant peruigiles, vt suum illis ministerium die ac nocte paratū tribuant, vt se dæmonibus pro illis tuendis opponant, vt eisdem salutaria quæq; studiosè procurent, & quos demū Apostolus non temerè spiritus vocat administratorios in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Rectè igitur in hunc locum Hilarius: Periculosè ille contemnitur cuius desideria ac postulationes ad Deum æternum ambitioso Angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur.]

Cano. 18.
in Matthe.



EVANGELIVM MAT-
thæi XVIII.



IN illo tempore acceſſerunt Diſcipuli ad IESU-
M dicentes, Quis, putas, maior eſt in regno
cœlorum? Et aduocans IESUS paruulum,
ſtatuit eum in medio, & dixit, Amen dico vo-
bis, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non in-
trabitis in regnum cœlorum. Quicumq; ergo humiliauerit ſe ſi-
cut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum. Et qui ſu-
ſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit.
qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me cre-
dunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſimaria in collo eius, &
demergatur in profundum maris. *Ve mundo à ſcandalis: ne-
ceſſe eſt enim vt veniant ſcandala. verumtamen va homini
illi, per quem ſcandalum venit. Si autem manus tua vel pes
tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proijce abs te: Bonũ tibi
eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus
vel duos pedes habentem mitti in ignem aternum. Et ſi oculus
tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum tibi eſt
vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos
habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis
vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli
eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei
qui in cœlis eſt.*

NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini
sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

VRE mirabor ac metuum, eò quòd Christus natu-
râ benignus, placidus ac mitis, hoc loco charissimos
discipulos ob vnum vitium ambitionis tam seuerè
tractet, illudq; sub pœna damnationis æternæ cun-
ctis prohibeat. Viderant illi, ac fortassè subinuidebant, Petrum
Christo præ cæteris esse familiarem, qui & eximijs magistri
promissis ornaretur, & quem Christus sibi velut æquaret in
solutione didrachmi, cùm diceret, *Inuenies (Petre) staterem;
illum sumens da eis pro me & te.* Hunc ergo vnum cæteris præ-
ferri, ac in toto collegio velut caput aliquando futurum desi-
gnari, non æquis ferebant animis, quemadmodum & Zebe-
dæi filijs idcirco succensebant, quòd primum sibi locum in
Christi regno appetere, in hoc matre subornata. Quem hu-
manū affectum vt frequenter, sic etiam grauitè in illis corri-
pit Christus, & nisi respiscant, exitium illis minatur perpetuū.
Quòd si vnus cogitatione tātum ambitiosus, licet in fide sin-
cerus & Apostolus, tam enormiter peccat, vt sine pœnitentia
saluari, & gehennam ignis effugere non possit: quid illis ego
futurum putem, qui multis criminibus fidem pollutam cir-
cumferunt, & sine pœnitentia è viuis excedunt? Sunt & alia
consimilia, quæ in præsentì Euangelio mihi metum ac terro-
rem incutiunt, quandoquidem Christi maledictò subiacere,
ac æternis inferni pœnis addici illum audio, qui vel vnum cõ-
temnit aut scandalizat paruulum, quiue verbo aut opere scã-

dalum

Matth. 17.

Matth. 20.

Marc. 9.
Luc. 9. & 22.

Matth. 5.

Marc. 7.

Lih. 12. de
Trinit.Lib. 1. de
serm. Dom
in monte.Rom. 7.
Serm. de
morbo &
vitijs.Matth. 15.
Rom. 1.

dalum præbet fratri, atq; adeò qui oculum, manum, aut pedè sibi non tollit, sed retinet scandalizantem. Non læta isthæc certè sunt nuntia, sed diræ potiùs ac terribiles comminationes, mihiq; tantò magis formidabiles, quòd secundum illas iudex omnium Christus mundum haud dubiè iudicabit atq; damnabit. Idem verò peccati ac pœnæ periculum subibit, quisquis oculos sibi permittit impudicos, vt obliuiscatur sententiæ quæ à Christo traditur, *Ego dico vobis, quia omnis qui videt mulierem ad concupiscendum iam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Tum alibi docet, hominem non solùm adulterijs, fornicationibus, homicidijs & furtis, sed etiam oculo malo, superbia, & cogitationibus prauis coinquinari. Vnde Augustinus hanc veluti regulam notatione dignam in medium adfert: Propter peccata cogitationis, etiam sine voluntate perficiendi, sed cum voluntate oblectandi, totus homo damnatur. Ac idem alibi docet: Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestionem, delectationem & consensum. Si autè consensus fuerit, plenum peccatum erit. Hinc illud præceptum Dei extat: *Du sollst den Lústen kein statt geben.* Confirmat hæc omnia Ephræm Basilij Magni Diaconus, præclarè ita differens: Ex consensu Dominus iudicat adulterium, & ex mulieris cupiditate factum metitur, & eadem ex iracundia, & odium existimat homicidium. Ne dixeris ergo, nihil esse cogitationes, quando consensus earum pro factis existimatur. Omnium quæ voluntas approbat, Deus rationem repetit. Actionis vis & caput in ipso consensu & proposito situm est. Vnde Dominus dixit, malis cogitationibus hominem coinquinari. Et Paulus affirmat, Digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.]

A B S I T igitur, vt blandis istis consolatoribus aurem præbeam, qui vt sibi & alijs omnis licentiæ laxent habenas, vix vquam de iustitia Dei & pœnæ gehennæ concionantur, & in prædicatione pœnitentiæ sunt muti, quia Deum credentibus propitium fore audacter pollicentur, fideiq; non operum ra-

tionem

tionem haberi volunt in iudicio Dei. Aliter sanè Christus docuit, & in Ecclesia doceri voluit, cum eiusmodi conditiones euidenter expressit, *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.* Nec dissimile illud est, *Nisi conuersi fueritis; gladium suum vibrauit*, vt reliqua id genus prætermittam. Tum Apostolus ab hac docendi forma non discedit, sed conditiones quasdam à lapsis exigens ita scribit, *Has habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* ac iterum: *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino.* Prodest interim, has Christi comminationes, quas de gehenna ignis Euangelium repetit crebrò, aliosq; similes locos de iudicio Dei etiam atque etiam perpendere, vt rectius constet, Euangelium rem esse non adeò suauem ac facilem, sicut nunc plurimi arbitrantur, & pœnitentiæ doctrinã in Ecclesia necessariò inculcari, & à peccantibus omnibus exigi, vt homines siue in via Dei stantes, siue lapsi, melius in officio contineantur, omnemque peccandi libidinem ac securitatem, quæ summos etiam viros aliquando corripit, veluti præsentem pestem fugiant & exhorrescant. Vbi dolebo & ego, me sicut à puerorum innocentia & modestia, sic etiam à monte Dei sancto qui cœlestis est patriæ portus, & nullum impurum admittit hospitem, tam procul abesse, sed & ad illius consensum tardè progredi, siue vt Propheta loquitur in corde meo ascensiones non disponere. De hoc monte testatur Psalmographus, quòd illum ascendere, & in sancto loco illo requiescere non possit, nisi innocens manibus & mundo corde quis fuerit, qui ingrediatur sine macula, & iustitiam operetur. Hoc est quod Iohannes quoque scribit in Apocalypsi, *Nō intrabit in eam,* (cœlestem nempe Ierusalem) *aliquid coinquinatum.* Vnde porrò colligam, Christum verè nos præmonuisse: *Multi quidem vocati, pauci verò electi,* quandoquidem è multis in omni ordine peccantibus rari ad pœnitentiam Euangelicã ferio sese cōuertunt, & quemadmodum Apostolus Petrus po-

Matth. 18.
Luc. 13.

Psal. 7.

2. Cor. 7.

2. Tim. 2.

Matth. 3. 5.
18.

Marc. 9.

Apocal. 21.
Psal. 83.

Psal. 23.
& 14.

Apocal. 21.

Matth. 20.
Marc. 10.
Luc. 13.
1. Pet. 2.

stulat,

Matth. 7.

stulat, veluti modò genitos infantes, & ratiocinabiles paruulos exhibeant sese. Quæ res mihi torporem excutiet, ac maiorem iniiciet vigilantiam, vt si saluus esse cupiam, cum paucis angustam, & à Christo propositam ingrediar viam, quæ ducit ad vitam, & à paucis inuenitur. *Contendite, inquit, intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, querent intrare & non poterunt. Si enim iustus vix saluabitur, vt princeps inquit Apostolorum, impius & peccator vbi parebunt?*

I. Petr. 4.

I A M verò ex præsentis Christi oratione, quæ nos ad puerilem quasi simplicitatem & innocentiam reuocat & astringit, in primis ego discam inter alia vitia, quæ mihi diuinitus prohibentur, ambitionem valde fugiendam ac detestandam esse. Hanc enim Deus excelsus in Angelis, quantumuis natura excellentibus, & Christus in lectissimis Apostolis ferre non potuit, cum sit pestis vt in cœlis, ita & in terris execrabilis, ac simul exitialis. *Abominatio enim Domini est omnis arrogans, &*

Prou. 16.

Isai. 42.

Prou. 8.

Sophon. I.

Isai. 2.

*quia suam ille gloriam non dat alteri, propria eius vox est critique semper: Arrogantiam & superbiam ego detestor. Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur, sicut ab Isaia quoq; dictum est, Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem; & humiliabitur; vt reliqua præteream. Quod vitium tantò mihi grauius atq; intolerabilius videbitur, quantò filiorum Adæ natura est corruptior atq; ad prauitatem omnem procliuior, in quibus hoc malum quasi congenitum se libenter attollit, & vix vnquam satis deprimi ac euelli potest. Quod cum sciret Christus, velut optimus sapientissimusq; magister, nihil in docendo diligentius obseruauit, quàm vt pessimam radicem ambitionis extirparet, eiusque loco herbam nobilissimam humilitatis cunctorum animis infereret atq; commendaret. *Discite à me, inquit, quia mitis sum & humilis corde. Omnis qui se exultat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur; sicut & Petrus Apostolus dixit, Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.* Mirum fanè, quàm sit hoc subtile malum, quàm facile animum humanum penetret, quantamq; malorum lernam secum trahat: quoniam &*

Genes. 8.

Mat. h. II.

Luc. 18.

I. Petr. 5.

facrum

sacrum collegium Apostolorum inuasit, & Christo eguit frequenti monitore & acri medico: quod & iustos vehementer infestat, & quasi cum ipsa virtute crescit, & nec iuuenes nec senes reueretur. Nullum est vitium aliud, quod ita omnes virtutes obscurat, opprimat, exhauriat, cunctaq; iustitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet, vt superbiæ malum, sicut astruit Cassianus. Ac latè quidem patet hæc dira lues, quæ non solum dominandi cupiditatem suggerit, sed etiam vitiosos illos complectitur affectus, laudis appetentiam, arrogantiam, sui complacentiam, inuidentiam, vt alias id genus corruptelas omittam. Ego igitur, qui hanc ferocissimam bestiam, & cunctarum virtutum, vt sic loquar, deuoratricem expugnare habeo, si Christum mihi quidem amicum cupiam, illam Spiritus sancti vocem sæpè audire videbor, *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos?* Tum Dauidis inclyti regis æmulabor exemplum, qui nihil sibi, Deo autem plurimam fidens, bona conscientia dicere potuit, *Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei, neq; ambulauit in magnis, neq; in mirabilibus super me. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam. Non veniat mihi pes superbiæ.* Qui Propheta regius vt se minimè ambitiosum, sed humilitatis planè studiosum demonstraret, ad vxorem, à qua in diuino cultu ridebatur, dicere nõ dubitauit, *Vilior sum plus quàm factus sum; & ero humilis in oculis meis.* Meminero sententiæ à Leone magno traditæ: Vicinum est rectis actionibus superbiæ malum, & de proximo semper virtutibus infidiatur elatio: quia difficile est vt laudabiliter viuentem laus nõ capiat humana, nisi, vt scriptum est, *qui gloriatur, in Domino gloriatur.*] Ac idem alibi rursus: Superbiæ spiritus, de quo sunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellantur; & qui elatione tumuerant, mansuetudine mitigentur.] Proinde maiore in modum curauero, vt contra omnes ambitionis & arrogantiæ afflatus & impetus in Dei timore, q; expellit omne peccatũ, & in humilitate virtutũ omniũ genitrice, quæ de mansuetudine cordisq; simplicitate descendit, firmo atq; fundatus pmaneam.

Lib. 12. Institut. c. 3.

Isai. 66.

Psal. 130.
& 100.

Psal. 35.

1. Reg. 6.

Serm. 4. de
Quadrag.2. Cor. 10.
Serm. 6. de
Quadrag.

Ecccl. 1.

Qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. qui autem scandalizauerit vnu de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius.

Pfalm. 33.

Matth. 19.
Marc. 10.
Luc. 18.

HIC ego me primùm de paruulis, & postea de scandalis commonefaciam. Ac magnæ quidem mihi curæ semper erit proba disciplina & institutio puerorum, quos libenter, si possim, adiuuabo, & certè amabo, sublimis Prophetæ & Regis exemplo, qui sancto zelo succensus dixit, *Venite filij audite me; timorem Domini docebo vos.* Quid quòd Christus Dominus paruulos amat vehementer, eosque non modò suis Apostolis, sed & cunctis fidelibus accuratè commēdat? Pueros enim ad se gaudet adduci, ac præsentés amanter amplectitur, immò & osculatur, & benedicit manibus, ac peculiariter laudat, velut quibus regnum cælorum vel maximè competat. Non vana, nec leuis est promissio, quòd qui pueros, mundo licet neglectos & despectos accipit, Christum ipsum accipiat, & Angelos eorum honoret: qui verò illos contemnit, Dominum ipsum atq; angelos illorum custodes contemnat, sicut ex hoc Euangelio intelligimus. Qui hos ipsos etate licet teneros, corpore imbecilles, & prudentia exiguos offendit, in Dei filios, Christi fratres, & sancti Spiritus membra peccat, adeoque in horrendum irati Dei iudicium incidit, ignisq; gehennæ pœnâ, quæ nunquam finienda est, suo tempore acerrimè vindicatur. Accedit quòd paruulus non solùm adultis alijs, sed ipsis etiam Apostolis proponitur, à quo veluti doctore discant omnes necessariam humilitatem, simplicitatem, mansuetudinē, innocentiam, si ad cælos quidem saluum sibi patere aditum velint. Paruulorum ætas ab omni arrogantia fumo, ab omni inanis gloriæ furore, ab omni liuoris vefania, omni contentionis cupiditate, & à cæteris huiusmodi pestibus immunis est. Non illi nouerunt inuidere, nec inaniter gloriari, nec primatus dignitatem appetere, nec odio & rancore pertinaci fo-

lent affici, & si laudentur ac honorentur, philautia nulla comouētur, sicut de his Chrysoſtomus diſſerit. Certè paruulus, cuius exemplum nobis Chriſtus non temerè ſpectandum offert, impatiens non perſeuerat in iracundia, læſus nō meminit, videns pulchram mulierem non delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur. Sic & vos niſi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis regna cœlorum intrare, ſicut hunc locum Hieronymus interpretatur.

PROINDE ſi ſapiam, in me ipſum ſæpè descendam exploraturus, quàm ego procul à puerorum diſtem conditione ac innocētia, certòq; ſtatuam, me tantò longiùs à Deo Deiq; regno abeſſe, quantò minùs retineo de pura, ſimplici, innocua & amabili indole paruulorum. Non enim fallit luculenta, & obſeruatione digna Chriſti regula: *Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnū Dei velut paruulus, non intrabit in illud.*

Ac rurfus: *Qui cūq; humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cœlorum.* Quæ verba Leo Magnus expendens, præclare ſic diſſerit: Amat Chriſtus infantiam, quam primùm & animo ſuſcepit & corpore. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentia regulam, manſuetudinis formā. Amat Chriſtus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternū.] Vt autem plenè valeam agnoſcere, quomodo apprehendi poſſit tam mira conuerſio, quæ in puerilem gradum transformat hominem, Paulum docentem audiam: *Nolite pueri eſſi ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.* Cæterùm quod de paruulis in Euangelio dictum eſt, ego etiam de alijs ætate grandioribus intelligam, qui nec eruditione pollent, nec vſu rerum valent, cū ingenio ſint obtuſiore, & ſingularem ſimplicitatem ac in agendo ſtupiditatem & ineptitudinem præ ſe ferant. Nam & Chriſtus mundi ſapientes opponit paruulis inquiring: *Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelati ea paruulis.* Et vxor Iob vt ſuum maritum velut puerum aut ſtultum faciat, dicere non veretur: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* quo

Homil. 59.
in Matth.

AB

Lib. 3. in
cap. 18.
Matth.

Marc. 10.

Matth. 18.
Serm. 7. de
Epiphan.

1. Cor. 14.

Matth. 11.

Iob. 2. & 12.

1. Cor. I. **N**am vt idem Iob inquit, *deridetur inſtu ſimplicitas*. Nec temerè dixit Apoſtolus, *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat Sapientes*. Ad huiusmodi paruulos, qui ingenio & iudicio ferè carent, ac tamen in ſua perſiſtunt innocètia, illud Chriſti verbum ſpectat: *Talium eſt regnum Dei*, quantumuis mundo interim contempti ac deſpecti cum ſanctis Apoſtolis habeantur.

Matth. 19. Nam & Apoſtolica vox eſt: *Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto*. Hinc Iulianus Apoſtata, & Porphyrius graues Chriſtianorum perſecutores Matthæum Apoſtolum pro puero & fatuo habuerunt, & pro ſua quidem prudètia inſectati ſunt, eò quòd cum diues foret, vocantem in via Chriſtum, relictis omnibus illicò ſequeretur, ſicut Hieronymus annotauit.

1. Cor. 4. In cap. 9. Matth.

D E I N D E magnum in me dolorem concitabit, quòd videam Chriſti tum præcepto, tum exemplo tam multos hodie aduerſari, qui cum poſſent ac deberent de Chriſtianis pueris benè mereri, vel nullam, vel exiguam proſus illorum curà ſuſtinent. En tibi patres & matres, tutores & curatores, pædagogos & magiſtros, aliosq; ſimiles, quorū procuratori, fidei, probitati, ſapientiæq; noſtri pueri quotidie cõmittuntur. His annuero patrinos vt vocāt, per quos pueri cum ſacris initiātur, coram Eccleſia, Satanæ & mundo palàm abrenuntiant. Verùm ex his omnibus pauci reperiuntur, qui officij ſui memores, pueros doceant rectè, & diuinæ legi conuenienter viuere, ſicut ſenior ille Tobias iam olim filium ſuum docuit ac inſtituit diligenter. Contrà verò plurimi ſe nobis offerunt ex his iſtis & alijs paruulorum deprauatores, qui ſe illis non virtutis, æquitatis, continentiæ, modeſtiæ & ſanctitatis magiſtros ac duces præbeant, ſed potiùs verbis & factis eò aſſuefaciant, vt ſi antea vnquam, nunc maximè pueri, velut indomiti ac effrenes equi perruptis habenis præcurrant, ad luxum, faſtum, libidinem, petulantiam, vinolentiam, avaritiam, aliaq; ingentia ſcelera prouolantes, qui ex Dei filijs verè filij Belial efficiuntur, & alios æquales ſæpè deprauant. Tantum abeſt, vt nunc pueri, ſicut Paulus exigat, in diſciplina & correptione Domini

Tobi. 4. Ephes. 6.

educuntur, ut quæ ex eo necessario Ecclesiæ seminario probos & frugiferos palmites in Christi vinea crescere videamus.

DE MV M peculiariter obseruabo illos ac diligam, qui Christianos paruulos, siue diuitum, siue pauperum filios sibi probè commendatos habent, suamque illis instituendis operam sedulò ac libenter domi & in scholis impendunt. Horum enim labor piè susceptus nõ potest Deo & Angelis eius nõ esse gratus, atque ad rudes animos ritè in literis moribusque tormandos confert vehemèter. Habet interim hoc docendi regendiq; munus suas adiunctas molestias, dum eiusmodi magistri & magistræ perpetuò veluti repuerascunt, seque ad captum paruulorum atq; discipulorum nunquam nõ accommodare coguntur. Verùm tãtò maiorem illi mercedem promerentur, & à Christo bonorum omnium liberalissimo remuneratore præstari sentient quod promisit: *Amen dico vobis, inquit, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Non dubitet ergo de receptione, cui Christus debitor est, ut Leonis Magni verbis vtamur; qui fidelis est in verbis suis, & abundanter largita retribuit, quæ benignè largienda donauit. Et quoniam idem hilarem datorem diligit, qui suã charitatem etiam ad immerentes & ingratos extendit, ego in pueris fouendis ac promouendis me Christi cõsolabor exemplo, qui paruulos instruere, & singulari amore complecti, sicut dictum est, nõ dubitauit, qui que semper in Ecclesia fidos extare voluit catechistas, & in his præclaros doctores proposuit. Quid Iohannes nisi cum pueris agit? inquit: *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infantes, quoniam cognouistis Patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Nec est sanè, cur illi qui pueros instituunt, gratis in hoc labore versentur ac seruiant, quoniam, ut Apostolus dixit, *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Ac iterum alibi, *Quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de la-*

Matth. 25.

Serm. 2. de
ieiunio sept.
mensis.
2. Cor 9.Matth. 5.
& 19.
Marc. 10.

1. Iohan. 2.

Galat. 6.

1. Cor. 9.

Luc. 10.

Et gregis non manducat? Dignus est operarius mercede sua.

Matth. 12.

Matth. 13.

Marc. 9.

Isai 66.

Galat. 5.

Rom. 8.
& 6.

Coloss. 3.

N V N C porrò de scandalis agendum est, vt propositum Christi Domini sequamur exemplum, qui grauius ac seuerè prohibet, nò modò scandalum præbere alijs, verum etiã scandalum suscipere ac sustinere. Væ scandalizanti vel minimum ac pusillum, quoniam ille maledictionē Dei perpetuam promeretur: ac multò consultius foret scandalizanti, quamlibet duram & atrocem mortem perpeti, quàm alicuius grauioris offendiculi præbere alteri occasionem. Vt enim Christus apertè vaticinatus est, quemadmodum de verbis otiosè prolatis, ita multò magis de scandalis commissis vel admissis reddenda est ratio in die iudicij: certoque certius fiet in consummatione seculi, vt omnia scandala de regno Dei per Angelos colligantur, eaque tanquam paleæ, igne gehennæ perpetuo exurantur: *Vermis enim eorum nò moritur, & ignis non extinguitur*, vt apud Marcum sæpè Christus repetiuit, cum de scandalis sermonem institueret, Isaiam Prophetam comprobans. Væ itidem illis, cuiuscunque sint ordinis ac ætatis, qui licet alios nò scandalizent, tamen oculum, manum, pedem aut quoduis proprii corporis membrum à scandalo nò remouent; quoniã cum ad peccandum à mundo, carne vel farina sollicitantur, obortæ tentationi siue in sensibus, siue in membris nò resistunt sed consentiunt ac obsequuntur, illaque Pauli monita negligunt, *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediat concupiscentijs eius. Mortificate membra vestra que sunt super terram.*

V O C A N T autem Theologi scandalum, vt res fiat dilucidior, dictum vel factum minùs rectum, quod occasionem ruinæ alijs præbet, vel offendiculum grauius, vt mortalis peccati periculum ac damnationis æternæ causam improvidis ac infirmis adferre possit ac soleat. Nec est quisquam in via Dei tam firmus & securus, qui varijs hostium insidijs, telis, laqueis & insultibus, hoc est, scandalis & offendiculis nò exponatur,

adeòq; subinde non vulneretur. Est enim hæc vita tentatio & militia super terram, in qua vnusquisque cum Propheta fateri habet, *In via hac qua ambulabam. absconderunt superbi laqueū mihi. Concilium malignantium obsedit me.* Vbi ego cum timore, aut horrore potiùs de hoc mundo cogitabo, cui adeò succēset Christus, vt ei planè diram ac perpetuam interminationē, immò & maledictionem prænuntiet, sciens eius indolem ac naturam, quod corruptelis plenus, ac perditus vsque persistat. Certa enim est illa Iohannis Apostoli sententiam; *Mundus totus in maligno positus est. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite.* His rribus pestibus continētur & aliæ innumerabiles illecebræ ac incitamenta peccandi, præsertim errantium multitudo, atq; exempla peccantium: Hæc tria telorum genera sunt, quæ princeps huius mundi & hostis noster capitalis in fideles vibrare non cessat, vt nostrum in cœlum iter impediatur, ac planè obstruat. Mirabor igitur, me à Christo grauitèr commonitum, in hoc lubrico mundo, vasto quæ mari nō cautiùs agere, neque cauere studiosiùs æternæ salutis impedimenta, quibus plurimi de via recta deducuntur. Suis tantùm oculis indulsit Propheta regius, cùm nudam Bersabeam sese lauante aspiceret, & idcirco tam grauitèr lapsus est, vt carnis concupiscentiæ ad scdū vsque crimen adulterij atque homicidij obsequeretur. De Balaam & Madianitis legimus, quàm graue scandalum per suas puellas & pellices excitârint: quoniam incircumcisos Israëlitas ad fornicationem pellexerunt atque pertraxerunt, Nec dissimile crimen viguit in Salomone, rege alioqui sapientissimo, sed qui propter insanum amorem mulierum factus est effœminatus ac idololatra. Pharaon & Herodes régès & tyrāni fuerunt tam crudeles, vt innocuos etiam pueros offenderēt, immò & perderent pro sua ferali immanitate. Sed præstat ad ætatis nostræ scandala propiùs accedere, & inde singularem mœrorem meum, communemque piorum luctum magis ac magis excitare, *Vt mundo à scandalis* errores ac hæreses hodie disseminantium, latèq; nec minus impunè per Europam propagā-

Iob. 7.
Psal. 41.
& 9.

1. Iohan. 5.
& 2.

2. Reg. 11.
& 12.

Num. 31.
& 25.

3. Reg. 11.

Exod. 1.
Matth. 2.

2. Pet. 2.

Jerem. 14.
& 32.

Gal. 5. & 1.

Iohan. 10.
Matth. 5.
Jerem. 23.
Ezech. 34.

Malach. 2.

Isai. 1.

Mich. 3.
a 3. Reg. 13.
& 14.
b Machab.
1. & 6.

4. Reg. 9.

Isai. 3.

tium, quoniam sicut Petrus Apostolus præmonuit fore, introducunt sectas perditionis, & per illos via veritatis blasphematur, verâ Dei Ecclesia in odium summum adducta. De illis igitur, qui currunt, antequàm per ordinariam potestatem ad docendum à Deo mittantur, nos idem quod Paulus de Pseudo-prophetis Galatas offendentibus ac seducentibus dixit, merito repetere possumus: *Vtinam abscindantur, qui vos cõturbant. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sũ.* Væ mundo à scandalis eorum, qui cum rectores & pastores esse deberent, sui muneris obliui, sese mercenarios, & sal infatuatum exhibent, suarum certè ouium rationem, cum princeps pastorum venerit, seuerissimam reddituri. De his autem Deus ipse per Prophetam iratus hoc queritur, *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in Lege: irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.* Væ mundo à scandalis principũ atque magnatum tyrannicè nunc imperantium, vel ad fastum & voluptatem, suam potentiam referentium, per quos & pauperes opprimuntur magis quàm defenduntur, qui abominantur iudicium, & omnia recta peruertunt, qui quæ Sion ædificant in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate, vt Micheæ verbis vtamur. Væ mũdo ab hisce nouis magistratibus, qui perinde ac ^a Ieroboam & ^b Antiochus, subiectũ sibi populum ad eò scandalizant, vt verum etiam, totq; sæculis receptum Dei cultum pro sua libidine abrogent, nouosque ministros & ritus, & nescio quas Ecclesie ordinationes licenter inuehant, ac pro Dei verbo defendant, nihil vt concedant Ecclesiasticis magistratibus, sed veterũ etiam vel Episcoporum, vel Conciliorum decreta repudient ac insectentur. Væ mundo à scandalis mulierum, quæ instar superbæ Iezabel sibi suos pingunt oculos, & meretricio habitu & fucato cultu sese expoliant, videre tantũ volunt & videri, vt ad sui amorem atque admirationẽ spectantium oculos pertrahant, ac velut muscipulas insipientium pedibus ponant. Nullam enim rationem habent diuinę comminationis, quæ apud Isaiam exrat, & claras Sion filias percutit vehementer. Væ mundo à scandalis istorum caupo-

nantium,

nantium, qui suas domos ac tabernas ita instituunt ac prouehunt, vt si verum fateamur, in illis diaboli officinæ, scandalorū acerui, & vitiorum ferè omnium libera hospitia possint agnosci: nusquam ferè magis ventres ad gulam, crapulam, luxum, vinolentiam & impudicitiam instruuntur: nusquam malorū elscis voluptatibus æquè laxatur effrenes habenæ, & verbis obscœnis petulantius inseruitur. Nullum enim vsum & locū illic habet Apostolica monitio: *Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia nec nominatur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpido aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Væ mundo à scandalis impudicorum, nè dicam lenonum, alienæ castitati insidiantium, & siue virgines siue viduas, vt coniuges taceam, ad fœdam turpitudinem sollicitantium, quoniam vt Petrus loquitur, existimant voluptatem dici delicias, & oculos habent plenos adulterij & incessabilis delicti. Væ mundo à scandalis popularium, qui omnis ferè pudoris ac timoris expertes, id quod libet, sibi propemodum licere arbitrantur domi, in foro, & in omni ferè contractu, diebus festis ac profanis. Lusus est illis iurare, peierare, mentiri, pictis chartis ludere, aleæ operam dare, choreas ducere, meris que nugis sacras etiã ferias terere. Neque solùm hæc spectante ac audiente pueritia committuntur, sed etiam vrbانيتati, facetijs, & amicitie Christianæ attribuuntur: in hisce studijs parui magniq; viri, & curiosæ mulieres sibi placere ac lætari solent, cum malè fecerint, suisq; moribus filios & filias & simplices deprauare pergunt. O tempora, o mores, quò res tandem Christiana deuenit? quam spem religionis clam palàmque ostendimus, dum nihil minùs cogitamus, quàm Pauli verissimam sententiam: *Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentia. Nolite ergo effici participes eorum; nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Quid multis? quia fulgente sole secure dormimus, & læti genio indulgemus, non modò nostras, sed etiam aliorum animas pretioso Christi sanguine iam pridem redemptas, in hac vitæ communis licetia perdimus, perinde ac si nulla nos mo-

Ephes. 5.

2. Pet. 2.

Ephes. 5.

ueat Christi comminatio, nullum Dei terreat iudicium, nulla gehennæ supplicia pro hisce peccatis & scandalis perferenda supersint. Diabolicis laqueis, velimus nolimus, plena sunt omnia: & nos ipsos insani fallimus hac tanta vitæ licentia indulgentiaque. Nullam nobis vim facimus, vt sensus & membra in seruitutem iustitiæ redigantur, spirituales refectionem & circumcisionem membrorum, quâ Christus à singulis exigit, tantùm ad Monachos relegamus: amicis verò & cognatis, alijs que mundi blandimētis, vel laxioris vitæ socijs, qui nos à regia Dei via seducunt, & ad exitium pertrahunt, mordicùs adhæremus. Væ igitur nō mundo tantùm tot modis deprauato, in quo mundi princeps passim & imperiosè regnat: sed væ nobis etiam Christianis tam ingratis ac cæcis, quos horrendum Dei manet iudicium: quoniam de nostris manibus multorum, quos prauis dictis factisq; offendimus, sanguis requiretur, & in pœnis illis Tartareis plures quàm putamus, iusti Dei contra nos vindictam expetent, nobis que perpetuò maledicent. Verùm locus non patitur in his, quæ lugenda sunt potius quàm explicanda, longiùs immorari.

M I H I quidem in eo maximè vigilandum ac prouidendū est, vt si grauem seriamque hauc Christi de scandalis doctrinā amplecti, ac animæ meæ salutare reddere cupiam, sæpè ad præsentis Dei memoriam ac timorē meipsum reuocem, quia scriptum est, *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Timentis Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis.* Deinde singularem præstandæ iustitiæ sitim adferam, dicente Domino, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam;* idèd que nō obliuiscar Apostolicæ sententiæ; *Ab omni specie mala abstinete vos;* sicut & illius præcepti recordabor: *Nemini dantes ullam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Sed & cum Propheta sæpè precabor, *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. Ab oculis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.* Nec oscitanter dispiciam, sicut & Christus faciendum hoc loco subindicat, quæ pericula

1. Iohan. 3.
Iohau. 12.

Prou. 15.
Eccl. 33.

Matth. 5.

1. Thefl. 5.
2. Cor. 6.

Psal. 118.
& 18.

& incommoda consequantur, siue sciens, siue nesciens fratri offendiculum ponam. Primum enim charitatem, vestem illam nuptialem, sine qua nullus Deo placere, Deumque videre potest, polluo, & quod omne damnū excedit, amitto. Tum Christum, qui tam charo effusi sanguinis sui pretio nos omnes redemit, honore suo & fructu quodammodo priuo. *Noli*, ait Paulus, *illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* ac iterum: *Sic peccantes in fratres*, inquit, *& percutientes conscientiam eorum infirmam: in Christum peccatis.* Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem. Quisquis autem scandalizat, Dei spiritum contristat, & Angelum sanctum meum & aliorum qui ad sunt, custodes grauius quam dici potest, offendit: satanae autem eiusque ministris gratum offert sacrificium, ac in eius quodammodo venit potestatem. Adhuc scandalizans ego regnum caelorum & mihi & alijs pudendum in modum occludo, ostium verò ad referandas inferorum portas aperio, meque vitiorum omnium, quae ratione dati & accepti scandali consequuntur, participem reddo, dignus planè, qui coram summo iudice Christo velut nefarius proditor à bonis malisque angelis accuser, & velut commissi homicidij reus peragar: quia veluti Cain fratrem Abel, ita meum in Christo fratrem occidere non dubitavi. Clamat in caelum sanguis Abel aduersus primum fratricidam effusus: & non clamabit anima siue paruuli, siue adulti meo vitio aeternae morti tradita, & spiritualiter interfecta, tum ex poenis Tartareis nunquam liberanda? Vae oculis meis, qui ob vnum scandalum vel datum, vel acceptum aeternae luci subtrahuntur, & exteriores tenebras, in quibus sine fine plorabunt, secundum iustum Dei iudicium experientur. Vae manibus & pedibus meis scandalizantibus: quia vinculis indissolubilibus colligabuntur, iuxta illam sententiam, *Ligatis manibus & pedibus mitte eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Vae corpori, sensibus & membris vniuersis, cum in maledictis diuinum implebitur oraculum, quo dictum est: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce serui mei bibent, &*

Matth. 22.

Rom. 14.
1. Corin. 8.

Genes. 4.

Matth. 22.

Isai. 64.

Matth. 18.

Matth. 3.

Matth. 13.

1. Cor. 10.

Psalm. 118.

vos sitietis. ecce serui mei latrabuntur, & vos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Hi nempe funesti sunt fructus eorum scandalorū, quæ tantoperè Christus detestatur, vt clarissimè dicat. *Va mundo à scandalis. Va homini illi, per quem scandalum venit.* Hæ sunt paleæ, de quibus Baptista prædixit, quod igne inextinguibili comburentur: hæc illa zizania de regno Dei colligenda, & in caminū ignis conijcienda, sicut ipse Christus alibi prodidit. Eò quæ magis mihi commendatum habebō, quod cunctis Fidelibus mandat Apostolus, *Sine offensione estote Iudais & Gentibus, & Ecclesie Dei. Pax verò multa diligentibus legem tuam; & non est illis scandalum,* sicut Psalmographus canit.



MEDITATIONVM DE BEATIS
MICHAËLE, ALIISQVE
ANGELIS, seu SPIRITIBVS cœlestibus NOTAE.



M T S I præsens Festum, quod est sanè in Ecclesia percelebre, suum nomen à D. Michaële maximè mutuatur, tamen id ipsum sanctorum Angelorum, qui sunt vnquam à summo Deo creati, commune est, illorumq; memoriam ac venerationem à nobis exigit singularem. Ego verò inter hos ipsos Angelos, qui sunt innumerabiles, multisque & admirandis modis nos mortales excellunt, D. Michaëlem vt præstantissimum archangelum suspiciam, & magno-perè colam. Archangelus ille in sacris literis, & à tota itidem Ecclesia nominatur, non quòd ad secundum ordinem infimæ hierarchiæ referri debeat, in quo archangeli solent collocari, sed quòd locum officiumque suum teneat, sicut vnus ex primis principibus, immò & princeps omnium Angelorū, vt Hieronymus & Theodoretus indicârūt, atq; ita præse & pro-

Vterque in
10. cap. Da-
niel.

priè Archangeli nomen inuenit, sicut illum Apostolus quoq; Iudas appellat. De hoc ita scribit Gregorius Magnus: Michaël Iudæis qui in terra Iudææ remanserant, præpositus inuenitur: vnde & ab hoc ipso Angelo. (Gabriele) dicitur Danieli; *Nemo est adiutor meus nisi Michaël princeps vester.* Et rursus: *Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorum mihi;* qui dum nõ simul esse, sed in adiutorium venire dicitur, apertè ei populo prælatus agnoscitur, qui captiuus in alia parte tenebatur.] Testatur & Chrysostomus, hunc Michaëlem principem olim fuisse magnum, qui commissam sibi gentem habuerit Iudæorum, quiq; nunc fit dux Christianorum. Eandem sententiã confirmant veteres Theologi, & sicut antiquissimam, ita & nobilissimam Michaëlis memoriam agnoscunt, quem & maximis miraculis ornauerit Deus, multisq; modis ostenderit vniuersalis Ecclesiæ patronum diuinitus institutum. Ad hunc ipsam multa Scripturæ loca refert Pantaleon Diaconus, eũq; vocat summè benedictum, & omni ex parte venerandum militiæ principem, sed & fidelissimũ hominum præsidem, quorũ ipse salutẽ procuret. De hoc Michaële accipiunt eruditi, quod Zacharias exponit, quendam sedisse super equo rufo, multis Angelis alijs sequentibus, qui equis sanguinarijs, varijs, & albis infidebant.

H V N C ergo Archangelum, qui satis laudari non potest, alijsq; præstat Angelis omnibus, ego libenter, & hodierno potissimum die venerabor, vt qui in oppugnandis & vincendis hostibus maxima Dei virtute ac potentia decoretur. Vicit præpotentem impiorum omnium regem & caput, magnum illum Leviathan, & serpentem antiquũ: de quo scriptum est, *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. Omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbia.* Hunc enim Luciferum, qui Dei similitudinẽ per nefariam præsumptionem appetiuit, Michaël mirabiliter superauit, & ex altissimo cœli cardine in imum barathrum deiecit, sicut Iohannes illis verbis describit, *Factum est praliũ magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius praliabantur cum dra-*

Iud. in epist.
Lib. 17. Moral.
c. 8.

Orat. 2. ad-
uers. Iudæ.
& hom. 2. &
8. de laudib.
Paul.

Vide Sime.
Metaphr. de
S. Mich.

Zach. 1.

Isai 27.
Iob. 3. & 41.

Efai. 14.

Apocal. 12.

cone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non valuerunt, neq; locus inuentus est corū amplius in cælo. Quare summum ego Deū in hoc felici dnce & glorioso victore laudabo, simulque toti gratulabor Ecclesiæ de tali principe, qui admiranda Dei virtute munitus, de hoste omnium maximo, superbissimo, nequissimo, perniciosissimo, tam præclaram retulit victoriam, totque mille angelos apostaticos vnà cum rege suo prostravit, & damnatos è cœlis expulit, Christoq; subiecit. Illū ipsum ex animo precabor, vt me terræ vermiculum, quodammodo sibi suisq; socios similem esse concedat, in difficili nempe certamine cōtra eundem immanem hostem, & omne monstrū superbiæ ritè conficiendo. Petam, vt mihi quamuis imbecillo, fortitudinem spiritus impetret ad optatam victoriam obtinendam, quæ tam ipsi, tum sanctis Angelis omnibus in gratia cōfirmatis obtigit, vtq; satanam eundem qui seducit vniuersum orbem, Deus cōterat sub pedibus meis. Præterea lætus meminerò, talem in cœlis patronum nobis dari, qui hostē incomperabilem, & truculentissimum draconem velit ac possit corripere, seq; cœlestis militiæ principem, ac diuinæ gloriæ vindicem præ alijs omnibus exhibere. Illum ipsum ego, vt firmissimum ac fidissimum Ecclesiæ rectorem ac præsidem, inuocabo, & cum mille piorum myriadibus dicere non verebor; Princeps glotiosissime Michaël Archangele esto memor nostri; hīc & vbiq; semper precare pro nobis filiū Dei. Excelsum & venerandum eius principatum agnoscam, cui potestas data est, vt apertè canit Ecclesia, super animas sanctorum, vt perducatur eas in paradysum exultationis. Ad hunc Michaëlem referam, quod apud Paulum legimus, Christum in voce Archangeli ad iudicium de cœlo descensurum. Qui præterea, vt scribit prædictus Pantaleon, tuba illa terribili & ingenti voce est cantaturus, immò & fundamenta terræ, & quæ sub terra sunt, commoturus, quando mundi finis complebitur. Adest quidem nobis Christus, & iuxta suum promissum, manebit in Ecclesia sua vsque ad sæculi consummationem: sed hoc tempore, sicut & in die iudicij, per suos Angelos, & maximè Mi-

chaëlem,

Apocal. 12.

Rom. 16.

1. Theff. 4.

1. Cor. 15.

1. Theff. 4.

Matth. 28.

chaëlem, vires confringit aduersarias, electos tuetur, & malos coërcet ac punit. Etenim *quæ sunt*, iuxta Paulum, à Deo ordinata sunt: is omnia in mensura, numero & pondere disponit; de illo licet ac decet cum Propheta dicere, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* quod alij hoc modò vertunt: Castrametatur Angelus Domini circum timētes eum, & eripit eos; hoc est, eripere solet. Demùm gratias agam optimo maximo quæ huic Archangelo, qui munus excellens à Christo sibi demandatum in tuenda tot sæculis Ecclesia fidelissimè administrat, ac proinde mirum in modum impedit, ne tot funesta inferorum portæ Petri nauiculam semper infestātes, cōtra Petram præualere possint. Nec dubium, quin idem veræ Ecclesiæ desertores ac persecutores hæreticos atq; schismaticos potēter vlciscatur, ac Diuinū impleat, vaticiniū, quo Ecclesiæ Catholicæ promissum est, *Gens & regnum quod non seruiert tibi, peribit; & Gentes solitudine vastabuntur.* Hinc ille funestus ac pudendus exitus prouenit, quem in Iuliano Apostata, Ario hæresiarcha, Nestorio blasphemo, & Græcia Schismatica consecutum esse veteres probant annales, & nos liquidò deprehendimus.

CAETERVM quod ad reliquos Angelos attinet, nihil ego de illis ab Ecclesiæ doctrina diuersum sentiam, sed cum orthodoxis omnibus apertè cōfitebor, illos ab initio sic esse creatos, vt libera voluntate in bonum æquè ac malum fuerint mutabiles: & quosdam eorum in accepta Dei gratia & bonitate perstitisse, alios verò quos dæmones appellamus, vitio suo ex accepta gratia excidisse, & iam perpetuò malos, contumaces ac damnatos perseuerare. Ad bonos Angelos Christi dictum pertinet, *Dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente;* & quod à Paulo scribitur, *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatē capient salutis?* Verū de malis angelis Iudas testatur Apostolus: *Angelos qui non seruauerunt suū principatum, sed dereliquerunt suū domiciliū, Deus in iudicium in agni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Consonat & illud:

Rom. 13.
Sap. 11.

Psal. 33.

Matth. 16.

Isai. 60.

Luc. 15.

Hebr. 1.

In Epist.

2. Pet. 2.

Daniel. 7.

Lib. 17. Mo-
rali. cap 9
Lib. aduer.
Praxeam.

Deut. 32.

Dan. 10.

Psal. 103.

*Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni de-
tractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.*
Qui autem Angeli in gratia confirmati fuerunt, partim assistē-
tes, partim ministrantes à Theologis appellantur, quādoqui-
dem Daniel Propheta de cœlesti regno Dei opt. max hoc mo-
do scribit, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies cen-
tena millia assistebant ei.* Plures autem esse ministrantes Ange-
los quàm assistentes, Gregorius Magnus annotavit. Tertullia-
nus pro ministrantibus apparitores Dei Angelos vocat. Nihil
verò dubitabo, hos omnes partim Deo semper assistere, par-
tim in terras demitti, vt Dei mandata exequatur, & vel singu-
lorum hominum tutelam, vel regnorum atq; prouinciarum
curam gerant in his, quæ ad corporalem & spiritualem guber-
nationem pertinet. Id quod Hieronymus probat ex Moyse cā-
tico, in quo secundum translationem Septuaginta legimus:
*Quādo diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adā,
constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.*
Eandem rem confirmat Daniel, cum loquitur de Angelis, re-
gni Persarum & Græcorum principibus, sicut & de Michaële,
quem Iudæorum principem facit.

HIC mihi noranda sunt eximia & præcipua, ob quæ sancti
Angeli in hoc amplissimo mundo, & in rebus creatis omni-
bus quasi principatum tenent, vt idcirco ab illis ipsis simul &
à nobis author & conseruator eorum Deus maximè debeat
collaudari. Etenim si spectem eorum originem & antiquitatē,
primi omnium aut cū primis à summo Deo creati sunt, sicut
& David cecinit, *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos
ignem urentem.* Si respiciam in eis vitæ ac durationis longitu-
dinem, si naturæ gradum & conditionem, sunt illi spiritus im-
mortales & incorruptibiles, sunt planè incorporei, inuisibi-
les, simplices, hoc est, ab omni corporea mole secreti, nullis
molestijs, obnoxij, nec rei vllius corporalis indigentes. Quan-
ta verò intellectus & mentis illorum est dignitas? qui perpe-
tuò intelligūt, & sine discursu omnium quæ naturaliter sciri
possunt, plena & consummata scientia mirificè valent. Quāta

verò vis & constantia voluntatis? cùm efficacissimè & velit,
 & immobiliter eligant ea quæ cupiunt, nūquam à Diuina vo-
 luntate discrepantes, sicut & Dauid illis verbis comprobatur,
Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes
verbum illius, ad audiendam vocem sermonem eius, ministri eius,
qui facitis voluntatem eius. Rursus nisi propemodum innume-
 rabiles illi forent, Scriptura disertè nō diceret, *Nunquid nu-*
merus militum eius? neque Dionysius assereret, maiorem An-
 gelorum esse numerum, quàm omnium rerum sensibilibum
 & caducarum multitudinem. Quid mirabilius ac pulchrius
 ordine Angelorum? qui in tres hierarchias, supremam, mediā
 & infimam distribuuntur, ac singulæ tribus itidem ordinibus
 ita distinguntur, vt chori nouem cōficiantur, eamque distin-
 ctionem nunquā varient aut perturbent? Atq; licet illorū alij
 mittant, alij mittātur, quidam doceant, reliqui doceantur, pax
 tamē inter illos cōstat maxima, sua sorte contenti sunt singu-
 li, & in genere suo perfecti, in hoc vno præcipuè conspirāt es,
 vt omni vi & cōtentione Deum Sebaoth in cœlo die noctuq;
 collaudent. Iam verò quàm accuratè & exactè infra cœlum, &
 apud nos in terris sua illi munera obeunt? cū sint diuinæ pro-
 uidentix in regēdo & cōseruando mundo præcipui admini-
 stri, & iccirco in Scripturis vocentur milites Dei, exercitus
 Dei, principes prouinciarum, præsides populorum, singulorū
 hominum custodes, magistri, & apud Deum internuntij ac
 interuentores. Præterea quoniam orbium cœlestium moto-
 res & rectores existunt, nō temerè apud Iob dicuntur portare
 orbem, & cœli esse columnæ. Quid illis fingi potest fortius ac
 insuperabilius? quorum vnus vtpote Michaël, Luciferum illū
 creaturarum omnium præstantissimum debellatum è cœlo
 detruxit, Luciferum inquam, de quo scriptum est, *Ipse in prin-*
cipio viarum Dei qui fecit eum; sicut locū illum Basilius & Gre-
 gorius interpretātur. Vnus fuit Angelus, qui vt blasphemix
 crimen in Assyrijs castigaret, breui tempore in illorum castris
 centum octoginta quinque millia trucidauit. Peccauit aliquā-
 do Dauid per superbiam, illamq; peccati pœnam reportauit,

Psal. 102.

Iob. 28.
Lib. de cœ-
lest. hier.
cap. 14.Iob. 9.
& 26.Iob. 40.
Basil. lib. 4.
cōt. Euno-
mium.
Gre lib. 52.
Moral. c. 18.
4. Reg. 19.
2. Reg. 24.

vt Ange-

vt Angelus manum suam super Ierusalem extenderet, grauiq; peste perderet ex populo virorum millia septuaginta. Quanta obsecro puritas & innocētia in Angelis refulgēt, qui nec leuissima peccati labe vnquam inquinātur, mente & cogitatione semper integri, affectu benigni, religione pij, vnanimitate indiuisi, pace securi, nec solum diuinis laudibus, sed etiam hominum obsequijs cōtinenter intenti? Rursus quis nō miretur ingentem illorum humilitatem, qui summis Dei donis exornati, atq; creaturis omnibus superiores, adeo sese demittunt, nihil de seipsis præclari sentiunt, soli Deo omnē tribuunt gloriam, summamq; illi deferunt reuerētiam? Hinc Scriptura testatur, quod coram Deo incuruentur qui portant orbem, & columnę cœli in cōspectu Dei paucant. Vidit & Iohannes Angelos cadentes in faciem suam, ac Deum adorantes. Ergone hos beatos, summaq; laude dignos Angelos ego magni faciā, & singulari honore prosequēdos putem? quos Christus omnium dominus, magniq; consilij & testamenti Angelus tanti habuit, vt suam natiuitatem, lætamq; resurrectionem per illos primū orbi denuntiarit? Per hos ipsos post longum ieiunium velut exhaustus, voluit in deserto refocillari: ab his in summo mœrore versans, singularem confortationem libenter admisit: hos ipsos ad extremū iudicium rediens, toto orbe spectante secum adducet, eosq; huius iudicij strenuos faciet executores. Neque fallet eius firma promissio qua dictum est, *Omnis qui confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autē negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.* Eisdem vrbium custodes, & ecclesiarum præsides facit Gregorius Nazianzenus. De illis testatur^a Cyrillus Alexandrinus: Scimus sanctos Angelos à Deo esse ordinatos ad opem ferendam Credentibus, & vt sint velut duces populi. Nec dubitat Augustinus è Scripturis asserere, hos esse custodes super muros ciuitatis nouæ Ierusalem, & montes in circuitu eius vigilantes, & custodientes vigilias noctis super Dominicū gregem. Quoties benè agimus, inquit, gaudent Angeli, & tristantur demones: quoties verò à

Iob. 9.
& 26.
Apocal. 7.

Isai 9.
Malach. 3.

Luc. 4.
& 22.

Matth. 25.

Matth. 10.
Luc. 12.

Orati. 32.
4 De adoratione in spiritu.
Soliloqui cap. 27.
Psalm. 103.
& 90.

bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente, sed Diabolo super vno iusto pœnitentiam dæserente.] Atque in hunc modum ego de sanctis Angelis cogitabo, & iucunda eorum memoria recreabor, quoties de illis in verbo Dei lego, vel testâtem Ecclesiam, fortè audio: & confirmabor in fide certissima, Angelorum nempe curam & operam nobis prodesse plurimum, nosq; sine vlla difficultate adiuuare. Id sanè iam olim sub iuniperi umbra probauit ^a Elias, & sensit ^b Agar Abrahæ ancilla in solitudine; quemadmodum & ^c Tobias iunior in itinere; tum ^d Petrus & Apostoli alij in carcere, & ante hos ^e Daniel Propheta & Baptistæ ^f pater. magno suo bono euidenter experti sunt.

N V N C de proprio custode ac tutelari, vt vocant, Angelo aliquid subijcere nō fuerit intempestiuum. Vbi ego singularè clementissimi Dei bonitatem agnoscam, sæpèque illi gratias agam, quòd Angelum verè sanctum custodem, fidum pædagogum, & protectorem assiduum mihi designauerit, qui me inde ab ipso cōceptu ac ortu vsque ad extremum vitæ spaciū inter læta & tristia nō deserat, immò quamlibet immerèti mihi die nocte q; incredibilem exhibeat humanitatem. Lætabor igitur in me quoq; competere, quod Propheta de quolibet fidei homine cecinit: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconem.* Nam & Paulus Apostolus de se ipso affirmare nō dubitat, *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio.* Tum idem tanti Angelos facit, vt vetet, mulieres in Ecclesia detecto, esse capite, cum orandum est, easque iubeat honestè velari, nimirum ob præsentiam & reuerentiam Angelorum. Quod ergo Nilus Constantinopolitanus iam pridem scripsit, mihi quoq; dictum existimabo: Reuerere Angelos magis quàm homines; multi enim nobis adsunt, (sicut etiam Eliseus Propheta nō obscurè indicat) & ab omni actione turpi recedunt.] Quod postremum

Luc. 15.

Vide Aug.
lib. 11 de ci-
uit. Dei.
cap. 31.
^a 3. Reg. 19.
^b Gen. 16.
& 21.
^c Tob. 6.
^d Act. 12.
& 5.
^e Dan. 10.
^f Luc. 1.

Psalm. 90.

Act. 27.

1. Cor. 11.

In Senten-
tijs.

4. Reg. 8.

In Psal. 33.

Quæst. 61.
in Script.

Osee 12.

Genes. 32.

Genes. 48:

Eccles. 6.

Basilio magno videtur esse desumptum, qui in hunc sanè modum docet; Sicut apes fugat fumus, & columbas obigit malus odor; ita etiam vitæ nostræ custodem Angelum amouet & abducit lacrymabile foetidumq; peccatum; sicut eundem locum citat Anastasius. Absit igitur incogitantia, & foeda ingratitudo, ut huius maximi beneficij à summo Deo percepti obliuiscar, quādo quidem is nuntios & amicos intimos, qui incredibili præstantia cunctos mortales excellunt, in hoc infimi seruitij & simplicis obedientiæ genere vult exercere, ut etiam abiectissimis homuncionibus siue bonis siue malis, magnis vel paruis, continenter inseruiant, seque illis conseruandis ac beandis totos tribuant, licet paucos ex illis electos fore non ignorent.

I A M verò ut meum Angelum cœli ciuem & principem ritè colam, Iacob illustrem Patriarcham mihi ab oculos ponam, qui custodem & opitulatorem agnouit atque suspexit Angelum suum, & quod multò est amplius, coram eo fleuit & rogauit, sicut Osee Propheta luculenter expressit. Rogantis Iacob, ut scripsit Moyse, illa vox est: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quid quòd idem Patriarcha moriturus, nepotes duos ex Ioseph filio genitos ad se iussit adduci, quos cum amanter deosculatus & circumplexus fuisset, suasque manus illis imposuisset, benedixit eis in hunc modum, *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis?* Proinde hanc eximiam fidem & pietatem veterum Patriarcharum mihi emulandam putabo, meumque custodem & tutorem Angelum in magno habebò pretio, eiusque benedictionem in nomine Domini factam subinde petam religiosè, quādo ille mihi citra intermissionem seruit amanter, fideliter, fructuosè, ut certè maiorem ac meliorem amicum, consiliarium, tutorem ac protectorem in terris frustra quæram & expetam. *Amico autè fideli, ut Sapiens docuit, nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* De hoc ipso Angelo accipiam, quod princeps Angelorum Deus præcipit, pecu-

liarem

liarem nempe obedientiam ac reuerentiam à me, tanquam verò Israëlita, sic exigens, *Ecce ego mitto Angelū meum, qui praecedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem praeparavi. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnēdum putes; quia non dimittet, cum peccaueris; & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Nihil ergo mirum, quod à Bernardo traditum, studiosè pijs obseruandum illud acceperimus, Cautè ambula, vt cui videlicet ad sunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vitijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam exhibe.] Ac rursus: Quoties inquit, grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione.] Verùm de Angelis inuocādis nos postea, cū ad Sanctorum omnium Ferias peruentum fuerit, doctrinam & praxin perpetuam Ecclesiae confirmabimus.

POSTREMO è superioribus, ipsoq; Dei verbo colligam & cōcludam, ea quae sanctis Angelis grata & chara esse solent, magni pendere ac æmulari, nimirum vt tantò maiorem illorū gratiam mihi conciliem, quātò ad ipsorum imitationē propiūs accessero, quandoquidem amoris causa vel maxima est morum ac vitæ similitudo. Sunt fanè Angeli natura purissimi, omnisque virtutis ac integritatis obseruantissimi: placent igitur illis innocentes & simplices, quemadmodum pueri ac alij fraudis, doli, imposturæ, mendacij & simulationis expertes. Vnde Christus etiam illud dixisse videtur, *Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud.* Accedit Angelus primum Euangelium orbi prædicaturus, nec alios sibi auditores deligit, quàm rusticanos homines & pastores Bethlehemiticos, quibus auspiciatissimum Christi nati ortum in campis exponat. Iustus vir erat Loth, ad quē Angeli duo diuerterunt, vt eum à communi sceleratorum hominum consortio, & Sodomitarum exitio liberarent. Quid Angelis quæso castius, & ab omni amore impuro alienius? Placēt

Exod. 23.

Serm. 2.
sup. Psalm.
90.

Marc. 10.]

Luc. 2.
2. Pet. 2.
Genes. 19.

Lib. de Vir-
gin.
Matth. 22.

Daniel. 9.
Actor. 10.
Luc. 1.
Homil. 3.
super Miss.
1. Tim. 2.

Serm. 30.
super Cant.
Pfal. 67.
137.
Tob. 12.

Daniel. 9.

Lib. de Vir-
ginita.

Ibidem.

Luc. 2.

igitur illis pudica corda & corpora Fidelium, (cognata enim Angelis est virginitas) & cœlibum cōsuetudine mirificè delectatur, sicut Daniel Propheta, Maria Deipara, Cæcilia, Agnes, aliæque Virgines multæ nobis testimonio esse possunt. Atque huc refert Ambrosius illa Christi verba; *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo.* Propriū itidem Angelorum est, Dei laude & celebratione nunquā fatiari, & cœlestibus hymnis summa cum delectatione insistere: amant igitur pios diuino cultui & sacris precibus de more vacantes, quemadmodum Danielem, Cornelium centurionem, Zachariam, & alios id genus fuisse legimus, de quibus Bernardus clarè pronuntiat: Solent Angeli astare orantibus, & delectari in his, quos vident leuare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se offerre Deo in odorem suauitatis. ¶ Tum alibi rursus de Angelis hoc prædicat: Solent quoque Psallentibus se dignanter admiscere, sicut Psalmista ait, *Prauenerūt principes coniuncti Psallentibus.* ac iterum: *In conspectu Angelorum Psallam tibi.* Quid Angelis est abstinentius atque frugalius? *Ego, inquit, Raphaël, vtor cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest.* Placent igitur illis piè ieiunantes, sicut in Daniele probatum est, quem propter abstinentiam laudat Gabriel Angelus, quoniam is posuit faciem suam ad Dominum rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere. Annon scripsit Athanasius, Ieiunium Angelorum cibus est, & qui eo vitur, ordinis Angelici censendus est: ¶ Contrà verò, vt idem affirmat, dæmones crapula nostra, & otio corporis valde delectantur. Quin etiam Angelorum delectamenta, vt Bernardus appellat, aut si maui, sapida sunt edulia, quæ in nobis illi cupiunt reperire, sobrietas, castitas, paupertas volūtaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lacrymis & cordis intentione: super omnia verò vnitas & pax fraterna, vt hinc etiam Angelica extet cantio: *Pax hominibus bonæ voluntatis,* quemadmodum vicissim cœlestes spiritus nihil magis offendit, atque à nobis æquè disiungit, vt discordia & vita scandalis inquinata. Demum quoniam incredibili erga

nos charitate flagrant, humanæq; salutis valde cupidi sunt & amantes, perlibenter mentes consolantur afflictas, sicut Agar profugæ, Magdalenæ & aliarum mulierum ob Christi mortē lugentium, sed & omnium de antea actæ vitæ prauitate pœnitentium, sicut Christus perspicuè docet: horum enim nomine illi Deo, sibi, & hominibus ex animo gratulantur, quin & commune in cœlis gaudium iucundissimè cōcelebrant, velut seipos verbis illis Danielis cohortantes, *Benedicite Angeli Domini Domino; laudate & superexaltate eum in sæcula.* En tibi exemplum Patriarchæ Jacob à fratris infidijs sibi metuentis, & triū puerorum, qui manibus pedibusq; vincti, in medias flammās iniiciebantur, & ex Babylonis incendio eripiebantur; vt hinc discas, quanta sit Angelorum erga miseros mortales beneuolentia, & charitas, & misericordia: quātōpore itidem ipsis placeat voluntaria piorum calamitas, in suscepta vocatione cōstantia, in cruce patientia, in certamine fortitudo atque victoria. Docent nos illi nō verbis sed factis, sibi probari Credentiū studium, qui ad Angelicam quasi vitam aspirantes, suum ob eunt ministerium, vt simul Deo inculpatē seruiant, Ecclesiæ obtemperent, malis aduersentur spiritibus, & quātūm in ipsis est, secundū charitatem ambulent, de omnibus & singulis siue dignis, siue indignis Dei gratia benè merentes. Quid multis? Res ipsa cōuincit, nos homines cum Angelis collatos, velut Pygmæos esse & scarabæos, si cum gigantibus & aquilis comparentur. Quocirca valdè pudendum & reprehensione dignum existimabo, tam multos reperiri passim, qui vel nunquam de sanctis Angelis cogitent, vel certè iucundissima illorum memoria non magis quàm stipites & saxa commoueantur, seque illorum tutelæ ac patrociniō commendare non dignentur, quos etiam Ethnici in pretio habuerunt. Ego certè, si sapio, hos beatos & nunquàm satis laudandos Angelos mihi sæpè ob oculos ponam, sed & vbique suspiciam, redamabo, ac venerabor, ab illis ex animo petens, vt pro sua præstanti charitate mihi quamuis indigno, in vita & morte, ad eòq; post mortem opitulari ac patrocinari dignentur. Etenim Lazari

Genes. 16.
& 21.
Marc. 16.
Luc. 24.
& 15.
Luc. 10.

Daniel. 3.
Genes. 32.
& 33.
Daniel. 3.

Luc. 16.

In vita An-
tonij.
Lib. 6. de
sacerdotio.
Soliloq. c.
27.

quoq; mendici animam in sinum Ahrahæ deduxerunt, & vi-
dit Antonius Magnus adesse Angelos, qui S. Annonis animã
in cœlum deferrēt, Athanasio teste. Tum Chrysofomus per-
spicue scripsit: Qui purè communicant corpori Dominico,
in extrema hora Angelis stipati, rectà in cœlum abducentur.]
Atque vt semel finiam, cum Augustino credere ac fateri non
dubitabo: Magna cura & vigilantì studio adsunt nobis (Ange-
lici spiritus) omnibus horis & locis, succurrentes & prouidē-
tes necessitatibus nostris, & sollicitè discurrentes ad te (Deus)
vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem,
& referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionē. Am-
bulant enim nobiscum in omnibus vijs nostris, intrant & exe-
unt nobiscum, attentè considerantes, quàm piè, quàm hone-
stè in medio prauæ nationis conuersetur, quantoque studio
& desiderio quæramus regnum tuum, & iustitiam eius, quan-
toque timore & tremore seruiamus & exultemus tibi in lati-
tia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescen-
tes, hortantur pugnantes, coronant vincentes. Grandis est eis
cura de nobis, magnus est affectus dilectionis eorum erga
nos. Jvt cætera prætermittamus.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGE-
lio & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt omnis ambitio, & hu-
mane gloria cupiditas in me prorsus extinguatur, & ego maiorem
simplicitatem, ac innocētiam quandam puerilem posthac induam,
ac vbiq; præstem, in Christiana humilitate probè fundatus. Etenim
in cœlestem Ierusalem, ad quam creati & renati sumus omnes, non
intrabit aliquod coinquinatum, sed qui ambulat sine macula, &
iustitiam operatur.

ORABO itidem pro Ecclesiæ reformatione in utroq; statu,

spirituali

Apoc. 21.
Psal. 14.

spirituali scilicet aig. civili, à scandalis publicis magis magisq. vindicando, cum pro dolor, extrema hac mundi aetas plena sit scandalis, iuxta illud Christi uaticinium, Abundabit iniquitas. Væ autem homini illi, per quem scandalum venit.

Matth. 24.
& 18.

ORABO præterea, nostros animos illis uitiorum fœtoribus liberari, qui frequenter offendunt Angelos, eorumq. fauorem ac beneficentiam à nobis auertunt, immò nos etiam potestati demonũ tradunt, dum illorum suggestionibus ac incitamentis prauis assensimur, neq. dicta illa obseruamus Apostolica, Resistite diabolo, & fugiet à uobis. A quo quis superatus est, huius & seruus est.

Iacob. 4.
2. Pet. 2.

PETAM & peculiariter augeri in me dilectionem, reuerentiam, cultum & obedientiam sanctis Angelis debitam, præsertim D. Michaëli præcipuo Angelorum, & principi Ecclesie.

DIVINAM quoq. opem implorabo sæpè, ut nullam in me potestatem habeant mali spiritus, qui per magos, maleficos, veneficas & striges in multis hodie pestiferè operantur. Eoq. magis defendi & iuari petam presidio & virtute bonorum Angelorum, qui tempore tentationis ac mortis de multis fidelibus bene mereri possunt ac solent.



IN DIE FESTO
SS. SIMONIS ET IVDÆ
FRATRV AC APOSTO-
LORVM.

Sequentis Euangely Argumentum.

EVANGELIVM hoc non ignobilis pars est aurei sermonis, quem Christus post extremam cœnam

cum vñdecim discipulis habuit, vt ad bibendum calicem
 statim digressurus, eosdem de rebus maximè salutaribus
 admoneret. Eiusmodi res fuerunt, mutua & fraterna in-
 7 ter ipsos dilectio, ad quam semel & iterum illos cohorta-
 tur; iuus erga illos fides charitatis affectus, quem in illis
 2 eligendis, instruendis atque consolandis ostendit; obe-
 dientia itidem, quæ sinceram minimèq; fucatam amici-
 3 riam prodir; ac demum patientia in rebus aduersis perse-
 rendis necessaria. Monet insuper de oratione, vt quæ ad
 bona impetranda omnia conferat, & prædicat illis graues
 in mundo afflictiones ab impijs inferendas, earumque
 causam refert ad Dei ignorantiam & mundi peruersita-
 tem. Est hoc Euangelium valde consolatorium ijs, qui
propter veræ fidei confessionem, & sicut Christus vocat,
ob iustitiam patiuntur persecutionem, præcipuè cum ij
pro collatis in alios beneficijs malam referunt gratiam,
& ab ingratis malè tractantur. Hi sanè iustâ habent cau-
 sam se in cruce consolandi, simulq; cū gaudio meditando,
 quanto operè Christus nos licet indignos amarit, & vicis-
 sim à nobis amari debeat, si nostræ modò salutis initium
 ac finè ritè spectemus. Præcipuè autem hic virgemur, mu-
 tuam fratrum dilectionem, quæ maximū in aduersis præ-
 bet solatium, sedulo exercere, vt ab illa ipsa propter mun-
 dum pijs semper obstrepentem nunquam diuellamur,
 Christi ducis ac domini patientiam vsq; imitâtes. De hac
 charitate, quæ mater & regina est virtutum omnium, præ-
 clarè Paulus concionatur, eamq; sic Augustinus commē-
 dat, tanquàm sola præcipienda sit, sine qua non possunt
 prodesse cætera bona, & quæ non possit haberi sine cæ-
 teris bonis, quibus homo efficitur bonus. Huc demum
 spectat quod scribit Iohannes fidelibus: Nolite mirari, si
 odit vos mundus, quodq; pro Christo crucifixus affirmat
 princeps Apostolorum: Communicantes Christi passio-
 nibus gaudere, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis
 exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati
 eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis
 Dei, & qui est eius spiritus: super vos
 requiescet.

Matth. 5.

1. Cor. 13.
 Ephes. 4.
 & 5.
 Coloss. 3.
 1. Iohan. 3.

1. Petr. 4.

EVANGELIUM IOAN.

nis X V.



IN illo tempore dixit IESUS discipulis suis: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego precipio vobis. Iam non dico vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hac mando vobis, ut diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus quod suumerat, diligeret. quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis. Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt: & vos persequentur. si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hac omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit: peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt & me, & Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
PRAESENS EVANGELIUM
ET FESTVM.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos. item: Hac mando vobis, ut diligatis inuicem.



VMMAM Christi sapientiam, paremque charitatem admirabor, quòd is postremo ante mortem die dilectionem fraternam discipulis adeò diligenter inculcet, ac seriò mædet, sicut & antea hoc ipsum fecerat, luculenter illud iniungens: *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis inuicem.* ac statim hanc rationem adiecit, *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quorsum autem hæ tam frequētes & graues adhortationes, immò & vehementes præceptiones, nihil vt simile de virtute alia, sicut de proximi dilectione, Christus discipulis seriò mandasse videatur? Neque illis tantum, sed nobis etiam per omnes ætates Ecclesiæ credituris, cuiuscunque simus ordinis ac status, hoc ipsum præceptum imponitur atq; commendatur. Hoc suum, hoc nouum mandatum, hoc suaue iugum, & leue onus appellat, quod suis quisque humeris gestare debeat. Vbi simul ille seipsum optimū ostendit patrem familiās, qui peregrè profecturus, vt domui suæ prospiciat, abiens ea potissimū vrget, ac ne fortassis elabantur, suorum animis infingenda curat, quæ in primis ad communem domesticorum pacem ac disciplinā retinendam spectare videntur. Ac sanè post Christum in cælos assumptum quid vnquam præclari ab Apostolis efficeretur, quemue fructum illi ex prædicato Euangelio reportarēt, si

Iohan. 13.

Matth. II.

veræ charitatis expertes, inter se animis ac studijs dissiderent: Iubet igitur, vt si discipuli sui esse ac videri, & à cunctis cognosci cupiant, nihil prius & antiquius habeant vnitatem atq; concordiam, quam inter se nō secūs quàm eiusdem corporis membra, sub vno capite foueant atque conseruent, ideòq; fraternā charitatem & amicitiam perpetuò colant, ac nulla ex parte hoc scindi vinculum patiantur. Eòdem spectant, quæ doctor Gentium de vnitatem ac dilectione fraterna monet ac repetit sapè, vt quādo ita scribit: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnū corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Tum ad Corinthios: *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus: ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vno baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus.* His consonant quæ commendantur Ephesijs, vt si Christiani esse velint, supportēt se inuicem in charitate, sintq; solliciti omnes ad vnitatem spiritus in vinculo pacis conseruādā. *Vnū enim corpus, inquit, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Præterea tanti facit fraternam hanc dilectionem, vt eam totius legis plenitudinem & vinculum perfectionis appellet, illam quæ præclaris virtutibus alijs, quemadmodum fidei, spei, prophetiæ, rerum diuinarum scientiæ, facultatum omnium in pauperes distributioni, ac martyrij quoque perpeffioni anteponat. Igitur etiam Augustinus pronuntiat: *Nullum est isto Dei dono excellentius; solum est quod diuidit inter filios Regis æterni & filios perditiōis æternæ. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil profunt*] ac subiicit postea: Sine charitate fides potest quidem esse, sed nō & prodesse. Propter quod & Apostolus Paulus, *In Christo, inquit, IESV neq; circumcisio, neq; præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Quod porrò vitæ genus in terris optabilius, quæ societas hominum firmior ac suauior fingi potest, quàm vbi Meum & Tuū exulat, & pro cupiditate ma-

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

Rom. 13.
Coloff. 3.
1. Cor. 13.Lib. 15. de
Trinit.
cap. 18.

Galat. 5.

lorum

lorum omnium radice, virtutum ac bonorum omnium parens regnat charitas. Deus bone quā pulchrē & insigniter cū his agitur, qui in Christo & propter Christum charitate deuincti, vnum idemq; sentiunt, ac se mutuò tanquā germanifratres, fidissimè complectuntur? Tales erant proculdubio Apostoli post acceptum Spiritum sanctum, & primi per illos ad Christi fidem conuersi Christiani, tanto charitatis & vnionis nexu inter se colligati, vt Lucas de illis apertè testetur, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quā possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Igitur in illos quoq; competebat, quod Psaltes regius canit, *Ecce quā bonum, & quā iucundū habitare fratres in vnū.* Etenim illi se mutuò fratres compellabant, & amāter exosculari solebant; & quoniam omni charitatis officio se inuicem prosequabantur, Ethnicis etiam erant admirationi, vt illi vel inuiti faterentur, Christianos se adeò diligere, vt alter pro altero mori paratus esset. An non egregia illorum vox erat: *Omnia indiscreta sunt inter nos prater vxores:* vt legimus apud Tertullianū. Ponebatur in medio arcatin eam pro suo quisq; arbitrio conferebat elemosynam, iudicio Præpositi erogandam, vt seruiretur viduis, pupillis, pueris & puellis post mortem parentum alendis, domesticis etiam senibus, naufragis, vinctis, peregrè aduenientibus hospitibus, sed & mortuis terra mandandis. Habebant insuper conuiuia domestica, quæ elemosynæ ac benignitatis causa fiebant pauperibus refocillandis, vt communem cibum facerent cum ijs, qui secundum Deum fratres essent. Eiusmodi conuiuium, quod religiosè inter fideles exercebatur, sicut etiā^a Cyprianus docet, *ἀγάπην* appellabant, ad quam Petrus Apostolus apud^b Clementem exhortatur, & de quaidem Clemens meminit libro secundo Constitutionum Apostolicarum. Putant eruditi, hoc elemosynæ genus nō multū in fuisse illi dissimile, quod Germani *Spendam* vocant, & ^aTertulliano *refrigerium inopum* dicitur. Ad hanc charitatē referre videtur^b Cassianus id quod ab Apostolo scribitur: *Ergo dum tempus habemus, operemur bo-*

Act. 4.

Psalm. 132.

In Apolog.
aduers. Gēt^a Lib. 3. Testimoniorū.
^b Epistol. ad fratrem Domini.^a In Apolog.
^b Collat. 16. cap. 14.
Galat. 6.

num. ad

num ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Volens prætereo alia & communia pietatis Christianæ exercitia, in quibus religioſa vetuſtas libenter verſata eſt, vt quod confluerent ad cœtus antelucanos, quod communes preces & ſupplicationes inſtituerēt, in quibus pro Imperatoribus, eorumq; miniſtris, quamuis ethnicis, Deum comprecabantur, ſed & Deo Chriſtoq; hymnos piè cantabant. Vnde Tertullianus quoq; dixit, Fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiducia figimus.] Adiungit porrò vſitatas eo tempore exhortationes, caſtigations & cœſuram diuinam, quo nomine vocat Excommunicationem eccleſiaſticam, ſicut verba mox ſequentia nō obſcurè declarant. Plura id genus in medium poſſent adferri ex *a* Iuſtino, *b* Tertulliano, *c* Athenagora, *d* Arnobio. Illud prætereire non poſſum, quod apud *e* Euſebium Cæſareenſem legimus de illuſtri Chriſtianorum veterum charitate, qui ſub Maximino tyranno communem cum Ethnicis vitam valde calamitoſam exegerunt. Tanta enim peſtis ac fames paſſim graſſabatur, vt innumerabiles homines, ne diuitibus quidem exceptis, funeſta & repentina morte extinguerentur, & nec illi quidem ſuppeterent, qui mortuos traderent ſepulturæ. Omnia loca, angiportus, forum, plateæ lacrymis, mœrore & planctu redundabāt: quando quidem duo mortis tela, peſtis & fames, vniuerſas familias breui temporis ſpacio crudeliter abſumebant. Quo tempore, inquit idem Euſebius, clara ſingularis Chriſtianorum erga quemq; & ſtudij & pij animi indicia apud omnes increbuerunt. Nam hi ſoli in tanto malorum cumulo ſuis rectè factis miſericordiam declarabant & benignitatem: quorum alij in dies ſingulos mortuorum funeribus & ſepulturæ (inſiniti enim erant, quibus ſepeliendis nemo curā adhibuit) diligentem nauarrunt operam: alij multitudine eorum, qui per totam ciuitatem fame vrgebantur, in vnum coacta, omnibus panes diſpertierunt: vſque ad eò vt hoc præclarū facinus per omnes homines conſtanti fama & magna celebritate peruaderet, & ſinguli Chriſtianorum Deum gloria & laude prædicarent, eosque ſolos & veros Dei cultores re &

In Apologetico.

a Apologia 2.

b Lib. 2. ad vxo. & de cultu ſam.

c Oration. pro Chriſtian.

d Lib. 9 eccl. hiſt.

cap. 7.

factis.

factis comprobatos faterentur. Ita demum illorum fideliū eluxit viuīda charitas, quam Christus tam grauitē mandauit, & nō solūm Apostoli, sed & primi corū discipuli modis omnibus obseruarunt, vt iuuandis alijs in anima & corpore, non minū vitā quā opem præsēntem impenderent, suo quē damno & vitæ periculo tot mille hominū salutem procurarent.

VERVM enim verò quis vnquam explicet satis, iustē que deploret ad eò refrixisse atq; extinctā iacere charitatem sanctā, vt quæ sua sunt, quærant omnes? Exulat charitas, quæ credit omnia, sperat omnia, sustinet omnia, si Paulo fidem habemus, quā & ille tot pulchris notis depingit, toties quē commendat. Quid illo miserabilius esse potest, qui vestē hanc nuptialem exiit aut deturpat? *Qui enim non diligit*, vt Iohannes affirmat, *manet in morte*, vt sit omninò miser ac perditus in hoc & futuro seculo: solūm diligētibus Deum & proximum omnia in bonum cooperantur. *Si charitatem non habuero*, inquit ille, *nihil mihi prodest*, quicquid nempe boni facere videar. Cur ego mihi quoque nō succēseo, qui veritatē hanc vnā omnium nobilissimā, & maximē necessariā à me ipso non magis exigo, sicut illam in primis exigit Christus, & constanter vrget Apostolus, vt in credētibus continua, sincera & flagrās vsq; vigeat? Cur itidem amarē illos nō desleo, qui nescio qua Fide contenti, & prauis affectibus occupati, aduersus incomparabilem charitatis thesaurum bellum gerunt irreconciliabile, & sacrum ignem de cœlo à Christo missum vt in terris ardeat, vi quadam supprimunt & extinguunt? Etenim pro hac charitate placet illis insana cupiditas, malorū omnium radix, quæ fideles etiā homines in laqueos diaboli ac foueam æternæ damnationis pertrahit. Adhæc pessimis consultoribus inuidiæ & odio faciles præbent aures, ac imprimis obsequuntur affectibus, quos vti serpentinos foetus, velut pestifera vipera gignit atq; fouet. Vnde cū illi seipsos immodicē amāt, in illos incidunt scopulos, vt sicut Paulus loquitur, *fiat sine affectione*, qui nempe affectu amicitiae in homines carent, &

1. Cor. 13.
Rom. 13.
& 15.
Galat. 5.
Eph. 4.
Matth. 22.
1. Iohan. 3.
Rom. 8.

1. Cor. 13.

Luc. 12.

Rom. 1.
2. Tim. 3.

& sine pace, hoc est, nescij fœderis, sed & incontinentes lingua, ventre, & alijs membris, vt Chrysoſtomus interpretatur, præterea intemperantes, quoad cibum, potum, vestitum & reliqua ad victum spectantia, demum sine benignitate & misericordia, vt veriùs eos belluas, (omne enim animal simile sibi diligit) quã homines agnoscere possis. Longa & exitialis malorum est lerna, quam veræ charitatis neglectus atque contemptus secum vehit, quemadmodum idem Apostolus multis propositis vitiosis effectibus luculenter affirmat.

Ego verò meam erga Christum ingratitude ac inobedientiam, meamque erga proximum in amando negligentiam tristis accusabo, quandoquidem meipsum potiùs quàm proximum amare consuevi, & fratres propter Christum sincerè complecti ac fouere nescio, magis quàm sum frigidus in amandis hostibus, sicut & segnis in præstandis officijs charitatis seu misericordiæ, quæ Christus à me certò certius in iudicio suo requiret. Proinde vereri prorsus debeo, ne in me quadret dictum eiusdem iudicis formidabile: *Habeo aduersus te pauca, quòd charitatem tuã primam reliquisti. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & neq; frigidus, neq; calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Amice quomodo huc intraſti non habens vestem nuptialem? Quamdiu non fecistis vni de minoribus istis, nec mihi fecistis. Ite maledicti in ignem æternum.* Tantòque mihi charior erit Iohannes Euangelista, qui ex Apostolis omnibus fraternam charitatẽ spirat ac vrget maximè, nec minùs exemplo quàm Epistola sua canonica præclarè commendat. Sicut enim Hieronymus de illo scriptum reliquit: Beatus Iohannes Euangelista cùm Ephesi moraretur vsque ad vltimã senectutem, & vix inter discipulorũ manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, *Filioli diligite alterutrum.* Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt, *Magister quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Iohanne sententiam: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.]* Tam

Eccles. 13.

Rom. 1.
2. Tim. 3.

Matth. 25.

Apocal. 1.2.
& 3.Matth. 22.
& 25.In caput 6.
ad Galat.

In cap. 5. ad
Ephes.

pulchrè Iohannes à Christo dilectus alios etiam dilexit, & diligere monuit fratres, eaquè dilectione præcepta Dei omnia voluit comprehendere. Nec alienum est quod idem scribit Hieronymus, Hebraico Euangelio teste, Dominum ad discipulos ita dixisse, Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in charitate.]

Quia verò de mundus non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

OBSERVABO singularem Christi Domini erga suos amorem, qui ab illis iam iam digressurus ad crucem, mœstos mirificè ac fideliter cōsolatur, & contra imminentem malorum tempestatem atque persecutionis vim infirmos animos providè instruit, ac paternè præmunit. Et quoniam Apostolicum festum est quod hodie celebratur, multa ego colligam & expendam, quæ Apostolorum dignitatem illustrent, & in præsentī Euangelio non obscure nobis commēdantur. Nulli profectò æquè ac isti primarij discipuli, inter se fuere coniunctiores, & fraternæ dilectionis præceptum, quod ad eò Christus postulat, religiosiùs & exactiùs corde, ore & opere compleverunt; qui in Christo & propter Christum notis ac ignotis, probis ac improbis, amicis & hostibus plus quàm veteres Prophetae omnes, charitatem ardentem declararunt, parati suas etià animas pro alijs impendere, Vnde Paulus quoq; dixit, Ego libentissimè impendam & superimpendam ipse pro animabus vestris; licet plus vos diligens, minùs diligar. Quid illis discipulis excellentius? qui à tali tantoquè magistro ad sublimem Apostolatum euecti, & de maximis quibusq; mysterijs Evangelij domi ac foris edocti, meritò illud elogium audierunt, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Hi cunctis philosophis & mundi sapientibus longè præstant, licet paruuli à Christo dicantur, quibus à Patre diuina, & priùs inaudita mysteria reuelantur, & per quos totus orbis in salu-

2. Cor. 12.

Luc. 8.

Matth. 11.

tari doctrina fidei mirabiliter illustratur. Incomparabilis istorum est vocatio, qui Regis Christi Legati, primi; sacri Euāgelij prædicatores, & Ecclesiæ tum lumina, tum fundamenta in mundum longè latèque mittuntur, missi autem fructum permanentem Iudæis & Gentibus adferunt in patientia sua. Quid his militibus & athletis Christi fortius, qui mundū immanem ac impium nō solūm oppugnare, sed & Euāgelico iugo subijcere potuerunt, & in ipsa cruce plurimūm sibi sunt gratulati? Verūm inter hostes alios nullā gentem æquè ac Iudaicam, obstinatam ac rebellem experti sunt, quando illa suæ perfidiæ, ignoratiæ & contumaciæ veniam & excusationem nullam potuit obtendere; adeò suas illi tenebras mordicus defendebant, ac nullū Apostolicæ doctrinæ lucem admittere dignabantur. Adhæc perfectè illi mundum & quæ mundi sunt, contempserūt, quādo post acceptum Spiritū in medios hostes profilierūt, summisq; periculis, afflictionibus & ærumnis obnoxij, suam vocationem ita cohonestarunt, vt omnes agnoscerent, illos constātes & germanos Christi esse discipulos atque sectatores, quemadmodum hoc loco & alibi Christus futurum subindicauit. Quid igitur sacrorum Apostolorū officio sublimius ac difficilius? quid sanctius ac venerabilius constitui potest? vtpote quos Christus omnium dominus tanti habuit, vt illi vniuerso mundo magistri, primi; pastores Ecclesiæ præficerentur. Deniq; nullum genus hominum de tota Ecclesia præclariū meruit, nobisque credentibus debet esse commendatiū. De horum functione ac dignitate nos alibi plura notauimus.

PECVLIARITER ex hoc discam Euangelio, sicut Christus discipulos docere voluit, mūdi naturam & indolem agnoscere, & ex hac agnitione illum ipsum vti hostē inuisum habere ac fugere. Si quippe mundi naturam & indolem spectem, in tenebris quibusdam obæcatus & mundi principi subditus, Deum & Dei iudicium nō cognoscit, ipsumque Spiritum veritatis reijcere potest, & accipere nō potest. Sic enim Iohannes clarè testatur: *Mundus per ipsum (Christum) factus*

Luc. 10.
Matth. 10.
& 28.
Iohan. 15.

Matth. 10.
& 24.

Iohan. 1.

est, & mundus eum non cognouit: quin & Christus ipse monet, quòd mundus accipere non possit Spiritum veritatis. Vetus & ille mundi mos est, vt amicos seruosq; Dei odio prosequatur: quoniam inde à principio pijs infensus ac infestus, nec minùs fallax hypocrita, quàm crudelis tyrannus, erga benè momentes nunquam non se ingratum, ac perpetuò sui similem, hoc est, rebellem & contumacem ostendit. Vnde Christus etiam suis dixit Apostolis: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegeri vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Quarè nihil mirum est, quod de se doctor Gentium dicat, *Si adhuc hominibus placere, Christi seruus non essem.* Iam verò si mundi studia & blandimèta contempler, quid aliud se mihi offert, nisi inanis gloria, breuis lætitia, fumosa potentia, carnis voluptas momentanea, falsæ diuitiæ, familia infida, praua que concupiscentia? Vt verè hîc quoque locum habeat, quod à Propheta scribitur, *Omnis gloria eius quasi flos agri, exiccatum est fenum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo.* Quòd si Salomonem sequimur, est hic mûdus velur mulier ornatu meretricio instructa, & ad decipiendas animas præparata, quæ procaci vultu blanditur, sed sapienti prorsus fugienda, si salutis suæ benè cupiat esse consultum. Hic ille tyrannus est, qui per Iudæos iam pridè sæuijt, vt iustos Prophetas de medio tolleret, adeò que contra Christum Prophetarum dominum implacabili odio flagrauit, vt pessima quæque pro innumeris beneficijs rependeret Opt. Max. Redemptori, illum que ad horrendum mortis supplicium impiè raperet. Iactat & ostentat hic mundus diuitias, sed incertas atq; fallaces. *Va autem vobis diuitibus*, inquit Christus, *Diues difficile intrabit in regnum colorum.* Et qui volunt diuites fieri, *incidunt in tentationem & laqueum diaboli*, ex Pauli sententia. Mundus rerum & facultatû gaudet affluentia: quoniam ignorat, nihil infelicius esse, vt quidam dixit, infelicitate peccantium, qui vt Psaltes canit, *confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Placent mundo magnifici apparatus, pretiosæ vestes, cultus elegantia, ac omne

volupta-

voluptatum genus, quod ad corpus oblectandum refertur. Obliuiscitur interim, quod omnium iudex Christus diuitem epulonem incuset, qui purpuratus inceserit, splendidè vixerit, & quotidie fuerit epulatus. Vnde Apostolus disertè monet: *Si secundum carnem vixeritis: moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Viuens in delicijs vidua mortua est*, quoniam carne viuens, mortua est spiritu.

CVR igitur, si sapio, hunc mundum tot peccatorum for-
dibus inquinatum, ac semper immundum, bonorumque ho-
stem, & perditorum patronum nō agnosco, nō despicio, non
fugio atque detestor? *Qui enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo*, Iohanne Apostolo teste, *Et qui amat periculum, in illo peribit*, cum cunctis nempe mundi filijs, quorum extrema & lamentabilis vox illa futura est: *Quid nobis profuit superbia: aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierūt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius praeurrens: & tanquam nauis quae pertransit fluctuantem aquam, cuius cum praeterierit, non est uestigium inuenire*. Quapropter maiorem in modum dolebo, tam multos hodie passim reperiri, qui mundi studijs ac retibus intenti, velut oculos tenebris tenēt assuefactos, eosq; ad lucem diuinæ veritatis nequeunt attollere. Pauciores curam vllam suscipere cogitant, vt mūdi contemptum & fugam cum puro & ardēti amore Christi coniungant. Paucissimi demum intelligūt, inter Christum & mūdum tantum esse discriminis, quātum inter ignem & aquam aliasque res, quæ cōtrarijs constant qualitatibus, & in quibus nulla pax & consensio, sed perpetua quædam & irreconciliabilis est dissimilitudo. Hinc mundo & carni est insipida & ingrata prorsus Euangelica Christi philosophia, quæ terrenarum fluxarumq; rerum odium, voluptatum compressionē, & viam crucis angustam proponit atque commēdat. Surdi sumus ad illa Christi luculenta verba, *Qui non accipit crucem suam & sequitur me (in mundi odio scilicet, cultuque virtutum) non est me dignus: qui inuenit animam suam, perdet illam; & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*. Mundus verò licet vana, & ple-

Luc. 16.

Rom. 8.
1. Tim. 5.

1. Iohan. 2.

Eccl. 3.

Sapi. 5.

Matth. 10.

Matth. 13.

runque falsa promittat, tamen seruos habet semper obsequē-
tissimos, qui à Christi regno sunt tantò remotiores, quantò
magis mundi retibus & diaboli laqueis irretiti tenentur, atq;
suis spinis antiquis, vti Christus vocat, mordicùs magis in-
hærent.

Eccles. 6.

HINC ego meum confirmabo animum, vt rectiùs nôrim
veros & falsos amicos distinguere, paucosq; bonos ac sin-
ceros, mundo licet inuisos & exosos, fictis atque fucatis pluri-
mis antepo-
nam, Vt enim Sapiens admonet, *Amicus si perman-
serit fixus* (siue constans in officio suo) *erit tibi quasi coequalis,
& in domesticis tuis fiducialiter aget. Amico fideli nulla est com-
paratio.* Ex his præterea moncor, bono & æquo ferre animo, si

Iohan. 15.

religionis ergò malè tracter, & à nouis sectarijs pro hypocrita
vel superstitioso contemnar ac ridear. Cur enim insanas mū-
di voces, ac veluti canum latratus & morsus me torqueant,
quādo Christum audio præmonentem, suosq; præmunien-
tem: *Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio ha-
bit: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. Non
est seruus maior domini suo, si me persecuti sunt, & vos persequen-
tur.* Immò verò in parte lucri ponam, ac regium esse putabo,

2. Tim. 3.

si cùm benè fecerim, àb istis non optimis audiam malè, & ab
improbis oppugner atque lædar: quādo Christus & Apostoli
cālumnias & maledicta improborum effugere nō potuerunt,
& pijs omnibus prædixerunt. Proinde Apostolicā me senten-
tia confirmabit, *Omnes qui piè volunt vivere in Christo IESU,
persecutionem patientur, & cum verè pijs dicere contendam:*

1. Cor. 4.

*Maledicimur, & benedicimur: persecutionem patimur, & sustine-
mus: blasphemamur & obsecramus: tanquam purgamenta huius
mundi facti sumus: omnium peripsēma vsque adhuc.* Econtra-
riò autem malè mecum agi putabo, si vulgo placere cupiam,

Psal. 52.

aut multorum applausu excipiar, quia scriptum est: *Deus disse-
pauit ossa eorum qui hominibus placere: cōfusi sunt, quoniam Deus
spreuit eos. Amicitia huius mundi inimica est Deo. Quicumq; ergo
voluerit amicus esse seculi huius: inimicus Dei constituitur.* Eo mi-
hi potius ad laborandum est, vt Paulinum spiritum induam,

Iacob. 4.

mundiq;

mundi; amore ac studio profus abiecto, ingenuè dicam: *Mundus mihi crucifixus est. & ego mundo. Quæ mihi fuerunt (in mundo) lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Vnde idem Apostolus à Christianis etiã coniugibus hoc exigit: *Qui utuntur hoc mundo, sint tanquam nõ utantur: præterit enim figura huius mundi.* perinde ac si diceret, Mundus hic qui transit, ac vniuersa eius concupiscentia, nihil habet solidi, sed speciem & imaginẽ tantum bonorũ & malorum præsefert: ideoq; profus tutum nõ est, rei labenti & fluxæ, sicut vapor, fumo vel vento adherescere, taliq; mutabili & fragili arundini sese committere. Nam & per Isaiam Deus mũdi filium corripiens inquit: *Super quem habes fiduciam, quia recessisti à me? Ecce confidis super baculum arundineum confractum.* Igitur ad illum precandi modum me componam atq; assuefaciam, qui proculdubiò Apostolis fuit familiaris, vt duas precationi meæ alas adiungam, mundi nempe contemptum, & carnis afflictionem: cum eiusmodi precatio Deo & Angelis eius inprimis placeat, & ad quiduis impetrandum sit efficax. Vt hinc Paulus etiam dixisse videatur, *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.*

Galat. 6.
Philipp. 3.1. Cor. 7.
1. Iohan. 2.

Isai. 36.

2. Cor. 12.



DE SS. APOSTOLIS SIMONE ET IUDA.

LAUDAT Apostolus Paulus Timotheum suum ex matre Eunice, & auia Loide genitum, quod ille vtriusq; matronę fidem & religionem egregiè imitaretur. *Laudabo igitur & ego Simonẽ & Iudam, quorum hodie celebris est memoria, quando quidem ex probis ac laudatis parentibus in lucem prodierunt, patre nimirũ*

2. Tim. 1.

Iohan. 19.
 Marc. 16.
 Luc. 24.

Prou. 18.

Ecclef. 6.

Matth. 10.
 Marc. 3.
 Luc. 6.

In Festo
 Philip. &
 Iacob.

Cleopha, vel vt alij voſit, Alpheo, & matre Maria, quæ in Euā-
 gelio prædicatur, quòd ſoror fuerit Deiparæ Virginis, & quòd
 cū illa ipſa, ſicut & cū Magdalena atq; Iohanne, iuxta crucem
 Domini ſteterit, digna certè, quæ cum alijs religioſis mulieri-
 bus mortem & ſepulturam Domini honorantibus in pretio
 habeatur. Etenim reiſa monſtrauit, ſe Apoſtoliſ alijs, qui
 Chriſtum hoſtibus traditum deſeruerant, conſtantioſiorem, &
 calicis Domini ſui teſtem, atq; ex animo participem eſſe. Vnde
 quoniam fidelis amicitia certū ſpecimen dedit, ad illam quo-
 que referri poteſt dictum Salomonis: *Omni tempore diligit qui
 amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur.* Nec fruſtra dixit
 Sapiens, *Qui inuenit amicum, inuenit theſaurum. Amico fideli
 nulla comparatio.* Cur ergo hanc matrem ego felicem nō dixe-
 rim, quæ tres nobis Apoſtolos, non ſine ſingulari priuilegio in
 lucem edidit? Simonem qui & Cananæus & Zelotes, ac Iudā
 qui & Thaddæus in Euangelio dicitur, vnā cum Iacobo mi-
 nore, quem in matris vtero ex veterum ſententia ſanctificatū,
 & primum Hieroſolymitanū Episcopum ab Apoſtoliſ fuiſſe
 præfectum, alibi monuimus. Eſt & illa non infima laus, quòd
 hi fratres conſobrini Domini fuerint, & fratres quidem non
 carne minùs quàm ſpiritu inter ſe valde coniuncti, quos nemo
 prudens ambigit, Chriſtianæ charitatis, quam hodiernum cō-
 mendat Euangelium, perquàm ſtudioſos cuſtodes & propa-
 gatores extitiſſe. Quare nō fuerit abs re, ſi fonti bonorū om-
 nium Chriſto peculiare agā gratias, qui hos duos optimos,
 lectiſſimos, chariſſimoſq; fratres, ac illorum laudabilem quo-
 que progeniem clementer elegit, & electos ad Apoſtolicum
 euexit ordinem, vt primarijs Eccleſiæ columnis atque funda-
 mentis aggregarentur, & per eoſdem Euāgelica doctrina præ-
 clarè apud gentes illuſtraretur. Extat Abdia liber de certami-
 nis Apoſtoliſiſ historia ſcriptus, & à VVolſgango Lazio non
 ita pridem in lucem editus: qualiſcūq; autem ille autor fuerit,
 de quo dubitant nonnulli, certè horum Apoſtolorū comes,
 diſcipulus & primus ab illis ordinatus in ciuitate Babylonis
 Episcopus prædicatur, qui mirandis illorum geſtiſ in Perſide

interfueſ

interfuerit, & quem Nicephorus quoque citare non veretur. Ego ex hoc Abdia, qui Christum in carne vidisse dicitur, & è Latino eius interprete Africano id solum repetam, quòd excellentem & Euangelicam verè doctrinam, his duobus Apostolis dignā redolet, simulq; illorum illustrat animos ab omni vindictæ cupiditate alienos, immo qui perfectâ Christi charitate flagrauerint. Etenim illi ad suos capitales ac nefarios inimicos puniendos prouocati, coram Ethnicis magistratibus in hunc modum differuerunt: Disciplina Magistri nostri has leges tenet, vt non solum malum pro malo non reddat, sed etiã bona pro malis restituat. Estq; hoc discrimen inter nos & cæteras disciplinas, quia omnes reliqui malum reddunt pro malo, omnesq; odientes se odio habent: nos autem econtrâ diligimus inimicos nostros, & benefacimus his qui nos odiunt, & oramus Dominum pro calumniantibus & persecuentibus nos.] Aequè Christianum, immò verè Apostolicū illud eorum dictum est: Nos innocentes soluere decet, & nocentes prodere non decet.]

DE Simone Apostolo Clemens Romanus meminit, eiq; canones quosdam editos tribuit ac receuset: neq; tacet idem de fratre Simonis Iuda Thaddæo, qui etiam pro autoritate sua Christianas viduas Ecclesiæ commendârit, & inter illas Iudith & Annam, vt honestissimas & grauissimas fœminas, prædicârit. Communis veterū est sententia, Simonem in Aegypto, Thaddæum siue Iudam in Mesopotamia Christi Euāgelium disseminasse, quiq; in Perside postea conuenerint, vbi efferatis gentibus doctrinâ & miraculis plurimum ac felicissimè laborârint. Addit hoc etiam Nicephorus, Simonem hunc Cana Gallilææ ortum, & propter flagrantem in Magistrum suū amorem, summamq; Euangelicæ rei per omnia curam, zelotem esse cognominatum. Profectò zeli ardentis indicium satis præbuit, qui Euangelij prædicandi causâ tam multas prouincias peragrauit, nimirum Aegyptum, Cyrenen, Mauritaniam, Libyam, eandemq; doctrinam ad occidentalem oceanum, insulasq; Britannicas vsq; fideliter spargens. Caterùm

Lib. 1. cap.
11. & alijs.

Lib. 8. Cõ-
stitution.
cap. 27. &
28.
Eod. lib.
c. 26.

Lib. 2. hist.
cap. 40.

post edita multa signorum & prodigiorum miracula, cum iam innumerabiles ærumnas & afflictiones pertulisset, non sine incredibili quadam lætitia mortem per crucem subiens, ad magistrum suum transijt. Idem Nicephorus autor est, Iudã hunc, cui duplex cognomen Thaddæi & Lebbæi fuit, Iudæam primùm & Gallilæam, Samariam & Idumæam, deinde Arabiæ ciuitates, necnon Syriæ & Mesopotamiæ regiones peragrassè, atq; suum illic ornassè Apostolatam. Certè Prophetico spiritu nõ fuit destitutus, multùm dissimilis Iudæ Iscariotæ, proditori nempe perfido, qui, vt Petrus loquitur, *dux fuit eorum qui comprehenderunt IESVM, & possedit agrum de mercede iniquitatis, ac suspensus etiam crepuit medius.* Iohannes quidem Euangelista hunc Iudam ab Iscariote manifestè distinguit, & illam interrogationem eidẽ assignat: *Domine quid factũ est, quia manifestaturus es te ipsum nobis, & non mundo?* Notat verò Cyrillus, hanc interrogationem ex charitate mansissè, cū sollicitus esset de futura filij Dei manifestatione. Christus illum quidem non parùm honorauit, quum ei mox præclara illa verba respondit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus.* Utinam verò mihi quoque liceat, nomini meo, quo sum insignitus, pro dignitate sic respondere, sicut Iudas hic bonus respondit, & sedulum præstare auditorem, immò & amatorem Euangelij, de quo libenter loquar & interrogem, Christum intimè diligens, vt illud præceptum seruem: *Accipite disciplinam meam, & non pecuniam; doctrinam magis quàm aurum eligite: melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis; & omne desiderabile ei non potest comparari.*

RECTE autem ac laudabiliter factum putabo, vt hi Apostoli duo simul eodem die in Ecclesia celebrentur, quãdo quidem illi sancto Spiritu pleni, & amore fraterno mirè conglutinati, in Perside doctrinam Euangelicã coniunctis operis diu propagarunt, & eodem quoq; tempore vitam cum optata morte læti commutarunt; vt sicut vita irreprehensibili, ita &

morte

Actor. I.

Iohan. 14.

In Iohannem.

Prou. 8.

morte sancta Christum glorificarent. Ac Iudas quidem, qui se Iacobi fratrem appellat, ab Eusebio commēdatur, quod post Christum in cœlos assumptum Edessam peruenerit, & regem Abagarum ex Christi mandato inuiserit, eumque graui & incurabili morbo liberârit, ac multos deinde ad Christi fidem sua doctrina conuerterit, & præterea in Syria uerbum Domini cum laude prædicarit. Habemus ab eodem Iuda scriptam Epistolam canonicam, si Ecclesiæ spiritum sequimur & auctoritatem, in qua hoc quidē tempore duo maximè nobis consideranda proponuntur. Prius est, ut meminerimus Apostolici vaticinij, quo prædictum est de uenturis hereticis, quos ille uelut uiuo colore depingens, inter alia dixit: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.* Vocat eos præterea illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Ita uerò nostri temporis perstringit Sectatorios, qui sub Euangelici nominis, Christianæque libertatis prætextu suam carnalem licentiam passim inuehunt atque defendunt. *Hi sunt,* inquit, *murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorū loquitur superbiam,* quemadmodum, si ex tetrīs fructibus arbor agnoscenda est, nouæ religionis homines factitant impudenter. Deinde ne arbitremur, ad Christianismum absoluendum sufficere, si heretici tanquam pestes Ecclesiæ deuitentur, sicut & Paulus ab omnibus exigit, sapienter hic Apostolus Iudas omnibus præscribit Orthodoxis, ut seipsos sanctissimæ nostræ fidei superædificent in Spiritu sancto, utque orationi uacent, ac seipsos in dilectione Dei seruent, misericordiam Domini nostri IESU Christi expectantes in uitam æternam. Cur autem hodie complures instar arundinis, nouæ falsæque doctrinæ uentis circumaguntur, ac turpe uel in portu ipso faciunt subinde naufragium: Ea nimirum de causa, quod castris Dei uiui relictis, extra arcam nauigent, & sanctissimæ fidei tot sæculis probatæ & conseruatæ seipsos non superædificent, assidueque non crescant in Spiritu sancto, benè ac piè uiuendo, nec seipsos per studium orationis in dilectione conseruent, ac demum in sua uocatio-

In Epistol.
Lib. 1. hist.
c. 13.

Matth. 7.

Tit 3.
Rom. 16.
1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

Lib. 1. ad-
uerf. Iou.

ne Christi aduentū non patienter ac vigilanter expectent. Ego verò diuina gratia fretus, & Apōstolicis monitis morē gerens, omnem operam dabo, vt nouæ falsæque doctrinæ fermentū, quam Catholica damnat Ecclesia, magno zelo detester, vtq; salutaris fidei fundamento, quod ipse Christus est, studiosè superstruam siue superædificem, sicut Paulus requirit, aurum, argentum & lapides pretiosos, hoc est, opera in fide & charitate facta, quæ DEO placent, ac facienti sunt salutaria. Quæ de te monet etiam Hieronymus, cū pugnat aduersus Iouinianum.

QVAPROPTER vt sacrum hunc diem cum fructu tranfigam, hosce præstantes, selectos & amabiles Christi consanguineos, verosq; Apostolos venerabor, qui demando sibi grauissimo muneri præclarè satisfecerunt, qui cum impijs magis & præstigiatoribus, alijsq; nefarijs idolorum cultoribus ingentia confecerunt certamina, qui in Babylone & Perside diu versati, multas fundarunt Ecclesias, ijsq; necessarios ministros ordinarunt, qui Christianam doctrinam fide dignis miraculis potenter astruxerunt, qui denique post summos labores pro Ecclesiæ fundandæ vtilitate susceptos & exantlatos perpetuam sibi laudem promeruerunt, illustremq; martyrij lauream reportârunt. Hinc optabō multos id genus fratres in Ecclesia reperiri, quos non modò carnis propinquitas, verum etiam eadem fides & spes & charitas verè germanos faciat, quiq; sicut in vita sua se mutuò diligunt, & in eadem Ecclesia prouehenda coniunctis animis collaborant, ita etiã in sancto studio & zelo ad mortem vsque constantes perseuerent, neq; solùm doctrina & vita, sed etiam, si sit opus, morte & sanguine se perfectos Christi discipulos, & infractos Ecclesiæ propugnatores esse comprobent. In illos haud dubiè quadrat dictum Salomonis, *Frater qui adiunatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Cū autem omnes ex vno parente simus orti, Christi que cohæredes ex gratia censeamur, diuinæ Scripturæ mos est, vt Credentes, & baptismo sanctificati Christiani, quantumuis natura ignobiles ac impuri, tamē dulcissimo fratrum

Prou. 18.

nomine

nomine cohonestentur. Sic enim Christus ipse suos etiam appellare dignatur, ut nobis consolationem spiritus, & spem salutis æternæ augeat; suamque in nos benevolentiam & misericordiam tuam charitatem maximam aperte commendet.

Iohan. 20.
Hebr. 2.
Psalm. 21.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS mihi Deus est pro spiritu fraternæ charitatis, qui hodie maiorem in modum refrigit, in hominum animis resuscitando, ut secundum indispensabile Christi præceptum, nihil antiquius, nobisq; commendatius habeatur sincerâ proximi dilectione, quæ totius legis est compendium, siue ut Paulus loquitur, plenitudo, & vinculum perfectionis.

Rom. 13.
Coloss. 3.

ORABO insuper pro mundi filiis ac amatoribus, ut neq; scientes, neq; ignorantes Christum in seruis & ancillis eius quocumq; modo persequantur, sed honorent potius, ac in fidẽ simul & vitam et se sectentur. Etenim scriptũ est, Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. ac iterum: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.

Psalm. 104.
Zach. 2.

FUNDAM & preces pro Ecclesiæ Catholice ministris atque doctoribus, ut illi solidas vires tum ad laborandum, tum ad patiendum cum munere suo coniungant, utq; cum Apostolis Dei gloriam & animarum salutem sincere procurent, cum Paulo vere testantes, Non quæro quæ vestra sunt: sed vos.


2. Cor. 12.

DE MVVM in omnibus Apostolorum feriis, quæ quotannis recurrunt, peculiariter illam Dei gratiam expetam, quæ in Apostolis effulsit maximè, gratiam inquam, sanctæ fidei constanter profitemda, patientiæ in rebus aduersis exercitanda, charitatis bonis & malis declarandæ, fortitudinis in periculis & certaminibus exhibenda,

deniq;

Matth. 5.
10. & 4.
Apocal. 21.

deniq; iustitia Deo, Ecclesia & hominibus usq; ad mortem, & si opus sit, sanguinem, priuatim & publicè testificanda. Fuerunt illi præ omnibus alijs viq; sal terra, lux mundi, prudentes sicut serpentes, simplices sicut columba, hominum piscatores, & Ecclesia fundamenta atque columnina.



IN DIE FESTO SANCTIS OMNIBVS DICATO.

Sequentis Euangelij Argumentum.

DECLARATVS ab æterno Patre Christus, quis & quantum esset, cum suos iam collegisset discipulos, & ingentem hominũ turbam fauentem haberet, ascendit in montem, vt se doctorem cœlestem, ac legis Euangelicæ promulgatorem præstaret publicè. Eius prædicationis, siue vt vocant, sermonis in monte præclarum hoc est exordium, quod octo, vt iam dici cœptum est, beatitudines complectitur. Et rectè Christus prædicaturus in montem ascendit, vt eo ipso demonstraret, ijs qui per ipsum salutem quærunt æternam, veluti per gradus quosdam virtutum, per scalam Iacob præfiguratos, in cœlũ cõscendere oportere. Quis enim habitabit in Dei tabernaculo? aut quis requiescet in monte sancto eius? nisi qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam hic propositam, & paucis verbis amplissimè comprehensam. Promittit quidem eximia & æterna Christus in hoc ipso Euangelio, sed non Credentibus tantum, verum etiam humilibus siue spiritu pauperibus, mitibus, luctum salutarem assumentibus, iu-

Genes. 28.


Psal. 14.

stitiam

sticiam desiderantibus, misericordibus, corde puris & mūdis, pacificis, ac demum propter iusticiam afflictis, siue crucem sustinentibus. Adeo vera est Pauli sententia: Qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Neque solum isthæc Apostolis præsentibus, sed omnibus quoq; credentibus ac credituris dicuntur, vt aliquã nouæ legis formulam, & Christianam habeant institutionem omnibus & singulis in hac vita necessariam. Quod Euangelium præsentis festo non malè congruit, nimirum vt angusta & arcta æternæ salutis via sit nobis commendatior, quæ Sanctos hodie celebratos ad cœlos vsq; prouexit, vt non modò veræ fidei gratiam, sed & omnis Christianæ iusticiæ mercedē, coronam atq; gloriã perpetuam assequerentur. Bonorum laborum gloriosus est fructus.

2. Tim. 2.

Sapi. 3.




EVANGELIVM MAT-
thæi v.



In illo tempore videns IESUS turbas, ascendit in montem: & cū sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos: dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iusticiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cū maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentien-

tes, pro-

tes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM ET
FESTVM.

*Videns IESUS turbas, ascendit in montem: & cùm
sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius.*

Matth. 23.



HRISTO cœlesti ac incomparabili doctori, de quo dictum est, *Vnus est magister vester Christus*, peculiare agam gratias, vt qui de summo cœlo descendens, sicut antea per Prophetas legem antiquã

Iohan. 17.

obscurè docuerat, ita per se demum Legem Euãgelicam huic mundo clarissimè patefecit, sicut & illis verbis ad Patrem loquens ostendit: *Ego te clarificaui super terram: manifestaui nomẽ tuum hominibus, quos dedisti mihi de mũdo.* Etenim incredibili

Ezech. 34.

bono Ecclesiæ factum est, vt vetus illud vaticinium per Ezechielem editum re ipsa completeretur, *Suscitabo super oves meas pastorem vnum qui pascat eas*; vt reliqua prætermittam. Ad quẽ

Matth. 9.

locum Euangelista Matthæus alludens, hoc scripsisse videtur, *Videns IESUS turbas, misertus est eis; quia erant vexati, & iacentes sicut oves non habentes pastorem.* Consonat & præsens Euangelium, cùm proponit ingentem ac miserandam hominum, velut errantium ouium, frequentiam, quæ nos meritò

Isai. 53.

admonet dicti Prophetici: *Omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit.* Hinc ego meã quoq; sortem iure deplorabo, meãque natiuæ ignorantiæ, ac quotidiana

Psal. 118.

miseriæ conscius, vnã cum Psalmographo dicam, *Erraui sicut ouis quæ perijt; quere seruum tuum Domine.* Quid autem ego

1. Petr. 2.

huic pastori & Episcopo animarũ nostrarum, sicut Petrus illũ

vocat,

vocat, non debeo, qui factus est nobis via, veritas & vita? ut si eum ducem & doctorem sequar, quemadmodum certe illū Apostoli secuti sunt, nō ambulem in tenebris, sed lumen vitæ perpetuum habeam, eumq; legislatorem possideam, de quo scriptum legimus: *Benedictionem*, siue ut alij codices habent, *Benedictiones dabit Legislator: ibuat de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Etenim inter Moyſi legē & Christi Euāgelium permagnum esse discrimen, Iohannes illis verbis indicat satis: *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per IESVM Christū facta est.* Deinde vni populo vetus lex Moyſi in lapideis tabulis communicata cessit: Christus autem Euāgelium suum cunctis vbique populis & gentibus è monte, veluti suggestu, ore suo sacro, & plenum Spiritu tradidit. Erant præterea non nisi temporaria, caduca, terrena præmia, quæ Moyſi lege promissa fuere: Christus verò non modò spirituales & solidas, sed etiam cœlestes ac æternas promissiones & retributiones suis assignat fidelibus, sicut hodierno Euāgelio luce clariùs designatur, *Quid demum est Euāgelium, nisi doctrina Spiritus & Salvatoris, virtutisq; Dei in salutem omni credēti, & secundum illam sincerè ambulanti? Quare cū Christus in cœlum abiens, Apostolis præcepisset, Euāgelium prædicare omni creaturæ, hoc etiā adiunxit, ut docerent Credentes seruare omnia, quæcunque ipse mandasset. Habuerunt Ethnici suæ quoque doctrinæ placita, siue philosophiam, & sicut Apostolus loquitur, inanem fallaciam secundum traditionem hominum, excæcante deo huius sæculi mentes Infidelium, ut nō fulgeret eis illuminatio Euāgelij gloriæ Christi, qui est imago Dei, & nostra insuper iustitia, nostra sanctificatio & redemptio, primatum tenens in omnibus. Omnis autem qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, (quæ vno & sancto Euāgelij nomine continetur, cunctisque ad iustitiam & salutem assequendam est necessaria) Deum non habet. Qui verò permanet in doctrina Evangelica, hic & Patrem & Filium habet,* Iohanne Apostolo teste.

CAETERVM ego hoc Euāgelium, ut præcipuum in

Iohan. 14.

Iohan. 8.

Pſalm. 88.

Iohan. 1.

Deut. 28.
Isai. 1.1. Cor. 2.
Tit. 1.
Rom. 1.Marc. 16.
Matth. 28.

Coloss. 2.

1. Cor. 7.
2. Iohan. 1.

Coloss. 1.

terris thesaurum nostrum, tantò auidiùs complectar, & studiosiùs colam, quod Matthæus quidem in monte traditum tribus capitibus expediuit: quantò certius constat, Christum illic solū pro autoritate sua Diuina concionari, & suam æternamque sapientiam orbi proderere, vt veram Christianæ iustitię & felicitatis omnis normam habeamus, qualem antea mūdus nunquam expressiùs audierat. Ex animo cupiam prima legis Euangelicæ capita, quæ octo beatitudines appellantur, è sacro Christi ore percipere, ac in illis arcana discere mysteria, quæ mundi sapientibus inde ab orbe condito non fuerant reuelata. Videbo igitur, qualis, & quàm compositus accedam discipulus ad summam hanc philosophiam cum fructu assequendam, quādo me Christus honore tanto dignatur, vt sua secreta, Deiq; verba mihi Adæ filio indigno committat. Certè ad eam vitam quæ caret miseria & beatos efficit, cuncti etiam barbari aspirant vbique gentium, sibi que felicitatem cuncti mortales exoptant. At ego summoperè mihi cauebo, ne ex hoc antidoto salutari ipse mihi conssem exitium, neue pro desiderabili beatitudine horrendam accersam infelicitatem. Ita enim fieri solet illis omnibus, quibus velut stupidis aut furdis hæc diuina prædicantur dogmata, dum ipsi interim steriles vel infructuosæ arbores manent, & Simeonis implent vaticinium, vt Christus in signum contradictionis illis positus esse videatur. Quare quod Apostolus grauitèr monuit, mihi quoque dictum esse cogitabo: *Abundantiùs oportet, inquit, obseruare nos ea quæ audiimus, ne foriè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobediencia accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cū initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Ego certè mihi persuasum habeo, presentes Christi leges firmas ac irreuocabiles esse, neque sine certo magnoque consilio cunctis fidelibus promulgari, & secundum illas Christum iudicem in tremendo suo iudicio nos omnes iudicaturum, & sua cuique vel præmia, vel supplicia perpetua de-

Luc. 2.

Hebr. 2.

finiturum esse. Tantò que magis in eo versabor, vt eiusmodi beatitudines, velut aureos canones, meo prorsus animo insigam, & ex illarũ præscripto vitæ meæ rationes instituam: quoniam breue & expeditum ad summam felicitatem iter demonstrant, ac totius propemodum sapientiæ, quæ Christi discipulo congruit, quasi compendium & summam comprehendunt.

N O T A B O insuper, Christum longè aliter quàm hunc mundũ, de beatitudine docere atq; pronuntiare. Mundi etenim est proprium, rebus caducis & fluxis, quæ hîc relinquendæ sunt, metiri hominis felicitatem, perinde ac si dicatur: *Beatus populus, cui hæc sunt.* Id verò Psalmographus loquitur de illis mundi filijs, qui habent rei domesticæ successum, filiorum & filiarum abundantiam, amplas facultates, oues fœtosas, boves crassas, pacem demum & prosperitatem rerũ ad corpus & fortunas pertinentium. Inmò verò quos Christus beatos hîc pronuntiat, eos insipiens mundus tantum non pro miseris & infelicibus ducit, eosdem de more contemnit atq; auersatur, vt hinc etiam Christus ipse testetur Apostolis, *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini.* Rectè que dixit Salomon, *Ambulans recto itinere & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.* Quis verò vanas, falsas & absurdas de hominis felicitate mudi opiniones facillè percenseat, cum & Marcus Varro, vt Augustinus indicat, ducentas octoginta & octo philosophorum adducat sententias, qui de re tanti momenti inter se grauissimè contenderunt. Adeò verè hîc quoq; locum habet illud axioma: *Non cogitationes meæ cogitationes vestre, neq; via meæ viæ vestre, dicit Dominus.* Affine est & illud Christi dictum, *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

D E M V M præsens Christi concio me admonet, vt ex ea quandam hodierni festi imaginem concipiam atq; formem, neq; tamen ab Evangelica historia longè discedam. Quod enim iam olim factũ fuit, in hodiernis ferijs nobis quasi representatur. Christum nempe cum suis discipulis, alijsque plurimis dilectis familiariter agere, suiq; copiam illis amanter exhi-

Psalm. 143.

Iohan. 16.

Prou. 14.

Lib. 18. de ciuit. Dei. cap. 1.

Isai. 55.

Luc. 16.

Exod. 34.
2. Cor. 3.

Apocal. 2.
Luc. 22.
Luc. 12.

Iohan. 12.
Apocal. 2.

Luc. 11.

Matth. 5.

Rom. 12.

bere. Ita verò Christum nunc spectat Ecclesia, velut in loco edito ac omnibus conspicuo constitutum, vbi reuelata facie suos amicos charissimos videat, & à quibus etiam clarissimè videri possit sine velamine, quemadmodum Moyses à Iudæis quidem suis videri non poterat. Quæ huius quæso festi summa est, nisi vt arcèssimam Christi capitis cum suis præcipuis membris, & horum vicissim cum suo capite coniunctionem rectis fidei oculis contemplemur? Idem quippe Christus in cœlis nō minùs excellēs, immò perfectius quàm in terris regnum atq; imperium obtinet, & clementissimis lustrat oculis immensam cœlitum turbam, quos ex omni hominum genere collectos, & à corruptibilis mundi strepitu abductos, in excelsò cœli monte constituit, pascit, consolatur ac tractat humanissimè suauissimèque. Huc enim spectant Euangelicæ promissiones, quæ sunt pijs nectare ac ambrosia dulciores, & in Scripturis mannæ nomine continentur. *Ego, ait, dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Beati serui illi quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Verùm de his lectissimis Christi fratribus & cohæredibus alibi plura.

SE D neque illud à Festi huius ratione alienum est, quod Christus in Spiritu sancto rursus exultans, suis discipulis & probis omnibus hoc loco veluti gratulatur, eisque de certa ipforum beatitudine iucundissimam reficit memoriam, cū ita loquitur, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Quod Christi exemplum non perperam Ecclesia imitatur, & à suis etiam fidelibus exigit, vt simile gratulationis officium illis quos ad eò Deus glorificauit, in charitate non ficta tribuat & impendat. Quid enim hoc est aliud, nisi vt Paulus loquitur, gaudere cum gaudentibus: quoniam Sanctis in cœlum sublatis, & in Christi regno triumphantibus lætanter accinit: Gaudeamus omnes in Domino, diem festum ceter

brantes in honorem Sanctorum omnium. Adiunguntur & alia Scripturæ loca, quæ vim habent vtique gratulandi, sicut illa verba produnt: *Letamini in Domino, & exultate iusti. Exultent iusti in conspectu Dei, & delectetur, in letitia. Sancti & iusti in Domino gaudent: vos elegit Deus in hereditatem sibi. Spiritus & anime iustorum hymnum dicite Deo nostro.* Prætermitto, ex hoc ipso Euangelio nos commodè admoneri de mercede Sanctis promissa, & in cælis exhibenda, immò & innumeris exhibita secundum certissimas Christi promissiones, qui cum æterna sit Veritas, nec falli potest, nec fallere. An verò magni momenti non est, vt præsentem Beatorum felicitatem, in his præsertim ferijs, sedulo perpendamus, indeq; tum patientiæ studiū augeamus, tum salutis nostræ fiduciam confirmemus? Nota enim sunt Apostolica verba: *Id quod in presenti est momentaneū & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd edificationē ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis.* Quibus de rebus alibi commodiùs disseretur.

Psal. 31.
& 67.

2. Cor. 4.

2. Cor. 5.

Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

VIGILANTIA & industria, sicut diximus, non modica est opus, vt sciam hanc insignem & auream de octo beatitudinibus doctrinam conuenienter amplecti, mihiq; reddere salutarem. Huc autem inprimis conferet me ipsum agnoscere & accusare, perinde ac si rudem, pigrum & immorigerū agam Christi discipulum, aut potius tironem, qui beatitudinis quidem æternæ sit cupidus, sed in primis Euangelicæ doctrinæ quasi elementis addiscendis hæreat. Videbor ergo mihi in pulcherrima Christi schola parum admodum profecisse, qui veram proficiendi rationem & viam certam ignorem, aut sanè notam sæpè violem ac temerè deseram. Proh dolor, spiritu pauper non sum, quamdiu abundare potius atq; honora-

ri, quàm pro Christo, penuriam pati, & ab alijs vel contemni vel deprimi desiderio: quin potius ad ambitionem & fastum frequenter aspiro, superbum spiritum & cristas libenter ostēto, vel non supprimo. Mitis non sum, cū irā & indignationi effervescenti locum tribuo, meque à concitatore affectu impatientiā leues ob causas sino superari. Quis mihi luctus, si naturā mollia & carni delectabilia, mundoq; grata non subtrahō, & in ludicris lætisq; rebus, non tristibus & acerbis propter charitatem & pœnitentiam versor? Vbi quæso illa iustitiæ sitis, quæ magnis paruisq; debetur Christo lucrificandis? Vbi flagrans Dei zelus, & ardens maioris præstandę perfectionis desiderium? Non me tangit ac pungit proximi calamitas, vt illius commiseratione, & sensu alieni doloris vulnerer, meque miseris benignū & misericordem ostēdam. Quamobrem minimè vt cū Paulo testari possim, *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Deest cordis mūditiā, quam variæ sensuum illecebræ, cogitationes impuræ, ac titillans voluptas non rarò polluant. Non viget in me pacis amor & cultus, vt mihi alijsq; veram cum Deo pacem procurem, & partim interiori, partim exteriori concordia studeam ac tranquillitati. Refugio, quantum fieri potest, persecutionē & aduersa subire, crucem omnem auersor; tantum abest, vt in cruce norim & velim constanter gloriari, vt que cum Apostolis omnibus gaudeam pro nomine I E S V contumeliam pati. Quocirca inter alios, qui beati hoc loco à Christo censentur, nullum mihi meisq; meritis locum deberi putabo, ac pijs illis ex animo gratulabor, qui præclaras virtutes his propositis beatitudinis gradibus inclusas continenter exercent, siue noti sint, siue ignoti. De his enim cum Salomone dicere possumus, *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usq; ad perfectum diem. Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.* Ac multò magis ob Sanctorum lætabor perfectionem & gloriam, qui cunctas humanæ miseræ reliquias exuerūt, & postquam in hac sublimi philosophia velut angeli terrestres versati sunt, nūc immortalem lauream sibi, suisq; factis repor-

târunt,

2. Cor. 12

Galat. 6.
A. Cor. 4.

Prou. 4.

târunt, eòque demum peruenerunt, vt nec magistro, nec profectu, nec studio vllò amplius egeant. Sunt enim non ex viatoribus in spe ambulantes, vti loquuntur, sed reipsa beati, atq; in ipsa cœlesti patria comprehensores effecti, de quibus per Prophetam loquitur Deus: *Omnes cognoscent me à minimo eorum vsq; ad maximum.* ac rursus, *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.*

NEC mihi satis erit hos gradus percurrere, & quotidie ad verbum recitare, quoniam in illis verba Dei sunt efficacia, suumque pondus obtinent; sed eorum quoq; sensum expendam, mihi que magis quam alijs applicare conabor. Ex quibus gradibus vnâ beatitudinem his octo diebus quotidie mihi proponam, & lucem diuinam ad intelligendum expetam, adhibita triplici consideratione. Prima erit notare, quàm ego procul ab sim ab illius beatitudinis perfectione, & an paratum habeam animum ad huiusmodi beatitudinem duce Christo assequendam: tum quomodo circa illam me posthac rectius gerere debeam, vt fructum eius genuinum percipiam. Non enim frustra Psalmographus de Deo canit, *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: preparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Tum alius de homine instituendo admonet: *Auris bona audit cum omni concupiscentia sapientiam.* Altera obseruatio erit, de virtutis ac perfectionis omnis archetypo & absoluto exemplari Christo Domino nostro, qui plenus gratiæ ac veritatis cœpit facere & docere, vir potens in opere & sermone vnctus præ cõfortibus suis, ideòque hos propositos gradus corde, ore simul & opere ad vnguem obseruauit, cunctisq; fidelibus obseruandos tradidit ac reliquit. Propriũ enim illius dictũ est atq; præceptum, vt ipsum velut Dominum serui sequamur, eiusq; vestigijs inhercamus, *Exemplum,* ait, *dedit vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Postremò de Sanctis videro atque notauero, quo pacto illi in singulis gradibus perfectionis siue dictæ beatitudinis se, cum in terris viuerent, exercitarint, nimirum vt se imagini filij Dei conformarent, & per viam salutis angustam, quæ hinc stabilitur, ad vitam & gloriam per-

Jerem. 31:
Isai. 54.

Psal. 9.

Eccles. 3.

Iohan. 1.

A&or. 1.

Luc. 24.

& 4.

Psal. 44.

Matth. 10.

& 16.

Luc. 9.

Ioan. 13.

Rom. 8.

Matth. 7.

1. Cor. 11.

2. Theff. 3.

Hebr. 13.

Actor. 2.
& 4.

2. Cor. 6.

Canone 4.
in Matth.

Num. 12.

Exod. 32.

Num. 11.

& 13.

Jerem. 9. &

in Thren.

Daniel. 6.

& 9.

1. Cor. 12.

uenerint sempiternam. Non enim ad solum Paulum, sed ad communem Sanctorum omnium cœtum spectat, quod fidelibus omnibus proponitur: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Nec est dissimile, quod alibi docetur: *Ipsi scitis, quemadmodum oportet imitari nos.* Tum rursus de sanctis Præpositis seu Pastoribus loquens, idē Apostolus, *Mementote*, ait, *Præpositorum uestrorum, qui uobis locuti sunt uerbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini & fidem.*

CAETERVM ut res quibusdam exemplis fiat illustrior, primi hoc loco recensentur uoluntate ac spiritu pauperes, ut qui ob amorem cœlestium isthæc terrena contemnunt, sæpè & relinquunt, quin etiam seipso inutiles, & bonorum omnium spiritualium indigos reputant; tantum abest ut spiritu sint turgidi, seque alijs anteponanant vel exæquent. In qua classe primos ego Christianos constituam, qui spontaneam paupertatē amplexi, communiter cum summa simplicitate & humilitate uiebant, nihil habentes, & omnia possidentes. Quod si Christus in spiritus humilitate perfectæ beatitudinis posuit exordium, sicut Hilarius tradidit; non est sanè absurdū, ut hîc quoque Deiparam uirginem humilitatis laude clarissimam collocemus. Secundi mites, uelut Christi oues, iræ ac impatientiæ expertes, atque ab omni uindictæ cupiditate alieni sunt existimandi. Eiusmodi mititatem Propheta Dei magnus Moyses declarauit, qui omnium hominum mansuetissimus in Scriptura prædicatur, tantamque charitatem ingrato & rebeli populo suo præstitit, ut hostes infensissimos cum Deo grauiter irato sæpè reconciliaret. Tertij sunt lugentes ob suam & alienam, præsertim spiritualem miseriam, quam illi mœrore, precibus & lacrymis multum diuque prosequuntur, ut suo nos docent exemplo Ieremias & Daniel Propheta nobiles, qui afflictis rebus Ecclesiæ non sine lacrymis sæpè profusis fideliter subuenerunt. Quarti sunt esurientes & sitientes iustitiam, ut quoniam ardenti flagrant desiderio diuini honoris & cultus in se alijsque promouendi, bonum publicum priuato anteponanant, & ad maiora æmulanda charismata se magis ac magis

extendunt.

extendunt. Talis esuries in Paulo Apostolo facilè cernitur, qui obliuiscens ea quæ retrò sunt, ad anteriora semetipsum extēdit, & vt omnes Christo lucrificeret, omnia omnibus factus est, seque totum pro salute aliorum impendere non intermisit. Quinti sunt misericordes, quia sui prodigi, & alijs miseries iuandis dediti, in misericordiæ operibus vbiq; præstandis se diligenter exercent. Quæ virtus Apostolos pulcherrimè decorauit quoniam quod gratis à Christo acceperant, gratis, hilariter ac liberaliter communicarunt Iudæis ac Ethnicis, ad quoscunq; fortè diuertissent, vt eosdem Christi spiritu & Euāgelicis opibus locupletarent, perinde ac si cum collega suo Paulo dicerent, *Non querimus quæ vestra sunt, sed vos.* Sexti sunt mundi corde; quoniam à carnis desiderijs abstinent, corpore ac animo integri, vt orationi ac vocationi suæ sine impedimento seruiant ac satisfaciant. Tales extiterunt ambo Iohannes Baptista & Euangelista, quemadmodum & eunuchi Euangelici, & castissimæ virgines, quas Paulus & corpore & spiritu sanctas appellat. Septimi sunt pacifici, quandoquidem fraternam concordiam, vt præcipuum Christianæ societatis vinculum, studiosè conseruant, & in alijs procurant, vt sicubi fortè scissã fuerit, resarciatur, iuxta illud, *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* In quo studio sancti Doctores laudem eximiam tenent, qui pacem euangelizare dicuntur, & homines cum Deo Ecclesiaque, & inter se velut Angeli pacis, nunquam non pacificare contendunt. Octaui demum sunt, qui persecutionem propter iustitiam patiuntur, suâque inuicta patientia Christi regnum æternum obtinent. Ad hoc genus beatitudinis nulli magis quàm protomartyr Stephanus, alijq; fortissimi Christi milites ac martyres referendi sunt: quoniã velut oues ad occisionem pertractæ, ad sanguinem vsque pro iustitia Christiana certarunt, nulla vt hostium vis atq; barbaries, nulla tribulationis vel tentationis acerbitas eos à fidei confessione, Christi charitate, doctrina Ecclesiæ, & iustitiæ tramite potuerit abducere ac separare. O felices illi qui bona testari cōscientia potuerūt: *Quis nos separabit à charitate Chri-*

Philipp. 3.

1. Cor. 9.

2. Cor. 12.

Matth. 10.

Iohan. 6.

2. Cor. 12.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

Marc. 9.

Rom. 10.

Isai. 52.

Naum 1.

Actor. 7.

Apocal. 5.

& 7.

Isai. 53.

Rom. 8.

Rom. 8.

Psal. 65.

*sti? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Transiuimus per ignem & aquam; & eduxisti nos in refrigerium. Præterea felices omnes, qui hanc scalam Iacob superioribus gradibus octo distinctam, in hunc usque diem ascendunt, relictis omnibus impedimentis, ita ut capitales hostes mundum, carnem, ac satanam quotidie vincant, sibi que virtutum studio gradum faciant ad beatam immortalitatem. Verum longè feliciores & illi, qui pugnandi & vincendi fecere finem, & ipso ascendendi labore confecto, ad certaminis coronas peruenerunt, iamque velut rude donati & emeriti milites, quiete summa potiuntur, & in cœlesti tabernaculo habitant, mercede amplissima cumulati. His verè gratulari, & cum Propheta dicere debeo; *Latamini cum Ierusalem & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuersi qui legistis super eam; ut fugatis & repleamini ab habere cōsolationis eius: ut emulgeatis & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* Tum alibi Propheta idem, ut beatorum felicitatem nobis indicet, *Redempti, inquit, à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude; & letitia sempiterna super caput eorum; gaudium & letitiã obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Cum his pulchrè cōsentiant quæ Iohannes recitat in Apocalypsi, ut Ecclesiæ triumphantis depingat imaginem, illamque nobis sæpè perpendendam commendet.*

Isai. 66.

Isai. 35.

Apocal. 5.
7. & 21.Leuit. 26.
Deut. 28.
Matth. 25.

Hebr. 11.

Sapien. 5.

Sapien. 10.

I A M verò quæ Christus in hoc Euangelio suis promittit credentibus, longè sunt sublimiora, quàm quæ Moyses proposuit, verèque sunt spiritualia, & nunquam defutura, quæ ad nullos alios rectiùs & perfectiùs quàm ad Sanctos cœli incolas, regni que Christi possessores referri possunt ac debent. Siquidem hi teste Apostolo, *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiã, (in octo scilicet beatitudinibus traditam) & adepti repromissiones.* De quibus etiam illud scriptum est, *Iusti in perpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum.* ac iterum: *Reddidit iustis mercedem laborum eorum, & deduxit illos in via mirabili.* Notabo insuper, quòd

in his

in his promissionibus singularis Dei munificentia simul & iustitia splendeat, quando quidem ille gratiæ suæ dona Sanctorū facit merita, & ea ipsa, quantumuis exilia & vilia quibusdā videantur, tamen liberalissimè & amplissimè plus quàm estimare possimus, remuneratur. *Oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.* Unde qui nouit prauorum punire peccata, vt sine fine illorum pœnæ luantur, nouit & merita bonorum honorare, vt præmijs atque gaudijs perpetuis cumulentur: idemq; meritorum augmenta vult incitamenta esse nostrorum profectuum, vt iusti quamdiu hîc viuunt, velut in stadio currentes, magis magisque iustificentur, & qui modò iustiores, charitateque flagrantiores existunt, grandiore atque pulchriore cœlestis gloriæ corona decorentur. Non enim fallit Apostolica sententia, *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suam laborem.* Quamobrem idem Paulus cùm pro Christo præclarè certasset, & suum velut agonem penè absoluisset, tantum sibi fiducia sumpsit, vt dicere nō vereretur, *Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauit. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Nec sibi tantum, sed alijs etiam Iustis, qui Christi iudicis aduentum diligunt, iustitiæ coronam reddendam animosè promittit, ac generatim pronuntiat, *Existimo quòd non sunt condigna pænes huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Idem ergo Deus, sicut Scriptura loquitur, se inquirentium remunerator est, & iustorum merces magnanimis, qui & facit misericordiam in millia his qui diligunt eū, & præcepta illius custodiunt. Hic ipse qui coronat electos in misericordia & miserationibus, secundum sua promissa magis, quàm secundum merita nostra, quodlibet opus bonum in fide & charitate factum, siue ieiunes, siue preceris, siue misericordiam tribuas proximo, certo certius æterna mercede cōpensat. *Pater enim qui videt in abscondito, reddet tibi,* sicut Christus affirmat: qui & palàm promittit in Apocalypsi, *Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuiq; secundum opera*

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

2. Tim. 4.

Ibidem.
Rom. 8.Heb. 11.
Genes. 15.
Exod. 20.
Psal. 102.Matth. 6.
Apocal. 22.

Matth. 16.
& 25.

Matth. 10.
Marc. 9.

Rom. 2.
Prou. 11.
1. Tim. 4.

Iohan. 5.
Matth. 25.
Daniel. 12.

Iac. 2.
Iohan. 15.
Galat. 5.
Matth. 7.

Iohan. 14.

1. Cor. 15.

Lib. medi-
tat. cap. 25.
Matth. 13.

eius, quemadmodum idem in Euangelio confirmauit. Tum alibi non obscure pollicetur, quod qui vel minimo calicem aquæ frigidæ porrigit, sua nõ fraudetur mercede, Deo nimirũ vnumquemq; iuxta vias suas iudicãte, vt ijs qui secundũ patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionẽ quærunt, si Paulo credimus, vitam reddat æternam. Adcõ verẽ Salomon dixit, *Seminanti iustitiam merces fidelis*. sicut & Apostolus disertè pronuntiauit, *Pietas ad omnia utilis est; promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*. Absit igitur dementia, per quam ego contra præscriptum Christi ordinem me sola fide fiduciaq; promissionum consolens, meque interim iustum & beatum fore cõstituam, licet bonis operibus & horum meritis quæ Christus requirit, maneam destitutus. Non enim vanè dixit veritas, *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam*. Nullam sanè portionem cum Sanctis habebunt in gloria, qui fidem ab illis diuersam profitentur in terra, aut qui fidem mortuam adferũt: quoniam in vera Ecclesia infrugiferi sunt palmites, eaq; carnis patrant opera, de quibus dictum est: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. His enim Iudex dicturus est: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem*.

PRAETEREA obseruabo, non modò varios beatitudinis gradus hinc numerari, sed & varia præmia illis à Christo subijci, ac eo ipso cõfirmari, quòd in domo Patris æterni multæ sint mansiones, ac dispares remunerationes, quæ Sanctis assignentur, ac eorum laboribus rependãtur, quemadmodum & alia solis, alia lunæ, alia stellarum in hoc cœli firmamẽto est claritas, sicut Paulus ratiocinatur. Etsi enim vnum & summũ æternumq; bonum Deus existit, quem beati omnes cum voluptate maxima perpetuò vident: tamẽ qui carne vestiti, magis in charitate nunc profecerũt, hi percipiendæ in cœlis beatitudinis capaciores ac pleniores futuri sunt. Dispar est gloria singulorum, sed communis est lætitia omnium, vt Augustini verbis vtamur. *Fulgebunt utiq; iusti & sancti omnes sicut sol, in*

regno Patris eorum, vt Christus ipse testatur: sed pulchrius tamen fulgebunt castæ virgines, & viduæ sicut & cælibes, si sic permanferint, ac beatiore erunt quàm coniuges ex Pauli sententia, Nec dubium, quin sancti Martyres, pijq; Doctores præ cæteris florebunt electis in perpetuas æternitates, quoniã ob virtutes heroicæ aureolam, sicut Theologi vocant, & excellentem lauream peculiari priuilegio consequentur. Verùm qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorũ atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere? quòd tamen futuri sint, non est ambigendum, vt cum Augustino loquamur.

Hi c mecum Christi promissiones insignes, valdèq; fructuosas perpendam, quarum prima & postrema est de possidendo regno cælorum: quo nomine nihil sanè nobilius, ditius, optabilius vel augustius dici & animo fingi potest. Regnũ hoc, quo Christiani etiam à Iudæis discernuntur, inde ab origine mundi Pater electis parauit, hoc tantis Christi laboribus partum est, in eo Sanctorum portus, pax & quies æterna versatur, nec vsquam alibi suum reperiunt perfugium, vt pro modicis magna, pro terrenis cœlestia, pro temporarijs sempiterna præmia consequantur. His adde reliqua Christi promissa, quæ longè latè que patent, de possidenda terra viuientium, de afflictorum incredibili cõsolatione, de saturitate hîc esurientium, de misericordia & pace, quæ sensum omnem exuperat, nec solùm omnibus, sed etiam singulis beatis in solidum attribuetur. Quæ omnia Christus vno velut dicto complectens, alibi dixit significanter: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Nec leuis est momenti, sed fermè præcipuum, quod corde mundis vel mundatis promittitur, vt Deum ipsum, quo nihil maius, vel melius ac sapientius esse potest, de facie visuri sint. *Videmus enim nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem,* Apostolo teste. De qua visione, quæ perfectam hominis beatitudinem continet, sic Christus ipse Patrem affatur: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti*

1. Cor. 7.

Daniel. 13.

Lib. 22. de
ciuit. Dei.
cap 30.

Matth. 25.

Luc. 6.

1 Cor. 13.

Iohan. 17.


Lib. 2. meditat.

Lib. medit. cap. 36. & 25. & in fine Librorum de ciuitat. Dei.

Pfalm. 45.

Pfalm. 16. 26. & 83.

IESVM Christum. O' beata visio, vt Bernardum sequar, videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo felici iucunditate, & iucunda felicitate.] Visio Dei tota merces est, totum gaudium quod expectamus, si credimus Augustino. Deus est ibi omnia in omnibus, quem beati sine fine vident, amant & laudant. Omne opus eorum laudes Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Verus ibi honor, qui nulli negatur digno, nulli defertur indigno. Vera ibi pax, vbi nihil aduersi nec à seipso, nec ab alio quisquam patitur, sed illud quod scriptum est, perficitur, *Vacate & videte, quoniã ego sum Deus.* Cur igitur, nisi prorsus desipiam, oculos meos non leuo in cœlum? neq; lætor in his quæ dicta sunt mihi à Domino, & in Sanctis eius iam cœperunt impleri? Cur cum regio vate non fidenter ac desiderãter dico: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua? Vnam petij à Domino; hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. Beati qui habitant in domo tua Domine; in secula seculorum laudabunt te.* Nec minùs cum Ecclesia canam admirabundus: O' quàm gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocunq; ierit.] Ibi cum Sanctis demum vacabimus & videbimus: videbimus & amabimus: amabimus & laudabimus: vbi nullum erit malum, & nullum latebit bonum, in illa videlicet communi, plena, certa, secunda & perpetua felicitate.



DE SANCTORVM CVLTV
ET INVOCATIONE.



ERTA & constanti religione complectar, ac per totum annum exercitabo cultum Sanctorum, sicut hoc nomen vulgo accipi solet: quem cultũ, perinde ac rem præclaram in vera fide fundatam, hominibus vtilem & salutarem, summoq; Deo gratã esse nulla ex parte dubitabo. Si enim dubitem, illam non audio sed contemno Ecclesiam,

Matth. 18.

quam

quam Christus audire iussit, quamq; Paulus veritatis firmitermentum & columnam esse pronuntiauit. Suam verò fidem & sententiam satis in eo confitetur Ecclesia, quod in Martyrologio, cuius antiquissimus est vsus, de Sanctis ipsis quotidie nos admonet, vt sciamus, quos ex multis Diuorum ordinibus per totius anni cursum quotidie veneremur. Tum cunctis ætatibus Ecclesię probata est, sicut alibi diximus, sacra liturgia Græca, Latina & Syriaca, quæ præcipuorum Sanctorum nomina verbis expressis celebrat, ac nobis in memoriam reuocanda proponit. Adhæc Breuiarium quod vocant, Ecclesiasticis hominibus ita commendatur, vt ex eius præscripto Sanctorum suffragia vt dicunt, tum generalia, tum specialia frequenter implorent. Neque obscurum est, quæuis templa & altaria, si ritum Ecclesiæ solennem sequimur, sine manifesta Sanctorum commemoratione ac inuocatione non erigi atq; consecrari. Hæc aliaque plura de fide, autoritate & consuetudine Catholica Ecclesiæ, quæ Sanctorum cultum sibi perquam habet familiarem, nos faciunt certiores, & in re tâta fluctuare non sinunt.

QUOD si ad veterum scripta veniendum est, non parum ego mirabor ac dolebo, ætatis nostræ sectarios adeò cæcutire, & à consensu veterum Patrum in hoc argumento turpiter dissidere. Etenim si Clemens, Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, & eiusdem classis alij Prisci Theologi cõsulantur, omninò fatendum est, sanctos Martyres tanti olim habitos esse, vt in suis etiam vinculis, equuleis & horrèdis supplicijs à fidelibus honorarentur. Nam ad eorum carceres multi sponte procurrebant, illorum catenis infigebant oscula, nec parum exultabant, quòd militanti Ecclesiæ tales athletæ Christi suppeterent, qui non modò fidem Christianam intrepidè confiterentur, sed sua etiam corpora volentes ac lubentes propter Iesum traderent carnificum immanitati. Præterea conuētus agebant publicos ad Christum in suis ministris ac pugilibus celebrandum, & propter hoc animosum & sanctum cõfessionis genus tripudiabant, offerebant, cantabant, & nocturnas instituebant vigilias, quando illi ad mortem vsque, ac pro Christi nomine & fide Ecclesiæ

Epist. 6.
& 34.

Tract. 84. in
Iohan. &
serm. 17. de
verbis A
postoli.

Orat. 3. ad-
uer. Iulian.

Orat. 6.

In verbis.
iambic.

uas animas exhalassent. Adhæc dies accuratè notabant, quibus illi sanguine profuso ex hac vita migrassent, nouoq; studio commemorationem illorum inter memorias Martyrum ad altare celebrabāt, nec id semel, sed singulis quibusq; annis factitabant. Quibus de rebus loquitur Cyprianus, & inter alia scribit in hunc modum: Sacrificia pro eis semper offerimus, quoties & Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione recolimus.] Vbi sacrificia pro Martyribus offerri dixit ob gratulatorias preces, quibus ex more veteri peculiariter gratiæ summo Dei in suis Martyribus victori palàm agebātur. Notauit & Augustinus, diuersas esse preces, quæ à nobis & à Martyribus offerūtur: nos enim illorum facere commemorationem, vt ipsi pro nobis orent in cœlo, nō autem eos dē sicut alios homines in vera fide defunctos, ad altare Deo cōmendare. Fide dignus est Theologus Gregorius Nazianzenus, qui clarissimè scribit de Martyribus, quòd illis post confecta certamina præclari honores & festa cōstituantur, quòdque ab illis & dæmones propellātur, & morbi curētur, quibus nec desint apparitiones, prædictiones & miracula. Tum in eadem oratione Iulianum Apostatam reprehēdit, quòd Christianis Martyrum nomē & gloriam inuiderit, ac idcirco suam in pios crudelitatem ad tempus callidè dissimulārit. Sed & alibi multis exponit, quem in modum Sanctorum festa populo sint celebrāda, vt decēti honore Martyres afficiantur, & nos triumphalem choream agamus. Hos ipsos eximiè laudat, eorumque miracula celebrat, & solam eorum recordationem nobis esse salutarem affirmat. Ex quibus omnibus, vt multa volens præteream, certò mihi persuasum habeo, cultum qui Sanctis cuiuscunque ordinis secundum Ecclesiæ Catholice sentētiam exhibetur, rem vti vetustissimam, ita & probatissimam esse, quātumuis illam Aduersarij eleuare, & vulgo inuisam reddere moliantur. Eòque minùs admirabor priscum illum inualuisse morem, quem Ecclesia tum Græca tum Latina studiosè complexa est, vt Sanctorum ferix passim celebrētur, eorumq; afflictiones pro palmis, & supplicia pro triumphis,

atq; ex hac vita decessus pro natalitijs habeantur, ac publicè nuncupentur. Coguntur fateri hostes vel inuiti, pergraues extare Scriptores, qui de Sanctis venerandis ac inuocandis multa in medium produxerint, atq; statas illorū serias vnà cū Ecclesia tot seculis solenniter celebrârint. Nec modò veterū Theologorum homilias de his conscriptas habemus, verū etiam varios hymnos editos ac decantatos legimus, quando veteris pietatis vigor & ardor apertè cōfirmat, cuncta olim in templis plena sancti gaudij, gratulationis & tripudij, referta fuisse. Nec rarum, sed vsitatū erat Græcis, vt ad suam erga Sanctos beneuolentiam ac religionem declarandam templa eximia conderēt, ac multiplici splendore & ornatu illa cohonestarent. Tum festos dies annuatim peragebāt, ac singulis penè diebus Martyrum laudes atq; hymnos decantabāt. Frequens erat illis conuētus precantium, vt qui sani essent, per eosdem intercessores suam conseruarent incolumitatem, ægroti verò conualescerēt, nec minùs infœcundi coniuges liberis augerētur, & parentes in acceptis donis conseruarētur, peregrè que profecturi hos duces & comites expeterēt, ac de via domum redeuntes, illis ipsis secundū Deum agerent gratias, quorū præsidio fuissent adiuti. Sed & vota illis faciebant, eaq; persoluebant: vt alij quidem oculorum, alij pedum, alij manuum simulacra (Græci anathemata dicūt) ex argento auroq; confecta suspenderent. Quibus de rebus vti illo seculo certissimis, apertè differit Theodoretus, nemoq; prudēs & Patrū studiosus dubitare potest, hunc veterem ac receptū fuisse morē Catholicorum in Sanctis vbiq; gentium publicè honoratis. Et qui vetustior, planèq; grauis est autor Basilius magnus, ad hūc venerādī & inuocādī modū suos auditores hortatur. Quid quod Ethnicos ac Iudæos olim yrebat, & calumniandi præbebat ansam, cū viderēt, Martyres aliosq; sanctos à Christianis tā toperè coli, vt putarent eos ob mortem pro Christo susceptā, tanquam Deos diuinis honoribus affici, & hinc magna quoque inuidia torquerētur? Ea de re nō tacet Eusebius Cæsarensis sub Constantino Cæsare florens, quiq; Scriptorum Ethni-

Lib. 8. de
curatione
affection.
Græcan.

Homil. de
40. Mar-
tyr.

Lib. 8. hist.
cap. 6. & lib.
4. cap. 15.

corum

Lib. 13. de
præparat.
Euang.

In orat. de
Machab. De
luent. &
Maximo.

Vide Cyrill.
lib. 6. in Iu-
lian. & Hie-
ronym cont.
Vigilan sed
& Augustin
lib. 20. c. 21.
cont. Faust.

De miracu-
lis S. Stepha-
ni August.
lib. 22. de
ciuit Dei. &
Ambros in
serm. de
Protaſio &
Geruaſio.

corum profert sententiam in celebrandis illis, qui pro defensione patriæ magno animo militassent, ipsamque vitam perdidissent. Locum verò ita concludit: Hæc nos quotidie factis tamus, qui veræ pietatis amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus: vota que ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessionem ad Deum non parum iuare profitemur.] Longum foret repetere sententias, quæ de insigni Sanctorum honore à Gregorio Nazianzeno Iohanne & Chrysostomo recantur.

QUOCIRCA ego veterem & constantem Orthodoxorum fidem atque consuetudinē permagni faciam, bonorumque auctori Deo singulares agam gratias, nullum mihi esse cōmercium siue cū Porphyrio & Iuliano, alijsque Paganis, siue cū Eunomio, & Vigilantio, ac reliquis id genus hagiomachis & iconomachis, qui nō sine gigantea impietate Sanctis bellum atrox indixerūt, ac receptum ab Ecclesia cultū hostiliter sunt infectati. Cur enim, si sapiam, me à Conciliorum generalium sanctionibus, à præstantium Patrum sententijs, ac demum à consensu Ecclesiæ matris, in Gentilium & Hæreticorum gratiam, leuiter ac futiliter abstrahi patiar, eamque venerationem & inuocationē parui ducam, quam clemētissimus Deus sibi placere, & mortalibus prodesse cū alijs argumētis, tum infinitis pænè miraculis publicè comprobauit, quidquid demum veteres & noui Ariani obganniant, qui ne parū sint impudētes & Phariseorum similes, diuina illa opera, licet à fide dignissimis Patribus cōfirmata, tetris demonibus adscribere nō erubescunt. Verum enimverò duce Christo nō faciam, vt pudorem omnem exuens, & insigniter delirus, sacratissimam Virginem non inuocem, quemadmodum Athanasium magnum, Gregorium Nazianzenum, & Basilij Diaconū Ephrem fecisse certissimè constat, Damner à Vigilantianis, modò ciuis maneam Ecclesiæ, quòd cum Leone magno Apostolorum Principem Petrū implorem, quòdque cū Oreareo me doctore Gentium Paulo commēdem, ac totum demum Sanctorū ordinem vnà cū tota Ecclesia supplex implorem atque compellā.

MISSA

MIS SA interim facio, quæ superiùs, nec semel quidem, de Sanctorum cultu ac patrocinijs in medium allata sunt, & quæ complures alij Theologi Catholicè ac solidè disputarūt. Nunc fat erit, ad communes aduersariorum cauillos diluendos, quibus infirmorum animi vel commouētur, vel fascinātur, breuiter aliquid respondere. Libet autē Nouatoribus more suo ad solam prouocare Scripturam, quemadmodum impij quōndam fecerūt Ariani atque Nestoriani, & quia sine Ecclesia iudice isti de sacris libenter disceptant, Andabatarū more illos in tenebris pugnare, nullamq; certam victoriam referre necesse est. Dicunt igitur, rem videri nō necessariam, quòd Sanctos inuocemus. Quid autem est aliud Sanctos inuocare, quàm eos supplicibus verbis orare, vt suis precibus ac meritis adiumento esse velint ad id, quod à Deo per Christum petimus impetrandum? An verò necessarium fuit Apostolo Paulo, vt nō contentus Christo mediatore, sicut isti volunt, ad Fideles inuocandos confugeret, seq; & officium suum illorum precibus Deo peteret commendari? sicut sæpè quidem & ferriò illum fecisse constat. Sciebat autem ille nō offendi, sed delectari Deum humili supplicatione & fida inuocatione multorum, quòd que idem, qui per se solum largiri potest omnia, complura non nisi per media Sanctorum Credentibus largiatur; quemadmodum diuina Scriptura, vti dicemus, abunde conmonstrat.

DICVNT, eiusmodi inuocationis in Scriptura nullum extare præceptum. Verùm eadem Scriptura docet, multa rectè fieri à Fidelibus, quæ Deo grata, ipsis que salutaria sint, licet expresso Dei præcepto careant. Exemplo sint, quæ de Iohanne Baptista & Paulo Apostolo legimus, traditiones itidem Apostolorum & instituta Ecclesiæ, multaq; id genus alia cum fide & spiritu Catholico piè suscepta, & in vsum ad Dei gloriã reuocata. Satis est nihil tale sacris literis prohiberi, & rem ipsam verbo Dei & iudicio Ecclesiæ consentaneam esse.

DICVNT, multos & graues abusus cum hoc Sanctorū cultu concurrere, vt quidam vel superstitiosi, vel idololatræ

Vide Notas
in Translat.
S. Nicolai.

Rom. 16.
1. Theff. 5.
2. Theff. 3.
Hebr. 13.

Genes. 20.
Exod. 33.
1. Reg. 12.
Iob. vlt.
Matth. 3.
2. Theff. 2.
Actor. 15.
& 16.
Hebr. 13.

propterea efficiantur. Nōrunt verò Catholici, hunc veterem & inanem esse garrutum Hagiomachorum, ad morem Ecclesiæ suggillandum, sed quorum libido in obrectando pios magis confirmat quàm offendit. Nihil quippe tam bonum & sanctum extat in rebus humanis, quo mortalium intemperantia malitiq; nō facile abutatur, vt sæpè antidotum in præsens etiam exitium vertat: neque propter mores malos bonæ leges & honestæ consuetudines antiquandæ, sed potiùs ad malorū improbitatē atq; licentiam comprimendā conseruandæ sunt.

D I C V N T, ea quæ à Sanctis inuocando petimus, ab ipso bonorum omnium largitore Christo peti & expectari oportere. Sed vana & inutilis est istorū imaginatio, quòd cum Sanctos inuocamus, Christum Dominum & caput relinquere, nosq; ab illo colēdo, qui primas tenet in omnibus, disingere velle videamur. Immò vero ad Christi Domini honorem spectat, quòd electos eius amicos, & excellētiora mēbra tam reuerenter habemus, vt eos veluti cōprecatores nobis adhibeamus, cum ad ipsum Sanctum Sanctorum accedimus; neque ab illis quicquam petere audeamus, nisi illud in Christi nomine obtinere confidamus. Nullum omninò Sanctorum Christo exæquamus, quem vnum & vnicum mediatorem simul & redemptorem & propitiatorem inter Deum & homines cōstituiimus, nihilq; dubitamus vnquam, illum solum noui Testamenti esse mediatorem, qui seipsum pro nobis dedit, vt Paulus loquitur, in redemptionem, & qui solus nullo indiget mediatore. Alio autem cultu genere Sanctos prosequimur, quos diuinorum beneficiorum autores & largitores non esse scimus, sed nostros apud Christum deprecatores & intercessores agnoscimus atque imploramus. Vt enim Augustini verbis vtamur, colimus eos cultu eo dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti Dei homines: sed illos tantò deuotiùs, quāto securiùs post incerta omnia superata. ¶ Tum alio in loco testatur: Honoramus memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum pro veritate cęsarunt. ¶

Coloss. 1.

1 Tim. 2.
Hebr. 9.Lib. 20.
con. Faust.Lib. 8. de
ciuit. Dei.
cap. 17.**D I C V N T**

DICUNT, honorandum & adorandum esse ab omnibus Deum. Quasi verò de hoc dubitent Catholici, aut Ecclesia vnquam mouerit quæstionem, quæ solum Deum creatorem, redemptorem & sanctificatorem suum eo præstanti cultu, qui à Latinis nequit exprimi, & Græcis latria dicitur, soli; Deo debetur, nec vlli creaturæ communicabilis est, vnicè colendum, super omnia diligendum, timendum, inuocandum, simulque adorandum esse cōstanter ac religiosè profiteretur. Scilicet hoc est adorare, & Christi numen in Sanctum transferre, si cum genuflexione dicant, Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis. Angele sancte me custodi ac protege. Sancti omnes intercedite pro nobis. Extat vereris Ecclesiæ canon, qui inter Dei Sanctorumque cultum nō obscurè discernit, cum ita definit: Solo Deo creatore suo adorato vnusquisque inuocet Sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem Diuinam dignentur.] Manet igitur per nos inconiunctum ac integrum illud Dei decretum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias*, ea nimirum seruitute, quæ soli Deo æterno eōnuenit, de quo scriptum est; *Regi seculorum immortalis, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum.*

DICUNT, ad ritum Gentilium & imitationem Ethnicorum pertinere, quòd sicut illi suos Deos, ita nos Catholici Diuos inuocamus. Tale quiddam olim obiectanti Vigilantio Hieronymus ita respōdit: Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendū est.] Multa certè Christianis cum Iudæis ac Ethnicis, si externa spectes, in cultu sunt cōmunia, quemadmodum templa, altaria, sacerdotes, festa, sacrificia: Verùm in his rebus non tam locum & rem ipsam, quàm modum, affectum & finem, si errare nolumus, cōsiderare debemus, sicut etiam Augustinus probè notauit, Sanctorum celebrari laudes, quòd gratias agamus Deo de illorum victoria. Vnde cum Cyrillo cōtra Iulianum apostatam disputante, ingenuè testamur: Non dicimus Martyres Deos, nō adoramus eos vt Deos, (sicut Ethnici nempè facere solēt,) sed vt homines, qui pro veritate ac vero Deo generosè decer-

Concil. Tol.
let. VIII.
cap. 7.

Deut. 6.
Matth. 4.

1. Tim. 1.

Cont. Vir-
gilantium.

Lib. 8 de ci-
uit. Dei. cap.
27. & lib. 20.
cont. Faust.

Lib. 6.

tarunt, qui potius quàm plures Deos colerent, omnibus tormentis, & morti se crudelissimæ obicere.]

DICUNT, Sanctos ignorare nostra vota, quæ illis facimus, nec ea percipere, quæ in rebus geruntur humanis. Ita enim ipsis libet, tanquam honorarios arbitros agere, qui suas leges & Sanctis & Deo ipsi præscribant, vt hinc de statu, cõditione gloriaque Sanctorum nugantes, negent eos desideratissimo Dei cõspectu in cœlis frui, de quibus legimus, quod sint ante thronum Dei, illique die ac nocte seruiant, & æquales quidem Angelis, quos rerum humanarum cõscios esse in cõfesso est. Quis verò nõ miretur, istos tam iniquos Sanctorum esse cõsors, vt maiorem ferè cognitionem tetris tribuant demonibus, qui principes aëris huius à Paulo dicuntur, qui que toto vagantur in orbe, & celeritate nimia vbi que præsentibus sunt, Hieronymo teste. Etsi enim Sanctorum animæ naturaliter propriaque virtute cuncta nõ assequuntur, verè tamè dixit Gregorius magnus, Quæ animæ intus claritatem omnipotentis Dei cernunt, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorèt. Vnde notat etiam Basilius, ad Christianam spectare virginem, vt nõ modò sanctissimam Trinitatem vbi que præsentem suspiciat ac honoret, sed etiam vt reuereatur Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his Patrum sanctos spiritus, cum nullus horum sit, qui nõ omnia vbi que videat. Quod ergò Sancti secũdum naturam suam nõ cognoscunt de rebus humanis ac nostris desiderijs, per beatificam illam, vt loquuntur, visionem, Dei que reuelationem percipiunt, sicut Ecclesia nunquam dubitauit. Pleni sunt illi vtique charitate, quæ Paulo teste nõ excidit, quæ que per mortalis vitæ decessum in beatis nõ minuitur, sed augetur, & eò magis quidè, quod illi nos fratrum loco habeant, & velut eiusdem corporis membra plusquam dici queat, diligant, de qua quidem immortalitate securi, sed de nostra salute solliciti, sicut loquitur Cyprianus. Quocirca quæ rectè piè que ab illis petimus, nõ minùs illi curant atque procurant, quàm electi Angeli facere solent, de quibus antea dictũ est, quod pugnant in huius

Apocal. 7.
Luc. 20.

Ephes. 2.

Contra Vigilantium.

Lib. 12. Moral. cap. 13.

Libro de virginit.

1. Cor. 13.

Lib. de mortalit.

vita studio Fideles fideliter adiuvent, & pro illis libenter Deū precentur, deque salute pœnitentium se sollicitos, alacres ac lætos sincerè declarent. Verùm eiusmodi charitatis affectus nō solūm in beatis Angelis, verūm etiam in eximijs Prophetis Dauide & Ieremia, licet vita defunctis, potest facilè animaduerti. Nam de Prophetā regio David Scriptura Diuina luculenter affirmat: *Noluit Dominus disperdere Iudam propter David seruum suū, sicut promiserat ei ut daret illi lucernam, & filijs eius cunctis diebus.* ac iterum de illo vox Diuina testatur: *Protegam urbem hanc, & saluabo eam, propter me & propter David seruum meum.* Quæ verba Regi Ezechia dicuntur, & à Chrysostomo ritè ponderantur, quòd significant Deum adedò esse clementem, vt propter Sanctos licet defunctos, multorum etiam viuentiū sæpè misereatur. Sic enim ille scribit: Hic sanctus David nō solūm cū in corpore esset, placuit Deo, sed & post mortem suā viuus inuenitur præstitisse grande solatium. Iac iterum. David mortuus est, & merita eius vigent. O rem admirandam, o ineffabilè clemētiā Dei: homo mortuus viuo patrocinator. O iustorum, & post cōsummationem inexpugnabilis pugna viuorum.] Eandem sententiam alibi repetit & confirmat idem Chrysostomus, vt minùs de illa dubitemus. Cæterūm in libris Machabæorum quos recepit Ecclesia, de Ieremia Propheta iam pridem defuncto hoc apertè scriptum legimus, *Hic est fratrum amator & populi Israël: hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Domini.* Verūm nos ista & similia plura, quæ non pauci alij pertractarunt, hoc loco nō tam explicanda quàm attingenda putauimus; ne fortassis eadem repetere videremur.

QV I D interim, inquires, nostros impedit Aduersarios, vt vetus & constans hoc Ecclesiæ institutum de cultu Sanctorū certatim oppugnent, ac in sensis prorsus animis hostiliter insectentur: Impedit eos profectò graue & horrendum iudicium Dei, quo in sensum reprobum pleriq; traditi, ne Sanctos quidem in cœlo cum Christo regnātes agnoscere digni sunt: tantum abest, vt eos colendos ac implorandos esse confiteantur.

Matth. 18.
Luc. 15.
Zach. 1.

4. Reg. 8.

4. Reg. 19.
Isai. 37.

Homil. 2. in
Psal. 50.

In Genes.
cap. 18. & in
Sermon. de
pœnitent. &
confess.
2. Mach. 15.

^a Sessione
25.
^b Sessione
ultima.

Hebr. 11.
Rom. 8.
Philipp. 1.
2. Cor. 5.

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.
Apocal. 6.
Isai. 63.
Serm. 4. de
fest. Inno-
cent.
Lib. de ec-
clesiast.
dogm. cap.
79.

Etenim quæ insulsa opinio in ^a Florentina & ^b Tridentina Synodo iure damnata est, nunc in plurimis hæret tenaciter, illisque persuadet, Sanctorum animas à corpore solutas, alicubi velut carcere quodam cōclusas detineri, & ad cœlestem illam beatitudinem, quæ in clara Dei visione cōsistit, nō pertingere vsq; ad mūdi consummationē. Sed vbi manēt illustres Christi promissiones de Sanctorum gloria & felicitate mox recitandæ, & in quibus Paulina impletur sentētia, quod nō modò iustitiam operati, sed etiam repromissiones adepti sint? Vbi deinde iustorum crebra & flagrātia vota, quibus ad beatitudinē, velut suæ fidei & vocationis finem ac scopum, cōtinenter adspirant, quando quidem in exilio dissolui, & in patria esse cum Christo cupiunt, vt cum illo animis quidem cōiunctissimè viuunt? Quid verbis illis quæso luculentius, quæ Apostolus de corpore seu corporali vita loquens, firmissimi solatij loco depromit? *Scimus, inquit, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam.* Nec multò post subiicit, *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse ad Dominum.* Cùm enim sciret hic Apostolus, hominem ex animo cōstare & corpore, ac electos ad perfectionem suam consequēdam vtrinq; beari oportere, sibi ipsi post mortem statim beatitudinem animæ obtingere desiderat, & corporis quidē immortalitatem, qua superuectiatur, tum sibi à Christo dari expectat, cùm in die iudicij corruptibile hoc induet incorruptionem. Singulis quidem electis & Sanctis in cœlum abeuntibus singulæ stolæ albæ donantur, sicut Iohannes ostēdit: sed post resurrectionem iidem duplicibus vestientur, sicut Isaias promittit, & Augustinus admonet luculenter. Proinde cōfirmabo veteris Ecclesiæ definitionem, quæ in hunc modū iam pridem decreuit: Post ascensionem Domini ad cœlos, omniū Sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore, ad Christum vadunt, expectātes resurrectionem corporis sui, vt ad integram & perpetuam beatitudinem (animi scilicet & corporis) cum ipso pariter immutentur.]

DEINDE

DEINDE non parum istos carnis offendit iudicium, quo inflati, Angelorum cōciues, Christi q̄; cohæredes & cœli principes illos humanis tantum oculis metiuntur, ac nimium curiosè ad intima summi Dei opera penetrantes, habent illos tantum pro mortuis, & nōnunquam laruas ac vmbas irrecuerenter appellāt. At longè aliter & honorificētius de Sanctis loquitur Scriptura, eos q̄; viuis iubet annumerari, Christo ipso testante, nō mortuorum, sed viuentium esse Deū, & Nazianzeno euidēter admonente: Deo omnes viuūt, qui secundum Deum vixerūt, etiamsi ex hac vita migrarūt.] Nō illi fanè mori, sed quiescere & dormire, ac in manu Dei esse in Scriptura dicūtur. Quàm verò indignum est, diuinam cōfiteri iustitiam in impijs, qui cum diuite epulone torquentur apud inferos, Christi verò negare misericordiam in præstādis tot tantisque promissis, quæ ad Sanctos utiq̄; spectant: *Si quis, ait, mihi ministrauerit, honorificabis eum Pater meus. Vbi sum ego, illic & minister meus erit. Esto fidelis vsq̄; ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Si abiero & præparauero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* Eiusmodi promissionum fide cōfusus protomartyr Stephanus, breuiq̄; postea moriturus, cœlū vidit apertum, & gloriam Dei, **I E S V M Q.** stantem ita compellauit: *Domine I E S V suscipe spiritum meum:* & qui cum fructu orauit pro lapidantibus hostibus, piè supplicantium fratrum vota nō potest modò aspernari. Vnde Petrus Apostolus haud temerè scripsit illud, *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.*

R V R S V S imponit istis Vatinianū & implacabile quod circumferunt odium Ecclesiæ matris, eòq̄; odio velut obcæcati, desertæ matris fidem & pietatem malignè deprauant, & vel candida more suo in atra cōuertunt. Eò magis curandum est Orthodoxis, vt surdis velut auribus transeant istorum maledicta, qui suos veteres impiosq̄; Patriarchas æmulantes, partim vanitati & stultitiæ, partim tetra superstitioni, partim de-

Matth. 23.
In laudib.
Athanas.
Matth. 9.
Iohan. 11.
Actor. 7.
Theff. 4.
Sapient. 3.
Luc. 16.

Iohan. 12.
& 17.
Apocal. 2.
& 3.

Luc. 22.
Iohan. 14.

Actor. 7.

2. Pet. 1.

Pfalm. 115.
67. 150. &
149.

Sapi. 3.

Pfalm. 112.
Apocal. 5.
7. 8. 14. &
20.

Apocal. 6.

Luc. 16.
Hom. 18.
lib. 50. hom.
Libro de
viduis.

testandæ idolomania ritum Catholicum tribuunt impudenter. Verùm aduersus caninos istorum latratus ac morius, nostros animos tum Diuina scriptura, tum pia vetustas non parùm præmunit atque corroborat. Annon præclaræ Spiritus sancti voces existūt, ac de Sanctis reuerēter nos his modis loqui admonent? *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Mirabilis Deus in Sanctis suis. Laudate Dominum in Sanctis eius. Laus eius in Ecclesia Sanctorum. Custodit Dominus animas Sanctorum suorum. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex eis non conteretur. Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquàm aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiã accepit illos. Vt collocet eum cū principibus, cū principibus populi sui.* Adhæc Iohannes Apostolus nec semel, nec obscure loquitur de Sanctorum orationibus, qui sunt ante thronum, Deoq; in templo seruiunt die ac nocte; nec solùm Angelos, sed & seniores communiter orantes introducit, affirmat que fumum incensorum de Sanctorum orationibus per manum Angeli coram Deo ascendere, id est, preces eorum summo Deo acceptas & efficaces esse, quia quicquid postulant, nō sibi sed nobis, nec ad suum, sed ad Dei honorē, & per Christum mediatorem postulant. Eodem spectāt animæ interfectorum propter verbum Dei, vt idem Iohannes appellat sanctos Martyres, qui magna voce clamātes, de suis hostibus vindictam flagitant. Quod si beati Martyres ardētī sanctoq; zelo flagrātes, iustam à iusto Deo vindictam cōtra sanguinarios inimicos expetunt, quantam illorum beneuolentiam ac misericordiam esse putabimus erga pios fratres, à quibus laborantibus illi, velut in portu & patria quiescentes, religiosè inuocantur, nimirum vt in æterna piorum tabernacula, sicut loquitur Christus, & Augustinus exponit, recipiantur? Quid illis quæso Ambrosij verbis pro tota Ecclesia dictis, enidentius esse potest? Obscrañdi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obscrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pigrore patrociniū vendicare. Isti sunt Dei Martyres,

nostri

nostri præfules, speculatores vitæ actuumque nostrorum: non erubescamus eos intercessores adhibere.] Nō erubuit sanè id facere Theodosius magnus, & apprimè laudatus Imperator, qui vt numè diuinum sibi placaret, cum Sacerdotibus & populo circumibat omnium orationum loca, (sic enim de illo scribit Rufinus) & ante Martyrum atque Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, auxiliaque sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. Sed rideant hoc etiam exemplum, si velint, superciliosi aduersarij, sicut & illius virginis à Naziāzeno cōmendatæ, quæ Cypriani seculo sanctissimā Deiparam inuocabat, & inuocando vincebat spiritū fornicationis, à quo per magum ad stuprum sollicitabatur. Cæci profectò non vident Hagiomachi certum ordinem inter vtramque Ecclesiam militantem & triumphantem diuinitus constitutum, atq; in hoc pulchrè comparatum, vt viuidæ charitatis præceptum obseruetur illud: *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Orant Beatorum animæ pro nobis, sine quibus nequeunt cōsummari, fratrumque salutem pro abundante charitate sua experunt vehementer. Oramus eosdem & nos; ac idcirco secundùm ecclesiasticam tegulam, illorum ad altare facimus commemorationem, nō vt pro illis precemur, sed vt eorum qui Deo sunt proximi, & charitatem omnem impleuerunt, orationibus adiuuemur. Iniuria enim est pro Martyre vel Sancto orare, cuius nos debemus orationibus commēdaris, sicut Augustinus semel atque iterum docet. Vnde alibi quoque monet: Omnes qui cū Christo sunt, interpellant pro nobis.] Vt autem ego duplicis Ecclesiæ quam dixi, maiorem rationem habeam, & quoad liceat, me Sanctis charitate & procuratione conformem, Apostolica illa verba sæpè perpendam: *Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

POSTREMO quòd nouus hic mundus recepto Diuorū cultui tantoperè derogat & aduersatur, occultam quandam superbiam, vel certè defectum Christianæ humilitatis in causa

Lib. 2. hist.
cap. 33.

Oration in
Cyprian.

Iac. 5.

Hebr. 11.

Tract. 84. in
Iohan. &
Serm. 17. de
verb. Apost.
Tract. 85.
in Iohan.

Hebr. 12.

esse arbitrabor. Habent enim plerique sibi modò persuasum, quòd viuis aut mortuis intercessoribus parùm vel nihil egeat, vt eorum meritis ac precibus diuinæ gratiæ commendentur, iustificentur atq; saluentur. Cùm enim secura sibi apud Deum cuncta promittant, piget ac pudet eos aliquem querere Moysen, Ieremiam vel Samuelem, cuius præsidio Deū placent iratum, aut maiorem sibi gratiam cōparent. Perinde ac si parùm referat, cum Israëlitis virum iustum vel sanctum adire, ac humiliter cōfiteri: *Ora pro nobis seruis tuis ad Dominum Deum tuū, vt non moriamur. Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum. Deprecare faciem Domini Dei tui; & ora pro me.* Errarūt quidam iam olim, qui è solis Sanctorum meritis & precibus pendere voluerunt, nihil interim solliciti de vita corrigenda. Nunc haud minùs errant isti sola fide sua contenti, adeò que sibi blandientes, vt sine Ecclesia, sine Sacerdote, sine clauibus, sine Sanctis coram Deo se iustos & sanctos esse confidant. Sed vtrumq; genus errantium rectè Chrysostomus reprehendit, in hunc modum scribens: Non quasi oscitantes, & desides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis & quidem maximam orationes supplicationesque Sanctorum, sed tunc profectò, cùm nos quoq; id ipsum per pœnitentiam postulamus.]Ac alibi rursus: *Quid mihi opus est, inquires, aliorum precibus, quando ipse sedulus fuero? Nunquam hoc dixeris homo; necesse est, & multa prece necesse est.*] Si enim diuinæ Scripturæ consulamus exempla, licet Iacob Patriarcha ex vno Deo eiusq; cultu pendèret, tamen sanctum Angelum tam reuerenter habuit, vt illius præsidio multùm tribueret, suasq; illi preces, immò & lacrymas offerret, nec sibi tantùm, sed & duobus nepotibus ex Iosepho filio procreatis singularem peteret benedictionem. Si enim Oseæ Prophætæ fidem habemus, cùm Iacob inuenisset Angelum in Bethel, fleuit & rogauit Deum, dicēs nimirum, sicut Moyses exponit, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & præterea suis nepotibus illud imprecans, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Quid est aliud quæso inuocare, nisi tantū beneficij ab An-

Deut. 9.
Ierem. 37.
& 42.
1. Reg. 7.
& 12.

3. Reg. 13.

Homil. 5.
in Matth.

Homil. 7. in
1. epist. ad
Thesal.
Vide & ho-
mil. 43. in
Genes.
Genes. 32.
& 48.

Oseæ. 12.

gelo expetere, tantumq; rerum successum illi secundū Deum acceptum ferre? Eadē ferē fides & religio apparet in Abrahamā, cū famulū suum peregrē ablegās, inquit: *Dominus in cuius cōspectu ambulo, mittet Angelū suū tecū, & diriget viam tuā.* Cū Iob grauitē afflictu esset, amicus quidā illi hoc suggessit cōsiliū, *Voca si est, qui tibi respondeat, & ad aliquē Sancto: ū cōuertere.* Et paruit quidē Iob accepto cōsilio, vt hinc postea dixisse videatur, *Miseremini mei, miseremini mei, saltē vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Quæ verba, vt Augustinus quoq; designat, ad beatos Angelos & Sanctos veluti deprecatores cōmodē referūtur. Credant isti, vt vt velint: meliorem certē fidē habere nō possunt quā Euangelicus ille centurio tantoperē à Christo laudatus, qui cū sua fide tantū coniunxit modestiē, vt se Christi aduentu & beneficio iudicaret indignum, & idcirco graues è Iudēis delectos viros subornauit, qui suā & seruiægroti causam, tanquā intercessores, Domino commendarent. Habuit quoq; fidē, eamq; excellentē Apostolus Paulus, perfectus itidē doctor gentiū in charitate Dei & proximi: frequens tamē ei studiū erat, in alijs præter Christū, vt sic dicā mediatoribus adhibēdis, quoniā idē & Moysen mediatorē appellat, sepeq; rogat, vt piorū precibus in suo officio adiuuetur. Quare in veteribus etiā scriptoribus probandū est, quod Sanctos magno in pretio habuerūt, illosq; honestis & præclaris exornarūt titulis, vt suā erga illos fidē ac reuerentiā nobis testarētur. Vocant illos Imperatorū protectores, regionū patronos, humani generis custodes, Christiani orbis tures & propugnacula, prapotentē apud Deum legatos, fidissimos curarum nostrarū socios, apud Christū aduocatos, & mortaliū opitulatores.

QVID ergo vetet obsecro, aut quomodo Christiane pietati repugnet, nos tot modis miseros mortales multū tribuere Sanctorū precibus, ac eos inuocare, quibus cura est in cælo de Ecclesia, vt multi etiā ex aduersarijs fatētur, & quorū orationibus, sicut Augustinus loquitur, Deus peccatis populi sui propitiatur: Ita profectō credidit & docuit, neq; rarò experta est tot seculis Ecclesia tum Græca, tum Latina, orientalis simul &

Genes. 24.

Iob. 5.

Iob. 19.

In cap. 16.
Iob.Matth. 8.
Luc. 7.Galat. 4.
Róm. 15.
Ephes. 16.
1. Thess. 5.
Hebr. 13.Vide Basil.
de vita 40.
Martyr. Nazianz. orat.
in Cyprian.
& Damasc.
lib. 4. c. 16.In Exodum.
quæst. 108.

Lib. aduers.
Vigilant.
In vigil. Pet.
& Paul.

Iob vlt.

Genes. 20.
& 18.

Pfalm. 102.

Daniel. 3.

Pfalm. 23. &
137.

Luc. 16.
Matth. 25.
Homil. 52.
in Matth.

occidentalis, neq; pulsa est vnquam sese ab hac cōstanti fide ac inuocatione diuelli. Ita enim post Hieronymū & Bernardū de quolibet Sancto ratiocinatur: Sanctus qui potēs erat in terra, potētior est in cœlis ante faciē Dei sui. Si enim dum hīc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nūc tantò amplius, quantò veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem eius non imminuit, sed augmentauit.] Quæ precandi vel inuocandi ratio nihil prorsus illi cultui, qui soli Deo debetur, derogat, ac insuper tantò est laudabilior ac pijs fructuosior iudicanda, quātò magis & securiùs in cōsideratione propriæ indignitatis, & pię humilitatis exercitatione fundatur, illique innititur fundamēto, quod sacris literis est cōsentaneum, Deum nempe posse quidem, sed nolle quorundam vota & preces exaudire, nisi Sanctorum vel iustorum precibus accedentibus, qui suam adhibeant inuocationē, Nota enim Dei vox est: *Ite ad seruum meū Iob: Iob seruus meus orabit pro vobis: faciē eius suscipiam.* Credebat in Deum Rex Abimelech, sed plaga domestica liberari nō poterat, nisi Abraham accederet intercessor, & pro illo precaretur. Paucorum iustorum rationem habuisset Deus, vt Sodomitis iam iam puniendis parceret, si iustos eos inter tot millia flagitiosorum hominum reperisset. Sed isti in præsentis Ecclesiæ iustos qui sine peccato nō sunt, ita defigunt oculos, nullam vt Sanctorum in cœlo sine peccato viuentium, suisque fratribus fauentium, & si rogentur, patrocinantium habeant rationem. Perinde scilicet ac si nefas esset nobis dicere, *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius. Benedicite Angeli Domini Domino, laudate eū super exaltate eum in sacula. Benedicite spiritus eū anime iustorum Domino. Atollite portas Principes vestras, eū eleuamini porta aternales. In conspectu Angelorum psallam tibi. Pater Abraham miserere mei.* Et sanè Chrysostronus cū tractat Euangelica verba, *Dante nobis de oleo vestro*, peccatores introducit, qui ad Sanctos cōuersi, in hunc modum rogent: Vos Sancti qui habetis opera larga iustitiæ sufficientia vobis, non solū ad euadendam

pœnam;

pœnam, sed etiam ad gloriã consequendam, accommodate nobis auxilium operum bonorum vestrorum, id est, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum, quia iustitia vestra sufficiens est & vos glorificare, & nos excusare.]

VERVM ENIM VERO vt hoc solenne festum, licet ab Hagiomachis abrogatũ atq; contemptum, mihi salutare reddam, meam ego socordiam primũ inculcabo, quod clausos potius quã apertos oculos afferam ad spectandum, quodq; dignos animi motus nõ sentiam, sicut cõgruebat, ad honorandum tot tantosq; Sanctorum ordines, in cœlesti Ierusalem pulcherrimè distributos, vt nihil decentius, præstantius, optabilius ac venerabilius in hoc quidem mundo possit inueniri. Meã itidem culpã causam adscribam, quod in illis cœli principibus, & quasi cõscriptis patribus, quorum incredibilis est potestas, sapientia, dignitas & charitas, crebrò salutandis atq; colendis rarò verfer ac frigidè: quod præterea illorũ fidis patrocinijs ac præsidijs, quibus me indigere scio, aut nesciam, aut negligam vt cõuenienter. Nõ est mihi cordi, proh dolor, legem obseruare matris Ecclesiã, quoties illa per statas ferias, autenticas historias, & spiritualia cantica me subinde de vita, morte & gloria Sanctorum admonet, memoriãq; illorum præsentem exigit. Iure dolebo, res cognitã horum præstantiũ Ecclesiã luminum alijs quidem pijs esse salutare, mihi verò acriores nõ præbere stimulos ad benè beatèq; viuendum. De Sanctorum cõmunionem nõ dubito quidem, sed latus non ago gratias, & in illis Deum creatorem, redemptorem & sanctificatorem nõ ea qua oportet, alacritate colo & celebros, vt agnoscam & venerer diuina illa & immensa beneficia, per quẽ terisacrosancta Trinitas illos omnes & singulos, vt charissimos filios & cohæredes, prædestinavit, vocauit, iustificauit atq; glorificauit, vt nempe imagini filij Dei conformarentur.

Rom. 8.

ribu s

1. Cor. 2.

Psal. 118.

Lib. 20. cō-
tra Faust.
cap. 21.

Canon. 20.

ribus, castitatem in Virginibus alijsque pudicis. Tum illorum omnium & merita & præmia, quæ oculus nō vidit, & auris nō audiuit, in mentem nō reuoco, atque ita meipsum impedio, vt cum pleno fructu testari nō possim: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Ac multò minùs contendo & elaboro, vt sicut illi cùm vinerent, suam, ita ego meam vocationem decenter exornem & comprobem, præcipuè autem vt viuam in Deum fidem, spem & charitatem in me crescere sentiam, atq; ad salutarem illorum imitationem exprimendam totus incendar. Noui quidem ab Augustino re-
cè doceri, quòd populus Christianus Sanctorum memorias religioſa solennitate cōcelebret, & ad excitandam imitationē, & vt meritis eorum confocietur, atque orationibus adiuuetur. At verò hunc vsum & fructum festorum, quæ de Sanctis tories & cōstanti quidem ordine quotannis celebrantur, ego leuiter magis quàm cum intimo sensu tranſeo, meq; ad seriam imitationem in vita corrigenda non conuerto, vt in Domino gloriari peſſim, illorum & merita & preces ad me quoq; pertinere, licet de more illos venerer ac amplectar.

NE QVE minorem, sed maiorem in me luctum iure pariet, quòd videam & audiam, in domo Regis mei Christi tantam esse cōfusionem, tamq; barbaricam hostiū grassari coluuiem, quanta vix vnquam impunè sæuijt, quoniam lectitissimi & coronati à Deo milites, ac præstantissimi heroës, quibus nihil ille habet charius, tam indignè fœdèq; tractantur. Peiores quippe plurimi sunt Eustathianis, quos Gangrensis olim synodus condemnauit, quia nō contenti Sanctorum loca & basilicas spernere, nunc eiusmodi templa per summam iniuriam & immanitatem diruunt, ac funditus euertunt. Dolebat olim Eunomio ac Vigilantio, Diuorum reliquias & corpora per Catholicos reuerenter haberi, ornari atque coli. Nunc vbi noua viget religio, sacra corpora, sicut D. Irenæi, D. Hilarij, D. Martini & aliorum passim effodiuntur, ferro & flammis absumuntur, abijciuntur in flumen, aut vulgò ridenda & conspuenda propinantur; corpora inquam, quæ viua Christi

membra,

membra, & inhabitantis Spiritus sancti domicilia extiterunt, & suo tempore ad vitam æternam suscitanda, simulq; splendidiſſimè glorificanda sunt, vt sicut sol, in regno Patris sui fulgeant. Scribit sanè Augustinus de hostibus barbaris, qui suo sæculo Romanam urbem tyrannicè occuparāt, quòd Martyrum locis & Apostolorum basilicis tam clementes fuerint atque propitij, vt Fidelibus ad illa velut asyla cõfugientibus parcerent, omnemq; permittent securitatem. Rursus VVicesitæ & VValdenses præpostero zelo religionis inflammati, aduersus cultum Sanctorum oblatrare veriti nõ sunt. Nunc satis nõ est, Sanctos omni honore, veteriq; cultu prorsus exuere atq; spoliare, nisi illos etiam in cœlo viuere, & quosdam in viuis vnquam exiisse pernegent, nisi illorũ dicta, scripta, facta, quæ ipsis aduersantur, studiosè deprauent, nisi præterea per illos edita miracula (diuina certè opera, veræq; fidei fructus & testimonia) pessimis apud inferos principibus attribuant, nisi deniq; templorũ imagines, quales & Deus fieri præcepit, & Salomon in tẽplo suo statuit, barbarico quodã furore frangant, abradāt, exurant, ac penitus demoliantur. Quod egregia maiorũ pietas Diuorũ uenerationi & cultui tribuit ac deputauit, id nostri sæculi noua tyrannis & sordida cupiditas per summã audaciam cū impietate cõiunctam abripit, ac in priuatũ quorundam vsu & pudendum luxum ita cõuertit, vt qui veteris Ecclesiæ videri volunt reformatores, nefando sacrilegij crimine orbem vniuersum offendāt. Proh Deum immortalem, in quæ demum tempora incidimus? quibus nouæ doctrinæ magistratus quod libet, etiam in sacris licere sibi cõfidunt. Ingeniosi certè sunt artifices ac administri, vt infelix Aquilo, à quo panditur omne malum, Hagiomachis & Iconoclastis, palamq; sacrilegis turpissimè impleatur. Egregia scilicet pietatis laus ista est & portio, quæ in Sanctorum cultu violatõ & pefundato collocatur; & apparet interim nouus Euangelicorũ fructus, quos pudet ac piget vti Sanctos, ita tres quoque personas diuinas multis in locis inuocare.

ILLVD vnum superest, vt ego miserandem istorum sor-

tem,

Marth. 13.
Lib. 1. de ci-
uit. Dei. c. 1.

Exod. 25.
Num. 31.
3. Reg. 6.

Ierem. 1.

tem, qui se Crucis Christi & Sanctorum eius infensos declarant inimicos, sæpè multumq; deplem, ac mentem illis precer saniozem, ne summū Deū in Sanctis suis aperto Marte persequi, & veteris Ecclesiæ disciplinam abolere, sacraq; paulatim omnia profanare, ac è medio tollere furentibus animis pergant. Dolebo interim & vicem Catholicorū, quos hætenus laudo, quòd pro suis Magistratibus ac Principibus egregiè pugnent, vt si læsum dominorum honorem senserint, què ad se quoq; pertinere nō immeritò putant, ardenti illum zelo defendere ac vindicare nō desinunt. Illud verò laudare nō possum, sed reprehendere debeo, quòd in Sanctorum honore tuendo iidem tam sint vecordes plerunq; ac desides, vt nō multò magis, quàm trunci & stipites commoueantur, cū Sanctorum Dei honorem & gloriam indignè proscindi, omniq; sermè cultu fraudari palàm experiuntur. Mihi sanè curæ fuerit, vt Diuorum cultum honori meo & Principum nostrorum antepoſitam, sed & sanctam illam, sicut veteres dixere, mendicitatem amplectar, per quam pius animus supernas cœlestis patriæ sedes ascendit, & multas variasq; in domo Patrīs mansiones inuisit, seq; ante thronū Dei & Agni humiliter & religiosè prostermit. Accedit porrò ad Sanctorum choros illustres, vbi melos illud periucundum Angelorum auditur, seq; cunctis ordinibus pulchrè distinctis studiosè commēdat. Habet illic sanè locum, quod nō temerè à Bernardo dictum accepimus: Discamus, ait, & nos cōtemplantes mirari, & mirantes cōtemplari, quomodo illius beatitudinis supernæ ciues omnia quæ sub ipsis sunt, indefinenter aspiciant, omniumq; quæ sub alto vidēt, rationem & ordinem cōprehendant, quomodo de mutua societate indissolubiliq; charitate in infinitum gaudeant: quomodo in illam diuinæ claritatis visionem insatiabiliter inardescant.] Tum alio in loco: Oremus eos, vt ipsi propitium nobis reddant amicum suum, iudicem nostrum.] Nec obliuiscar Augustinianæ sententiæ, qua ritè docemur: Cū Sanctos in oratione inuocatis, sic oportet de illis cogitare cōstitutis in gloria æternæ claritatis, scilicet splendidissi-

Lib. de domo inter.
cap. 70.

Sermon in vigil. Pet. & Paul.
Lib. de cognitione veræ vitæ
cap. 9.

ma lumi-

ma lumina longè præ solis fulgore lucentia, qui omnia bona pleniter in Dei visione habeant, & cunctis se inuocantibus potenter subueniant.] Sed vt semel demum finiam, in his Ferijs oculos ego libenter attollam, neq; solùm pulcherrimas Diuorum sedes suspiciam, sed in illis etiam Deum Opt. Max. qui solus Sanctos creat, sanctificat atq; glorificat, lætus ex animo prædicabo, illorumq; omnium qui sunt infiniti, nomine reuerenter hymnum illum recitabo: Te Deū laudamus, te Dominum confitemur. Neq; solùm hoc die, verùm etiam in cuiuslibet mensis initio Sanctorum omnium ordines, quos satis laudare & admirari nō possumus, mihi spontè proponam, ac religiosè inuocabo: quoniam hæc sunt, vt Bedæ verbis utar, firmissima & tutissima Ecclesiæ præsidia. Nec omittā, vt multorum piorum mos est receptissimus, veterem ac sollempnem Litaniam subinde mecum repetere, præsertim vt me totumq; statum Ecclesiæ militantis, ac simul periculosè peregrinantis cū illa quiescēte, atq; in cœlis triumphante coniungā. Talibus ac tantis cœli principibus, fidisq; patronis, sicut res prosperas, ita & aduersas amanter, humiliter ac religiosè commendabo, vt in omnibus diuinæ protectionis auxilio magis muniamur.

Libro 4. in
Cantica.



DE PRECIBVS CVM FESTO, EIVS-
que Euangelio coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt particeps fiam earum beatitudinum, quas octo Christus in monte tradidit, vt Fideles omnes his velut Euangelica doctrina fundamentis, sua superstruant benefacta, iuxta illud Apostolicum, Vnusquisq; videat, quomodo superædificet, super Christum nempe fundamentum.

1. Cor 3.

ORABO mihi & amicis donari gratiam, in vera communione Sanctorum persistedi, vig. per fidem & fidei opera, atq; virtutū officia & merita, cœlestem eorundem gloriam & remunerationem à Christo illis exhibitam assequamur.

PETAM *in*super Deum esse propitium impijs Hagiomachis, & nouis Vigilantijs, qui si antehac unquam, nunc maxime quidem omnem ferè S. nētorum cultum abrogant, atque ita Deum & Dei Ecclesiam in Sanētis suis atrociter persequuntur.

AD HAEC offeram Deo Opt. Max. Deipara Virginis, electorum Angelorum, & Beatorum omnium purissimas preces, ut his Intercessoribus acc. dentibus, maiorem diuinae gratiae abundantiam in temporalibus & spiritalibus praesidijs hoc miserrimo tempore sentiamus.

ROGABO demum hoc mihi amicisq; concedi, ut rectè sciamus, Sanctos veluti patronos colere ac venerari, eosq; cum in vita, tum in morte fauentes experiri, immò & per eos in aeterna recipi tabernacula.



IN DIE COM-
MEMORATIONIS ANI-
MARVM, SIVE FIDELIVM
DEFVNCTORVM.

Sequentis Euangelij Argumentum.

EVANGELIVM hoc est pars insignis historiae, quam solus Euangelista Iohannes de Lazaro Bethanico, Marthæq; & Magdalenæ fratre defuncto ita describit, ut Filius DEI per eiusdem defuncti admirabilem resurrectionem meritò celebretur, ac plurimùm glorificetur. Augustinus hoc miraculum inter alia Euangelica ce-

leberimum, & ad fidem Diuinitatis Christi adstruendam vel maximū facit; quod illi quidem apud Iudæos vt summam admirationem, ita nec minorem inuidiam peperit. Ita verò hic Lazarus à Iohanne proponitur, vt idem forma sit & figura omnium, qui morte velut peccati stipendio plectuntur, & ex morte spirituali ad vitam gratiæ, ac demum in die supremi iudicij ad vitam æternam per Iesum Christum resuscitabuntur. Tractatur autem in hoc Euangelio velut dialogismus inter Christum & Martham eius hospitam, priusquam ad Lazari sepulcrum, ipsumq; miraculum veniatur. Vbi Christus huius mulieris imbecillitati consulit, quæ sui fraus mortem velut casum quædam humanum spectabat atque lugebat, & paulatim sic illam instituit, vt erigatur ad capessendam fidem diuinæ voluntatis ac prouidentię, qua reguntur omnia, vtq; verâ de Christo cognitionem acceptam suis verbis ostendat. Habemus igitur hoc loco apertam huius Marthæ confessionem non solum de generali carnis seu mortuorum resurrectione, qualem Iudæi omnes profitebantur, verum etiam de singulari Christi in resuscitandis mortuis potestate. Sicut enim Pater suscitât mortuos & viuificat: sic & Filius quos vult, viuificat, vt apud Iohannem legimus. Credidit sanè Martha, Christum verum esse Messiam, vitæque ac mortis habere imperium, qui animas per peccatum mortuas, per gratiam viuificare, ac vitæ gratiæ restituere, sed & viuificatos in anima & corpore virtute sua glorificare posset. Ego, inquit, sum resurrectio & vita, vitæ scilicet ac resurrectionis autor mortalibus. Quæ omnia si viua & per charitatem operante fide accipiuntur, cunctis fidelibus in mœnore ac luctu defunctorum insignem adferunt consolationem. Illud autem Christi verbum, quod postremò eius discipulis dicitur: Soluite eum (Lazarum iam resuscitatum,) & sinite abire, Augustinus refert ad confirmandam potestatem, quæ noui Testamenti Sacerdotibus competit ad reos peccata propria confitentes absoluendos, iuxta illud: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo.

Iohan 5.

Tractat 22
sup. Iohan.
& 49.

Matth 18.



EVANGELIUM IOAN-
nis XI.



In illo tempore dixit Martha ad IESUM: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quacunq; poposceris à Deo, dabit tibi DEUS. Dicit illi IESUS, Resurget frater tuus. Dicit ei Martha, Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei IESUS, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utiq; Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRÆCATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM.

Dixit Martha ad IESUM, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.



In hoc Euangelio multa se mihi offerunt circa Fideles mortuos, eorumq; sepulturam & exequias consideranda, cum nullus alius toto anno dies occurrat, quo Fidelium defunctorū & sepultorum anniuersaria commemoratio magis in usu habeatur. Ac primū quidem notabo luctum Christianum, quem uiui amicis, benefactoribus, maioribus ac parentibus uita defunctis piē ac utiliter

exhibe-

exhibere consueverunt. Hic enim affectus & mos propositis Lazari fororibus Martha & Magdalena congruit, quæ fratrem defunctum domi ac foris grauiter deplorarunt, vt egerent etiam bonorum hominum præfenti cõsolatione, à quibus inuisebatur, & in summo mœrore versantes, vtcunq; refocillabantur. Hunc mœrorem illæ verbis & gestibus abundè testate sunt, & idcirco de Magdalena dictum fuit: *Vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* Tum de Christo refertur, quòd eandem Mariam plorantem, & cum ea Iudæos complorantes viderit: immò quod lacrymantibus illis fuerit & ipse collacrymatus. Vnde nec vanum illorum fuit iudicium, qui aperte dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum,* amicum nempe Lazarum. Igitur hunc dolorem ex amicorum morte cõceptum, & in Scriptura sæpè propositum obseruabo, vt sciam illum Deo non displicere, & naturæ quidem ac amoris honestum præbere testimonium, qui in Christianis etiam excusari possit atque defendi. Contristamur enim, vt Augustini verbis vtar, nò in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur; hinc cõsolamur: inde infirmitas afficit; hinc fides reficit: inde dolet humana cõditio; hinc sanat diuina promissio. Si quidem & magnus pater Credentium Abraham, amissa vxore Sara, cum illa centum viginti septem ætatis annos explefset, nò modò luxit, sed honestam etiam ei sepulturam in Hebron officiosè procurauit, ac officium funeris peregit publicè. Laudantur & duodecim Patriarchæ, qui nò sine magnis sumptibus, & ingenti apparatu, acerboq; luctu patrem suum charissimum Iacob in Agypto mortuum terræ mandarunt, & eodem quidè loco, vbi post Saram, Abraham, Isaac, Rebecca, Lia suam habuere sepulchrum. Nec obscurus fuit Israëlitici populi mœror ac planctus, quem Propheta Moyse, Sacerdoti Aaron, Samueli Iudici, & Iosifæ Regi religiosè exhibuerunt. Nisi opus pium foret demortuorum Fidelium habere curam, vt honestè sepeliatur, certè Angelus Raphaël illud in Tobia nò diserte laudaret, neq; David tam præclare loqueretur de habitatoribus Iabes Galaad, quòd suam pietatem in rege Saul sepeliendo

1.
Iohan. 11.

Serm. 34 de
verb. Apost.

Genes. 23.
2.

Genes. 50.
3.

Ibidem.

4.
Deut. 35.
Num. 10.
1. Reg. 25.
2. Paral. 35.

Tobi. 12.

5.

1. Reg. 2.

6.

7.
A. Cor. 8.

Eccles. 7.

& 22.

8.

1. Theff. 4.

Serm. 35. de
verb. Apost.

Luc. 7.
10.

Serm. 34. de
verb. Apost.

Iohan. 19.
Mothob
sepulch.

demonstrassent. *Benedicti*, inquit, *vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelivistis eum.* Refert quoq; Lucas Euāgelista, quale officium occiso Stephano protomartyri præstiterint primi Christiani, *Curauerunt*, inquit, *Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Tum ante Christi aduentum scripserat Ecclesiasticus, quod haud dubiè multo tempore fuit obseruatum: *Mortuo non prohibeas gratiam. Supra mortuum plora. Luctus mortui septem dies.* Paulus verò eiusmodi luctum nec damnat, nec prohibet, sed inter suos limites contineri vult, ne sit alioqui immoderatus, atque ad Ethnicorum accedat consuetudinem, qui de animo-morum immortalitate & resurrectione corporum nihil certi statuere possunt, tantum abest, vt credant corpus Fidelis hominis cum anima ad vitam æternam duce Christo esse peruenturum. Vnde significanter ita scribit; *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent.* quæ verba sic explicat Augustinus: Non tantum ait, vt non contristemini, sed vt non sic contristemini, quemadmodum Gentes quæ spem non habent: necesse est enim vt contristemini. I Cui rei luculentum præbuit exemplum Christus Dominus, cum *obuiam iuit*, afflictæ viduæ, vnicum filium ad sepulturam elatum comitanti, illamque in summo mœrore coram honesta pompa funeris amanter est consolatus, à lacrymis cessare iussit, ac denique filium demortuum vnico verbo restituit non sine spectantium admiratione. Absit igitur vt improbem peruetustam piorum consuetudinem, & præsentem Ecclesiæ disciplinam, quæ circa sepulcrorum curam, Christianiq; funeris officium laudabiliter exercetur. Etenim hæc sepeliendi, & sepulcra cõstituendi, exequiasque celebrandi religiosa cura, si Augustino credimus, in Scripturis sanctis inter bona piorum opera deputatur. Nec solum in corporibus Patriarcharum aliorumq; Sanctorum, & humanis cadaueribus quorumcunq; iacentium, verum etiam in ipsius Domini corpore prædicati ac collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, &

sui humani lenimenta mœroris. Ex probatis Patrum scriptis abundè cōstat, iam olim Christianis ex hac vita migrantibus, & funebribus exequiis permultum fuisse tributum, vt accensa luminaria, Dauidici hymni, solennes preces, Catholici Sacerdotes, religiosæ oblationes & frequentes elemosynæ adhiberentur. Qua de re testatur Hieronymus, sed & præceptor eius Gregorius, Chrysostomus, & Ambrosius nō obscurè loquuntur. Nec dubitatum est vnquam in Ecclesia, eiusmodi piorum suffragia, de quibus postea differemus, tum ad veræ fidei, tum ad fraternæ charitatis confirmationem, neque minùs ad salutarem de morte refricandam memoriam fidelibus vim singularem adferre.

DEINDE notanda mihi sunt Marthæ verba, quibus Christum sic affatur mœrens: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quacumq; poposceris à Deo* (pro meo nempe fratre defuncto) *dabit tibi DEVS.* Etsi enim Martha hoc ipso sermone fidē in Christum languidam & imbecillem ostendat, illumq; sublimem Prophetam potiùs quàm verum Messiam agnoscere videatur: tamen in eo rectè sapit ac iudicat, quòd cum sapientibus omnibus confitetur, bonorum sanctorumq; hominum suffragia nō esse inania, sed à Deo recipi ac probari, simulq; viuus ac mortuis opitulari. Cur enim de illo dubitaret, quòd in veteri Synagoga cunctis notum erat atq; persuasum, Deum per Eliam & Eliseum Prophetas, eorumq; preces nō solùm ingentia designasse miracula, verumetiam ad vitam reuocasse mortuos, ac propter defuncti Regis Dauidis merita, sicut ex Chrysostomo dictū est, toti parcere ciuitati Hierosolymorum. Quare si Marthæ huius mentē spectemus, hoc sanè dicere voluit: Tametsi frater meus corpore mortuus ac sepultus iaceat, vt iam velut quadriduanus foetere incipiat, tamē de te ac precibus tuis mihi Domine tantum polliceor, vt intercessio tua sit apud Patrem futura efficacax, nec minùs Lazaro salutaris, quē tantoperè dilexisti, quoniam & alios mortuos, vt cuncti norunt, potenti ac miranda virtute iam antè vitæ restituiisti. Non solùm te inter Prophetas

In epitaph.
Paulæ.
Oratio. 2.
In cap. 9.
Matth. &
homil. 4. in
2. c. ad He-
bræ.
Super obi-
tū Valent.
& Theod.
Imp.
Iohan. 11.

3. Reg. 17.
4. Reg. 4.
& 13.
4. Reg. 19.

Matth. 9.
Luc. 7.

2. Reg. 1.
& 3.

2. Mach. 12.

a cap. 47.
b ad Exuperium.
c Lib. 18. de ciuit. Dei.
cap. 36.
2. Macha. 12.

Matth. 18.

Lib. de curu pro mortu. agen. cap. 1.

maximos colloco, sed etiam pro Messia veneror, nullumque alium qui saluator in hunc mundum veniat, & rebus mortalium desperatis assistat, expecto. Vetus etiam Hebræorum extat Calendarium, quo confirmare licet, in veteri more Synagogæ receptum fuisse, vt defunctorum Fidelium memoria stans anni diebus recoleretur, & pro illis ipsis preces, oblationes & ieiunia celebrarentur. Hinc Dauid etiam Regem ita descriptum legimus, vt cum amicorum obitum percepisset, illorum vicem doluerit & fleuerit atque ieiunaret. Clarius verò testimonium præbent libri Machabæorum, quos pro Canonicis iam pridem habuit, & habet etiamnum Ecclesia Christiana, quemadmodum præclari Theologi post Concilium Carthaginense tertium, & Innocentium Primum clarissime comprobauerunt, eisque consonat Augustinus. In his libris expressè traditur, quod nullus veterum Theologorum in dubium vquam reuocauit: nempe, Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Quocirca ego cum Orthodoxis omnibus magni faciam Iudam Machabæum, quem Deus tot præclaris victorijs & cœlestibus apparationibus coronauit, valdeque religiosum ostendit Principem, æterna certè memoria dignum. Is eximiū suæ pietatis testimonium editurus, curam adhibuit singularem, vt pro cæsis in bello militibus, eorumque salute multi Deum precarentur, & in templo sacrificium sacerdotes offerrent, plurimasque drachmas distribui procurauit. Quidquid verò Iudæi de his libris fabulentur, meum est ex illius Ecclesiæ autoritate pendere, quam nisi matrem & magistram audiam, Ethnicis ac publicanis, Iudæis ac hæreticis aggregabor. Certè cum Augustino constanter affirmare habeo: In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, autoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Valuit igitur ante mille ducetos annos hæc ipsa Ecclesiæ consuetudo, quæ Clemens,

Diony-

Dionysius, Chrysoftomus, Damascenus, alijq; plures ex Patri-
 bus referunt ad Apostolicam traditionem, ac Tertullianus
 quoq; confirmat. Tantum abest, vt Aërio, qui primùm hac de
 re cœpit cõtendere, ac toti Ecclesiæ voluit oblatrare, conce-
 dam aliquid, nouisq; Sectarijs credam, cùm illi Sacerdotibus
 careant, & altaria sacra diruant, & sacrificia, aliasq; Ecclesiæ
 oblationes pro sua libidine & impudentia detestentur, à cul-
 tu quidem Sanctorum, atque ab omni erga defunctos pietate
 remoti. Orant certè pro Lazaro ambæ sorores, quarum vo-
 tis Christus annuit, vt illarum suffragijs exoratus, quadridua-
 num earū fratrem ab inferis resuscitaret. Oravit & Petrus Apo-
 stolus misericordia commotus, & oratione sua Dorcam siue
 Tabitham defunctam vitæ restituit. Idem beneficium Paulus
 præstitit, cùm adolescentem Eutychem extinctum resuscita-
 ret. Nec est obscurū, quid egerint Sancti homines Martinus,
 Dominicus, alijq; cõplures, quorum precibus corpora de-
 functorum reuixisse constat. Testantur & Augustinus & Euo-
 dius, per Stephanum protomartyrem, eiusq; sacras reliquias
 vtriusq; sexus homines post mortem suam ad vitam reuoca-
 tos fuisse, sicut & Eliseum Prophetam laudat historia sacra,
 quòd iam defunctus solo cõtactū mortuum alium in monu-
 mento sibi coniunctum resuscitarit. Et dubitant adhuc cum
 Ethnicis aduersarij, adeòq; pernegant, piorum valere preces,
 vt defunctorum animabus aliqua ex parte consulatur atque
 subueniatur. Nos cū Augustino Ecclesiæq; tota sine ambigui-
 tate vlla cõfitemur: Non sunt prætermittendæ supplicationes
 pro spiritibus mortuorum. Oblationes pro spiritibus dormi-
 entium ipsos verè aliquid adiuuare credendum est. ¶ Qua de
 re suo loco plura.

P R A E T E R E A huius Euangelij historia illum mihi fru-
 ctum adferet, vt nôrim in amicorum morte, quæ multos sæpè
 in grauem mœrorem conijcit, me aliosq; consolari, & acerbū
 lenire dolorem. Quid quæso morte vsitatius, quid immedica-
 bilius ac ineuitabilis vbique gentium? Ab hac diuites æque
 ac pauperes appellatur mortales, nec quisquam se mortis im-

Iohan. 11.

A Cor. 9.
& 20.

4. Reg. 13.

Lib. de cu-
ra pro mor-
tu. & Epi-
stol. 64.

Pfalm. 88.
2. Reg. 14.

Ecclef. 14.

Hebr. 9.
Iob. 14.
Rom. 5.

Hebr. 9.

Genef. 3.
Ecclef. 3.

Iob. 1.
Pfalm. 134.

Iohan. 12.

perio subducere potest. En tibi Lazarum hunc nobilem, copiosum, vegetum, nec modò suis, sed etiam Christo charum: languore tamen frangitur, amicis omnibus surripitur, à medicis deseritur, & morte extinctus sepulcro mādatur. *Quis enim est homo qui viuet & nō videbit mortem? sicut Psalmographus canit: vt hinc rectè dixerit sapiens illa matrona, Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, qua non reuertuntur. Omnis caro,* inquit alius, *sicut fœnum veterascet.* Nec ignota est causa huius mortis ineuitabilis, quā omnes Adæ filios subire necesse est, sic enim Apostolus perspicuè scribit, *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & per peccatū mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ac alio iterum loco inquit, *Statutum est hominibus semel mori,* nimirum iuxta expressam & irreuocabilem illam iusti Dei sententiam, quæ in primum hominem eiusq; posteritatem lata est, *Fuluis es, & in puluerem reuertēris.* Adeò verè dixit Ecclesiastes: *Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.* Valeat igitur longa & acerba tristitia, lamentatioq; frustranea, quemcunq; demum amicū & familiarem mihi abripi sentiā; in Dei voluntate sancta conquiescam, & cum Iob patiente dicam, *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Omnia quacunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.*

ACCEDIT quòd mors corporalis defuncto Lazaro nullum detrimentum, sed lucrum potius attulit, vt idem immortalē sui nominis claritatem sit affecutus, verèq; Christi amicus à cunctis existimetur, cū illum adeò fauentē & benignum in vita & post mortem senserit: quandoqui dem resuscitatus, cū Domino mensam habuit quoq; communem, & magnā rei Euangelicæ laudem & gloriam conciliauit. Omitto quātoperè hæc ipsa mors Iudæis tum presentibus, tum absentibus profuerit ad fidei confirmationē, multòq; magis ad augēdam Christo maiestatem, vt Filius Dei longè latè que propter Lazarum glorificaretur. Nec est prorsus dissimile, quod de

multis

multis Dei amicis, sicut Petro, Paulo, alijsq; Apostolis & Martyribus passim legimus, quos nempe mors atrox, & horrida, quemadmodum mūdus & caro iudicant, nō tam obscuravit quàm illustravit, verèq; in tota Ecclesia tot seculis gloriosos effecit. Quamobrem de illis cum Propheta regio iure decantabo, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Dicam & cum Sapiente: *Deus tentavit eos, & inuenit illos dignos se: tanquàm aurum in fornace probavit illos; & quasi holocausti hostiam accepit eos: & in tempore erit respectus illorum.* Proinde mihi ipsi succēsebo, si bonorum amicorū obitum molestè feram, eoq; supra modum discrucier: quādoquidem illis hactenus debeo cōgratulationem, quòd in vera fide pensum naturæ absoluerint, & extremum illud obedientiæ officium, ex quo vniuersa hominis salus dependet, summo Deo vocanti præstiterint. Ex hoc mundo illi tanquàm hospitio, & ex ipso corpore velut ergastulo decesserunt, vt ærumnosum peregrinationis suæ cursum explerent, ac votum diu exoptatum maximo suo commodo assēquerentur. Si enim verbo Dei credimus, *iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. visi sunt oculis insipientium mori: & aestimata est afflictio exitus illorū: illi autem sunt in pace: vt reliqua prætermittam.* Exaudita est sanè illorum precatio, qua toties Patrem cœlestem implorauerunt: *Adueniat regnum tuum.* Cum quo consentit vox illa Prophetica: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Quid refert interim, amicos in bello nonnunquam occumbere, aut peste aliove morbo extingui, vel subito ex hac vita tolli? Illud me consolabitur quod scriptum est: *Iustus si morte praoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Placens Deo factus dilectus,* (Cyprianus de iusto Enoch interpretatur) *& viuens inter peccatores, translatus est; raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Placita erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatū. Gratia Dei & misericordia in Sanctos eius, & respectus in electos illius.*

Psal. 115.
Sap. 3.

Sap. 3.

Matth. 6.
Psal. 119.
& 141.

Sapi. 4.
Lib. de mortalitate.

Ierem. 31.
Pſalm. 22.
& 16.

Prou. 3.
& Hebr. 12.
Iacob. 1.

Iob. 2. & 13.

Ecclef. 13.
Iob. 13.
Malach. 3.

Hebr. 13.

Pſalm 23.
Iob 17.

Roman. 8.

Ecclef. 11.

NE QVÈ caret fanè myſterio, Lazarum à Chriſto ſic amari, vt gtaui morbo, & vrgente mortis aculeo viſitetur, qui idcirco velut paterna virga correptus, ſuo iure teſtari potuit, *Caſtigati me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti.* Ita enim cum ſuis electis ludit agitq; Deus, vt quò magis illos amat, eò libentius illos rebus aduerſis exerceat, atq; in cruce probet. Scriptũ enim: *Quem diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio, complacet ſibi.* Vnde Iacobus quoque ſcripſit: *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis. Quamobrem ſi caſus acerbus me, aut familiarem meum torqueat, adeòq; vitã ipſam abrumpat, nõ eſt fanè cur Diuinæ voluntati ſemper bonæ & iuſtæ obſtrepam, crucemq; oblatam auerſer: ſed cum patiente Iob mente in Deum erecta dicere habeo: *Si bona ſuſcepimus de manu Domini; mala quare non ſuſtineamus? Nudus egreſſus ſum de viero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Quid autem optabilius atq; præſtãtius obſecro, quàm ab illo reſpici, amari & coronari, qui pius & miſericors eſt Dominus, & remittit in die tribulationis peccata, quiq; flagellat & ſaluat, deducit ad inferos & reducit? Ipſe eſt quaſi ignis conſlans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conſlans & emanans argentum.* Cur ergo me diſcruciem fratris vel amici cauſa, quem piè defunctum nõ amiſi, ſed præmiſi in patriam?*

Non enim, habemus hic manentem ciuitatem, vt Paulus admonet, ſed futuram inquirimus, in quam nemo ciuis conſcribi poteſt, niſi per mortis oſtium anguſtum ingrediatur, & humana deferens, montem Dei ſanctum aſcendat. Beatus homo qui corripitur à Domino. Ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabũ. Verè igitur à Paulo ſcriptũ eſt, quòd diligentibus Deũ omnia cooperentur in bonum: & ſicut ait Eccleſiaſticus, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.*

Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitem eum. Ego ſum reſurrectio & vita. Qui

credit

credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.

INGENTES Christo Domino gratias agam, qui ad eò fidā paternamq; curā de suis amicis siue viuis, siue mortuis gerit, vt illorum nunquā obliuiscatur, ac omnes demū ad vitam cūm animi, tūm corporis excitare dignetur, Maiores adhuc illi ipsi dicam gratias, quòd vt summum erga mortales omnes amorem suum declaret, mortem vt acerbissimam, ita ignominiosissimam in cruce gustare voluerit, per quam benedicta anima eius à corpore sanctissimo separaretur. Vnde cum Petro ingenuè confitebor: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu.* Is morte sua mortem nostram, quæ alioqui æterna futura erat, superauit ac sustulit, vt sicut omnes in Adam moriuntur, ita in Christo omnes viuificentur. In ipsum solum dicta illa competunt: *De manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos. Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo clauas mortis & inferni. Ego sum resurrectio & vita.* Quocirca quoties de mortuis fidelibus agitur, læto & grato prorsus animo me ad Christum conuertam, qui sua morte, peccati, mortis, inferni & diaboli fregit ac deuicit tyrannidē, & cum Paulo dicam ex animo: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominū nostrum IESVM Christum, qui in hoc mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.*

QUIA verò corpus hominis mortuum est propter originale peccatum, vt hinc stipendium & pœna peccati mors ritè dicatur, quam ne infantes quidem effugere possunt, iustū Dei iudicium approbabo, quo factū est, vt sicut alijs afflictionibus & molestijs, sic etiam funestæ morti sint omnes obnoxij, quotquot peccatores, & iræ filij in sacra Scriptura nuncupantur. *Deus enim, vt legimus, mortem non fecit, nec letatur in perditione viuorum: inuidia verò Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & per Adæ primi hominis, nostriq; parentis inobedientiam, sicut peccatum, sic mors etiam in omnes homines*

1. Petr. 3.

1. Cor. 15.
Osæ 13.
Apocal. 1.

Iohan. 11.

1. Cor. 15.
Roman. 14.Rom. 8.
& 6.Ephes. 2.
Sap. 1. & 2.

Rom. 5.

pertran-

Ecclef. 40.

pertransijt, hoc graui iugo omnes Adæ filios premente.

mors impie

I. stralis

Ecclef. 3.

Hi c autem notabo, triplicem nobis mortem in sacris li-

Ecclef. 10.
& 38.

teris proponi, mihi que cum primis meditandam esse, vt pote

Genef. 18.

mortē corporalem, Spiritualem ac eternā. Et corporali quidē

Iob 17.

seu naturali morte, quæ animam corpus que se iungit, nihil in

Ecclef. 10.

hac vita certius ac indubitatus, adeoq; horribilius sese nobis

Ecclef. 9.

offert, & quidem hac ratione bestiis exæquamur, dicēte Scri-

Matth. 24.

& 25. &

Marc. 13. &

Luc. 12.

Iob. 14.

Psal. 38.

ptura: *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & aqua vtriusq;**conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Rex hodie est, &**cras morietur. Cum morietur homo, hereditabit serpentes & be-**stias & vermes. Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi**heri, & tibi hodie. Nihil ergo mirum, quod Abraham inclytus**Patriarcha se puluerem & cinerem vocet, ac patiens ille Iob**de se ipso fateatur: Putredini dixit, Pater meus est: Mater mea, &**soror mea, vermibus. Cur igitur mihi quoq; subinde non vlti-**pem illud, Quid superbis terra & cinis? Iam verò sicut nihil cer-**tius ac ineuitabilius est morte, quæ nulli parcat, & omnes mor-**tales exæquat: ita rursus mortis hora & tempore, quod cuiq; à**Deo præstitutum est, vbi nempe, & quando, & quo pacto mo-**ri debeat, nihil incertius atq; occultius inuenitur. Et quia ne-**scit homo finem suum, Christus toties in Euangelio repetit, &**cunctis inculcat illud Vigilate. Quia nescitis, inquit, diem neque**horam. Qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Hinc & illa**sancti Iob extat sententia, Breues dies hominis sunt; numerus**mensium eius apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri**non poterunt. Et Psalter quoq; profitetur, Ecce mensurabiles po-**suisti dies meos. Eo que magis admirabor, tam multos reperiri**passim, qui cum se mortales agnoscant & experiantur, quod**cum Ethnicis etiam habent commune, tamen longa vitæ spacia**sibi polliceantur & optent, nihil profecto minus quam de**morte futura solliciti, de qua ne cogitare quidem dignantur:**multo que magis imminentem & pulsantem illam auersantur**ac fugiunt. Quare non Ezechie regis & Gedeonis Principis in**metuenda & effugienda morte, sed Elie, Tobie, Simeonis &**Pauli in vitæ huius exitu desiderando & expectando sectabor*

exemplum,

exemplum, nihil planè dubitas, ad me quoq; spectare illa Scriptura testimonia: *Memor esto, quia mors non tardat. Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur.* Vnde cum Propheta quoque precabor Dominum: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi. paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

IAM verò spiritualis mors illa dicitur, quæ hominem in carne viuentem Diuina priuat gratia, Deoq; mortuum in peccato velut sepulchro detinet, & quasi foetidum sanctis Angelis præbet, quia nec Deo nec iustitiæ viuunt, ac velut Satanæ mācipium esse & manere videtur. Ad hunc modum Scriptura de morte inobedientium loquitur: *Homo per malitiam occidit animam suam. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Vnusquisq; in sua iniquitate morietur.* Tum Paulus de vidua scribens, quæ corpore vegeta, vitam lauram & delicatam exigit, dicere non dubitat, quòd viuens illa sit mortua. Eòdem spectat, vti veteres notârunt, in Euangelio tres mortuos à Christo resuscitados describi, vt nempe sciamus, animas in mortem peccati prolapsas, sibi ipsis mortem consciscere tum secreto animi consensu in subortam peccati mortalis cogitationem, tum operatione praua, tum ipsa peccandi consuetudine. Hos verò per peccatum siue internum, siue externum secundum animam perditos & extinctos nemo nisi CHRISTVS, cui nihil est difficile, viuificare, & ad gratiam amissam reuocare potest, restante Apostolo, illum ad hoc mortuum & resuscitatum esse, vt & viuorum & mortuorum dominetur. Et verum est tamen, vt idem affirmat, ex peccatore quoq; pendere, vt ipsum Christi opus in suscitâdo mortuo nō impediatur. Hinc illam producit sententiâ: *Surge qui dormis & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus.* Vt enim à morte peccati rectè surgâ, cum Propheta vigilare & orare habeo: *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Etenim Christus ita semetipsum obtulit immaculatum Deo, vt emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis siue peccatis, ad seruiendum Deo viuenti. Sicut quippe

mors

Eccles. 14.
Apocal. 2.
Psalm. 38.
& 101.

2.
Spiritualis

Sap. 16.
Ezech. 18.
Jerem. 31.
1. Tim. 5.

Matth. 9.
Luc. 7.
Iohan. 11.

Rom. 14.

Ephes. 5.

Pfalm. 12.
& 62.

Hebr. 9.

Rom. 6.
Ibid.

mors Christi vim & efficaciam habet ad remissionem peccati faciendam pœnitentibus: ita eiusdem Domini resurrectio valet ad vitam & gratiam cōferendam baptizatis, vt in nouitate vitæ ambulent, quemadmodum idem Paulus tradit. Proinde testatur & illud: *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* quandoquidem dum baptizamur, non obscure profiteamur nos mundo mortuos, atq; peccato & diabolo nō cōsensuros, sed reluctaturos esse. *Vetus enim noster homo* (vniuersa nempe vitiositas in qua nati sumus, & congeries peccatorum) *simul cum Christo crucifixus est, vt destruat corpus peccati, vt ultra non seruiamus peccato.* Destruitur autem & exhauritur corpus peccati temperatiâ, vigilijs, ieiunijs, precibus, studioq; virtutum, & impletur in nobis illud Apostolicum: *Existimate vos mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in Christo IESU.* Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediat concupiscentijs eius, hoc est, scœdissimis & perniciosissimis deprauatæ naturæ motibus, ne alioqui à vita in mortem per peccatum relabamini.

Rom. 6.

7.

Iob. 10.

Matth. 8.
13. & 22.
Marc. 9.
Iohan. 15.

Rom. 2. & 1.
Psalm. 48.

Num. 16. &
Psalm. 105.

Iob. 21.

DE MV' M quid æterna morte tristius ac formidabilius quæso fingi potest: quam Iob pulchrè depinxit, vocans illam terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nam si & Euangelium sequimur, ibi erit fletus & stridor dentium, ibi caminus ignis æterni, ibi tenebræ exteriores, ibi vermis damnatorum non moritur, & ignis non extinguitur: ibi palmites à Christo vite præcisi, & prorsus aridi, inque ignem missi continenter ardent; ibi demùm ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam illam competit, quæ morte digna gessit, Apostolo teste. De hac morte canit Psalmographus: *Sicut oues in inferno positi sunt: mors deperdet eos.* Hac execranda morte, siue vt nunc loquimur, damnatione, perijt seditiosa cohors Israëlitarū, quos terra dehiscens absorbit, vt viui omnes ad infernum descendisse legantur. Neq; tacet Iob de illis miserrimis, qui post vitā vanè improbèq; consumptam in puncto ad inferna descen-

dunt,

dunt: sicut & diues epulo à Christo describitur, qui apud inferos in flamma ignea crucietur. Eòque magis & accuratiùs meminero mortis huius timorem atque horrorem in Euangelio non prohiberi, sed illa, Christi sententia confirmari: *Offendam vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, Hunc timeate.* Apud Matthæum ita succinctiùs monet: *Timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Quid ni verò timeã hanc mortem & gehennam, si verum est quod idem Christus affirmat: *Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij, siue condemnationis: Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit vigilantem.* Infelix autẽ & extremo supplicio dignus, qui Domino tanquam fure veniente, tam malè vigilat, vt omninò imparatus ex hospitio suo decedat, quia sceleribus & debitis multis grauatam habet conscientiam, & quod est pessimum, de futura sibi salute fortasse desperat: quod nihil est aliud, nisi mortem vtramq; corporis & animæ coniungere, vt Propheticum illud dictum impleatur: *Grauaabit animã suam, & corruet, & non adijciet vt resurgat,* quemadmodum & gigantes nõ resurrecturi dicuntur, nimirum ad cœlestis gloriæ statum, vel sicut Christus loquitur, in resurrectione iustorum. Vnde Psalmista quoq; canit: *Non resurgunt impij in iudicio: neq; peccatores in consilio iustorum.* Salomon ita dixit: *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes: & nomen impiorum putrescet.* Iohannes Apostolus eiusmodi mortem, qua nihil est detestabilius & magis horrèdum, mortem secundam & stagnum ignis appellat, in quod missi, quia nulla est in inferno redemptio, die ac nocte in sæcula sæculorum cruciabuntur. Proinde si sapio, hos perpetuæ morti destinatos ac traditos, mihi sapè proponam, in quibus metuenda Dei iustitia mirum in modum elucet, ita vt expectatio Diuini iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios, terribilis à Paulo dicatur, maximè cum peccatum vnum mortiferum perpetua pœna & inextinguibili gehenna vindicetur. Qui enim dixerit fratri suo Fatue, reus

Luc. 16.

Luc. 12.

Matth. 10.

Iohan. 5.

Matth. 24.

Isaïæ 24.
& 26.Luc. 14.
Psalm. 1.
Prou. 11.
& 10.Apocal. 2.
20. & 21.

Hebr. 10.

Matth. 5.

Rom. 1.

Ecclef. 7.
Philip. 2.Psal. 6.
& 37.Genn. c. 3.
de purgator.

Iohan. 11.

Matth. 9.

1. Cor. 15.
1. Thefl. 4.
3 Reg. 2.
11. 14. & 15.Lib. de mor-
talitat.

erit gehennæ ignis, vt futurus ipse iudex nobis prædixit. Et Paulina vox est, morte dignos esse nõ solum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Eoq; magis nouissimorum ero memor, & sicut idem Paulus monet, cum metu & tremore meam salutem operabor, vana securitate & præsumptione reiecta, sæpèq; cum Propheta precabor: *Domine me in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripas me.* Quæ nam illa ira quæso, quis furor est Dei punientis damnatam animam, quæ nullo alio cibo alitur, quàm gemitibus, suspirijs & lacrymis amarissimis: nec effugere vnquam potest profundas tenebras, silentium altissimum, perpetuam tristitiam? Hanc verò damnatis creat resurrectionis futuræ expectatio, cum Christus iudex in tremendo illo die horribiliter orbi sese exhibebit, & ad sinistram partem locatos siue damnatos plectet stridore dentium, & igne simul ac dedecore sempiterno; vt Maximum autorem Græcum à Gennadio Scholario citatum sequamur.

SUPEREST & illud expendendum, cur Scriptura de mortuis agens, dormientes eos, ac mortem ipsam persæpè somnum appellet. Siquidem hoc etiam loco Christus de Lazaro discipulis loquitur: *Lazarus amicus noster dormit;* idq; nõ de somni dormitione, sed de morte illius dictum esse Iohannes admonet. Tum alibi, cum Iairi archisynagogi filia exhalasset animam, multiq; lamentarentur, reprehendens eos Dominus dixit, *Recedite; Non est enim mortua puella, sed dormit.* Neque solum Paulus, sed vetus etiam testamentum hunc loquendi morem obseruat, vt pro morte somnus, & pro defunctis dormientes accipiantur. Hac enim ratione Fideles ab Infidelibus rectius discernuntur, ac verè fideles insignem & solidam capiunt consolationē, præsertim cum pios amicos Christiano luctu prosequuntur. Etenim sicut præclare scripsit Cyprianus: Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur. Mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur. Mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit. Mori timeat, quem de seculo recedentem, perennibus pœnis æterna flamma torquet, Mori

timeat,

timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur.] Pessimè igitur cū illis agitur, qui Deo verè sunt mortui, quoniam à fide alieni, post mortē corporis, nullam animæ vitam vel desiderant vel expectant, quiq; iam sedentes in tenebris & vmbra mortis, & ab omni electorū societate seclusi, apud inferos hoc modo lamentantur: *Errauimus à via veritatis, & iustitia lumen non luxit nobis, & solius intelligentiæ non est ortus nobis.* Manet interim Scripturæ phrasis illa peculiaris, vt iusti cum fide & charitate decedentes è vita, dormire dicantur, quia mortem nō gustant æternam, ad gloriam certam resuscitandi, sicut qui dormit, excitari solet. Vnde Christus affirmat: *Si quis sermonem meum serauerit, mortem nō gustabit in æternum.* ac iterum: *Qui credit in me, non morietur in æternum.* Nam idem vitę princeps & auctor in optabilem quietem somnumq; dulcem suis dilectis conuertit mortem illorum, sicut Propheta cecinit. In huius rei testimonium Christus cum quibusdam defunctis tam clementer egit, vt quasi dormientes è somno illos resuscitaret, inquires: *Talitha cumi. Adolescens, tibi dico, Surge. Lazare veni foras.* Sed longè maior apparebit eius maiestas atque potentia, cū electos omnes, velut longo grauiq; sopore oppressos expergefaceret, vitæque restituet sempiternæ, vt suo etiam corpori clarissimo conformentur. Hoc enim est, quod ipse verbis illis promisit, *Veni hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, quodque in hodierno testatur Euangelio: Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet. & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternū.* Fuit mors quidem & ante Christi mortem Fidelibus horrida & formidabilis, sed de qua nunc pij omnes cū Apostolo testari possunt, *Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam possit subijcere sibi omnia.* Cur enim metuamus, ac potiùs non desideremus mortem, si verè Paulus idē affirmat: *Si credimus quòd IESVS mortuus est & resurrexit: ita & DEVS eos qui dormierunt, per*

Sapi. 5.

1. Thess. 4.

Iohan. 8.
& 11.

Psalm. 126.

Marc. 5.

Luc. 7.

Iohan. 11.

Iohan. 5.

Iohan. 11.

Philip. 3.

i. Theff. 4.
i. Cor. 15.

Apocal. 14.

Libro de
mortal.

I E S V M adducet cum eo. Oportet, inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem. & mortale hoc induere immortalitatem. Quare magnam & efficacem consolationem ex dicto illo Apostolico capiam: Beati mortui qui in Domino moriuntur, vt sanè proprium est piorum fidelium. His modò spe, ac deinde re ipsa beatis esse licet, vt tanquam emeriti milites, à labore ad requiem, à luctu ad gaudium, à certamine ad coronam, à terra in cœlum, & ex hoc tristi exilio ad patriam æternam à summo Deo vocentur ac eripiantur, vt hinc etiam peritè dixerit Cyprianus: Non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad cœlestis gratiæ dignitatem venire citiùs exoptet? Eapropter mihi cum vera fide pugnare videbor, si amicorum fidelium mortè acerbè deplorem, quando illi humanarum calamitatum terminū consecuti, & ad veram iucundamq; felicitatem ingressi sunt, vt de illorum decessu mihi gaudendum sit potius quàm lugendum. Nam in veræ sanctæq; fidei pace, & in Christo ipso obdormierunt, & quod maximi momenti loco ducendum est, à Christo summo capite, & eius corpore mystico se nunquam diuulserunt, aut diuulsi, cum Ecclesia Catholica se reconciliarunt, & in eius communione diem clauserunt extremum, suamq; obedientiam Catholico Sacramentorum vsu ad finem vsque comprobarunt.



DE HIS, QUI PERPERAM ET RECTE VTVNTVR DEFVNCTORUM Fidelium commemoratione.



VEMADMODVM ego Catholicorum causa lætabor, qui proposita hoc die memoria Fidelium vita functorum piè & conuenienter vtuntur, sicut postea exponemus: ita & aliorum dolebo vicem, qui præsens Ecclesiæ institutum aut repudiant prorsus, aut certè

quidem

quidem sine fructu vllō transmittunt. Et quoniam plura istorum sunt genera, primū huc spectant Sadducæi ac Epicurei, qui futuræ vitæ & resurrectionis mortuorum cura nulla tanguntur, sed vnâ cum impijs Christianos è vita migrantes, quasi pro mortuis, fœdis quæ cadaueribus ducunt, & tantū non illud cum Theocrito sibi sumere videntur: Non est spes vlla sepultis. Atque vtinam nunc Christianismus pauciores haberet Epicuri discipulos, qui diffidentes, ac de promissis Dei desperantes, quidquid tandem de Christo iactitant, verba illa Prophetica nobis tacitè insusurrare videntur: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multò amplius. Venite & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vanus est qui scruiit Deo: & quod emolumentum, quia custodiimus præcepta eius? Rectè autē Paulus contra eiusmodi Bacchi Veneris quæ mancipia nos præmuniuit, & aduersus Atheos omnes telum hoc aureum præbuit, Nemo vos seducat in anibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentia. Nolite ergo effici participes eorum. Nolite seduci. Corruptiuit mores bonos colloquia praua. Euigilate iusti, & nolite peccare. Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Deus non irridetur.

SE QVITVR iam alterum genus istorum, nullum ex hoc instituto fructum reportantium, qui tametsi vnâ cū Catholicis vitam venturi sæculi & resurrectionem carnis profiteantur, sicut Apostolico symbolo sumus edocti: tamē firmiter sibi persuasum habent, fidem sibi & alijs vnicum esse medium, per quod & viuentes hîc Deo placere, & mortui in Dei regno, vitæque illa sempiterna saluari debeant. Vrgent igitur & obiectant nobis illam Christi sententiam: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Nec aduertunt interim animum, Christum hîc loqui more suo de fide non qualibet, quoniam & Virgines fatuæ à sponso demum exclusæ, fide non caruerūt, sed de fide perfecta, siue vt in scholis vocant, formata, & quæ secundū Paulum, per charitatem efficaciter operatur, sine qua

Ecce insipientes impud.
1. ant.
Sadducæi
& Epicurei.

Matth. 22.

Isai. 22.

& 56.

Sapi. 2.

Malach. 3.

Ephes. 5.

1. Cor. 15.

Galat. 6.

2.
1. Cor. 15.

Iohan. 11.

Matth. 25.

Galat. 5.

Iohan. 3.
Marc. 16.
Hebr. 11.

1. Cor. 13.

1. Iohan. 3.

In Euang.
Iohannis.

Matth. 25.
Lib. 21 de
ciuit. Dei c.
25 & 26. tñ
in enchirid.
c. 68.

1. Cor. 6.

Enchiridij
c. 65. & 66.
tum lib. 21.
de ciuitat.
Dei. cap. 22.
& 27.

nulli hominum, siue uiuo, siue mortuo peccata remitti, & nec animæ, nec corpori cuiusquam in alio sæculo bene esse posse prorsus in confesso est. Si quidem fidei & charitatis expers, secundum animam & corpus damnationi certæ manet obnoxius, uti apertis Christi verbis cõuinci facile potest. Cæterum quòd ob solam fidem Christi meritum & gratia cuiquã uiuo vel mortuo applicetur, eaque fides tantum sit fiducia diuinæ misericordiæ propter Christum apprehensæ, id nullis Euangelij verbis est consentaneum, & partim Apostoli dicto repugnat, cum de se ipso testatur: *Si habuero omnem fidem, charitatẽ autem non habuero: nihil sum*; vel ut postea loquitur, *nihil mihi prodest*. partim illo Iohannis loco refellitur, *Qui non diligit, manet in morte*; vbicunque demum ille siue in præsentis, siue in futuro sæculo fidem habeat sine charitate. Quapropter Augustinus verba Christi superius adducta sic interpretatur, ut ad illos pertineant, qui audientes Euangelium crediderunt simul & obtemperârunt: hos enim verè fideles docet, secundum animam viuere & iustificari, qui & iusti ad vitam æternam duce Christo transeant. *Iusti* enim post iudicata & probata eorum beneficia, sicut alibi legimus, *ibunt in vitam æternam*. Tum idẽ Augustinus illos perspicuè coarguit, qui licet sceleratè & in magnis criminibus uiuant, tamẽ se propter Christi fidem per ignem purgatorij saluari posse certò definiunt. His ille inter alia Paulinum opponit testimonium: *Neg. fornicarij, neg. idolis seruientes, neg. adulteri, neg. molles, neg. masculorum cõcubitores, neg. fures, neg. auari, neg. ebriosi, neg. maledici, neg. rapaces regnũ Dei possidebunt*. Quid quòd illos etiam à purgatorijs pœnis excludit, & excludi vult Augustinus, qui non modò Catholicam fidem ad vitæ finem vsq; conseruant integram, sed præterea confidunt, se quamuis improbè ac flagitiosè viuentes, ob eleemosynas piè collatas id consecuturos, ut per ignem purgatorij aliquãdo saluentur. Monet autem ille & probat, eleemosynæ genus quamlibet sit laudabile, nulli tamen Catholico salutem adferre, nisi alia etiam in Dei verbo præscripta, sicut in Deum charitas, & erga seipsum pœnitentia, ac erga om-

nes iustis

nes iustitia, ad iustificandū & saluandū hominem adiungantur. Optimum autem eleemosynæ genus est, quod illa oratione depingit Ecclesiasticus, *Miserere animæ tuæ placēs Deo, & congrega cor tuum in sanctitate.*

Eccles. 30.

QVOD si tam seuerè cū Catholicis agitur, vt plerūque salua etiam fide, & exhibita proximo dilectione, purgatorias pœnas nequeant euadere, quemadmodum Augustinus multis verbis etuincit; quantò deterior illorum causa est, qui à Catholica fide ac vnione alieni, tantū non rident & contemnunt omnem Ecclesiæ fidem & autoritatem in purgatorio astruendo, & præterea quæcunque suffragia piè defunctis impendantur, ea pro nihilo ducunt, ac in Orthodoxis accusant atque damnant: Nullo enim modo adduci possunt, vt credat locum vllum extare vel carcerem Credientibus destinatum, in quo peccata eorum in hac vita non satis expiata, igne quodā purgationis post hanc vitam expurgentur, vt puri & immaculati illi ad cœlestem patriam transferantur. Mordicū itidem tuentur errorem quem ab hæretico Aërio traditum acceperunt, multiq̄ue Patres euerterunt, nimirum orationes & oblationes quæ pro defunctis fiunt in Ecclesia, vanas ac inanes esse ducendas. Cuiuscemodi non Christiani, sed Aëriani cum præsentī Ecclesiæ instituto ex diametro pugnant, atq; vt maxime suas pro defunctis preces funderent, oleum & operam omnem in precando perderent, secundū suam quidem fidē purgatorio cum suis socijs carituri, & paratam Hæreticis gehennam certo certius experturi. Stat enim Augustini firma & in verbo Dei fundata regula: Quisquis ab Ecclesia Catholica abfuerit, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi vnitate disunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Multum autem sanè ab Ecclesia Catholica & eius vnitate absunt, qui contra illius definitionem apertam in Concilio Florentino factam, hæc duo de animarum post mortem purgatione non recipiunt: alterū, verè pœnitentes, qui in DE I charitate discesserint, antequā dignis pœnitentiæ fructibus de commissis simul & omissis

*purgatorii solutio**Oblationes & preces
p. defunctis suffragia
lucrosæ.*

Ep. 152.

huc de misericordia purgationis post mortem sunt lanianda.

24.
 fatisfecerint, eorum animas purgatorijs pœnis post mortem purgari: alterum, vt illi à pœnis huiuscemodi leuentur, prodesse eis Fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à Fidelibus viuis pro defunctis Fidelibus fieri consueuerunt secundùm Ecclesiæ institutum, quemadmodum Iulianus Tolletanus Archiepiscopus. & Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus ritè notauerunt.

1.
 SED ENIM quandoquidem implacabiles & pertinaces aduersarij huc nos pertrahunt, illorum strophas & captiones, quibus imperitum vulgus more suo fascinant ac fallunt, non possumus non omninò præterire. Initiò simplicibus persuadere conantur, in sacris literis de Purgatorio nullam fieri mentionem, ideòque illud sub fidem non cadere. Quasi verò sit impium vel absurdum, sine scripto Dei verbo credere & confiteri, quòd Pater æternus solus ingenitus, Filius autem Dei Patri suo consubstantialis existat, duasq; Homo factus habeat voluntates, quòd insuper Spiritus sanctus verus Deus ex Patre Filioque procedat, ac Deus ipse natura sit vnus, trinus autem in personis. Confitemur itidem, Christum ad inferos descendisse, & inde priscos patres liberasse, qui & septem instituerit Sacramenta, primumque locum baptismo dederit, & sine illo non saluet infantes morientes. At verò libet istis nobiscum illis armis dimicare, quibus iam olim Ariani & Nestoriani aduersus Catholicos pugnasse leguntur, ad solam Scripturæ literam prouocantes. Nostri verò sepè multumque probarunt, Euangelium non tantum scripto, sed etiam moribus & institutis sine vllò scripto receptis, Apostolorumq; sermone ac disciplina traditis, contineri, semperq; in Ecclesia illum Apostolicum valuisse canonè: *Fratres state, & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram*, sicut eundem locum Epiphanius, Chrysostomus ac Theophylactus interpretantur. Verum contendant isti, quantum velint de nomine Purgatorij, quod varijs quidè modis ac nominibus veteres designarunt. Gregorius Nazianzenus illud baptisma

Lib. 1. & 2.
 Prognost.
 Sectione 1.
 de purgator.

2. Theff. 2.

In Orat. de
 Epiphani.

postre-

postremum, Hieronymus carcerem, Augustinus ignem iam purgatorium, iam transitoriū, iam emendatorium vocat Nos de re ipsa conuenimus, idemq; sentimus quod Græcis Latinisque Patribus vsq; visum fuit, saluari nempe quosdam Fideles per ignē purgatorium, in quo animæ defunctorū probentur & repurgētur sicut aurum in confatorio, vt Theodoretū verbis vtamur.

R V R S V S instant isti ac nobis obiectant, in verbo DE I duo duntaxat animarum receptacula inueniri; cœlum bonis, & infernum improbis diuinitus esse deputatum: non igitur vllum remanere purgatorium, in quo animæ Fidelium asseruentur, ac sua peccata expient. Verū Catholicī de duobus his receptaculis nunquam dubitauerunt, sed fidem certam etiamnum profirētur: purgatorium verò cum cœlo ipso, tanquam propria Electorum sede, ita coniungat, vt eos in purgatorio detineri asserant, qui à residuis post mortem maculis ad tempus expurgantur, vt viam & transitum ad cœlestem patriam compleant. Post extremum verò iudicij diem, quando supremus iudex Christus cunctis Adæ filijs in corpore & anima præmia & pœnas distribuerit, tum boni & mali non alij quàm duobus illis receptaculis concludentur, Christo nimirum id quod apud Iohannem promisit, irreuocabiliter efficiente. *Procedent, inquit, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Nos interim cū Augustino sentimus, & clarè fatemur: Temporarias pœnas alij in hac vita tantum, alij post mortem, alij & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimumq; patiuntur.] ac rursus cum eodē dicimus; Purgatorias pœnas nullas futuras opinandum est, nisi ante illud vltimum tremendumq; iudicium.] Proinde sapienter monet Bernardus, illos nobis esse vitandos, qui ignem purgatorium post mortem negant, sed animam à corpore solutam, statim ad requiem vel damnationem transire contendunt. Atque hac ratione profitemur & nos, nō post, sed ante iudicium illud extremum, quo summa rerū omnium futura est cōmutatio, & mortui omnes

In c. 5. Matt.
Serm. 41. de
Sanct.

In 1. Cor. 3.

Z

Iohan. 5.

Lib. de ci-
uit. Dei. 21.
cap. 3.

Eiusd. lib.
cap. 16.

Serm. 66.
super Can-
tica.

1. Cor. 15.

a In 1. epist.
ad Corin.
cap. 3.
b Libro 4.
Dialog. cap.
39.
c. In oratio.
pre mortu.
Lib de ec-
clesia hier-
ar. cap 7.

Matth. 16.
& 25.

Iohan. 5.

Luc. 16.

Luc. 16.

Luc. 12.

Luc. 23.
Iohan. 5.

surgent incorrupti; durare purgatorium; idque sub fidem necessariam cadere, non solum ^a Anselmus, sed & ^b Gregorius Magnus perspicue tradunt. Vnde scripsit etiam ^c Gregorius Nyssenus: Non poterit a corpore egressus Diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit. Tum qui Apostolorum aetatem attingit Dionysius, uisitatū fuisse scribit morem Sacerdotum, qui pro Defunctis Diuinā orarent clementiam; ut peccata per humanam infirmitatem admissa illis remitterentur; illique ad lucem transferretur aeternam.

NE QVE sine fraude isti congerunt varia Scripturæ loca, quæ ad iudicium Christi generale spectant, ut aliud particulare quod vocant, è medio tollant ac supprimant: sic enim fucum faciunt imperitis, veri speciem simulantes. Scimus utiq; Christum in fine mundi venturum cum suis Angelis, ut mortales omnes secundum carnem resuscitados ad extremum iudicet, & unicuique reddat secundum opera sua. Scimus itidē & affirmamus, omne iudicium tam particulare quam generale eidem Christo competere, qui sit perpetuus uiuorum ac mortuorū dominator, & quotidie ad suum tribunal aliquos iudicandos uocet, à singulis factorū rationem exigens, perinde ac si dicat, Redde rationem villicationis tuæ. Nec iudicat ille tantum animas exutas corpore, sed etiam suum cuiq; præmium vel supplicium assignat, supplicium inquam luendum aut in purgatorio temporale, aut apud inferos perpetuum. De hoc iudicio particulari Christus uerba facit, cum narrat historiam de diuite epulone & mendico Lazaro, suam utriusque remunerationem attribuens; sicut & alium introducit diuitem, cui præter omnem expectationem dixit vindex iniquitatum **DEVS**: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*, nimirum ut iudicatus, meritis stultitiæ tuæ pœnas exoluas. Nec est dissimilis illa promissio, quam Christus latroni fecit pœnitenti, non generale, sed particulare iudicium illis uerbis designans: *Hodie mecum eris in paradiso. Pater enim omne iudicium dedit Filio* tum particulare, tum uniuersale. Ut hinc etiā Augustinus affirmet, re-

ctissimè & valdè salubriter credi, quòd animæ de corporibus
 exeuntes iudicentur, antequã veniant ad illud iudicium, quo
 eas oportet iam redditis corporibus iudicari. Adeò verum est
 quod Ecclesiasticus de hoc iudicio manifestè pronuntiat: *Fa-
 cile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias
 suas.* ac iterum: *In fine hominis deudatio operum illius.* Quam-
 obrem Augustinus infantes, qui mox baptizati moriuntur, si-
 cut & Martyres, quorum Cypriano teste, peccata omnia pas-
 sione ac morte purgantur, igne purgatorio liberat: alios verò
 Fideles adultos, qui cum leuibus peccatis ante iudicij diem
 decedunt, per pœnas temporarias purgari confirmat, quem
 admodum alibi quoque de illis ita censet: *Qui temporalibus
 pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium
 transibunt, de quo Apostolus inquit, Saluus eris, sic tamen quasi
 per ignem.*]

AD HÆC falluntur isti atq; fallunt alios, quòd pro suo
 arbitratu fingant ac tradant, Christum adeò facilem, benignũ
 ac propitium esse, vt culpam homini credenti remittens, pœ-
 nam simul omnem peccatis debitam aboleat, neq; pœnas si-
 ue in præsentis, siue in futuro sæculo exigat. Non enim animas
 uertere volunt, quod licet solus Christus pro nostris ac totius
 mundi peccatis, vt Iohannes asserit, factus sit propitiatio, isq;
 culpam & pœnam æternam pœnitentibus auferat: tamen hoc
 nihil impedire, quò minus pro pœna æterna temporariã po-
 stulet ac infligat. Remittit Deus peccata, sed vt in virga etiã &
 verberibus peccata ipsa visitet, (Propheticis verbis vtimur)
 adeò quidem fortis & zelotes, siue vt alij legunt, zelotypus,
 vt iniquitatem patrum super filios visitet ac vindicet in tertiã
 & quartam vsque generationem. Idem quippe Deus, qui pœ-
 nam æternam pœnitenti pro sua ingenti remittit clementia,
 etiam pro sua iustitia plerunque ab illo pœnam requirit tem-
 poralem subeundam, ne, si malũ prorsus impunitum maneat,
 is qui lapsus est, facilius in peccatum relabatur, & summa Dei
 bonitati & gratia sæpius abutatur. Cõfirmat hoc Augustinus
 inquitens: *Productior est pœna quàm culpa, ne parua putare-*

Lib. 2. de o-
 rigine anim.
 cap. 4.

Eccles. 11.

Lib. 21. de
 ciuit. c. 16.
 Lib. 4. epist.
 ep. 2.

Homil. 16.
 ex lib. 50.
 homil.
 1. Cor. 3.

4.

1. Iohan. 2.

Psal. 88.
 Exod. 20.

Tracta. 124.
 in Iohana.

Eccles. 21.
& 5.
1. Cor. 11.
Inchiridij
cap. 66.

Iob. 9.

Philip. 2.
Daniel 4.
Matth. 3.
2. Cor. 7.

Rom. 6.
& 8.
2 Reg. 12.
Psalm. 50.

Ephes. 5.
Apocal. 21.
Psalm. 37.

tur culpa, si cum illa finiretur & pœna.] Tum iterum: Temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem ad damnationē sempiternam non detinet culpa. Vnde toties Prophetæ & Patres inculcant, vt ad placandum Deum exercitijs pœnitentiæ & bonorum operum incumbamus, ac reatum pœnæ peccatis debitæ studio quodam relaxemus. Nam & Scriptura eum qui D E O est reconciliatus hortatur: *Fili peccasti, ne adijcias iterum, & de pristinis deprecare vt tibi dimittantur. De propitiatione peccato noli esse sine metu. Si nos ipsos diiudicaremus, à Domino non iudicaremur.* Quam Apostoli sententiam Augustinus (huius enim autoritate libenter vtimur) ad redemptionem pœnæ temporalis, quæ iudicio diuino post hanc quoq; vitam debetur, disertè accommodat. Nec est ignota iusti hominis confessio illa, *Verebar omnia opera mea, sciens quòd* (in vtroq; seculo) *non parceres delinquēti.* Præterimus alios Scripturę locos, quibus monentur & iubentur Credentes, cum metu & tremore suam operari salutem, peccata sua elemosynis redimere, se ipsos ab omni carnis & spiritus inquinamento mundare, nimirum vt magis magisque D E V M sibi placatum & reconciliatum habeant. Certè qui baptizantur, licet originalis peccati reatu liberentur, siue infantes, siue adulti fuerint, tamen multas & graues remissi peccati reliquias vsq; ad mortem ferre coguntur, & cum ipso concupiscentiæ fomite luctam irreconciliabilem ferant necesse est. Non satis fuit Prophetæ Dauid, quòd audiret, adulterij peccatum sibi à D E O esse remissum, sed sollicitè rogauit, vt ab iniquitate amplius lauaretur, & à peccato magis mundaretur: quanquam nesci quidem debitas peccato pœnas effugere potuit, sicut illi per Nathan prædixerat Deus. Neque tantum in viuētib; verum etiam in vita functis hoc euenire cernimus, vt cicatrices quædam ac maculæ per ignem purgandæ maneant, ac pœnæ in hoc sæculo nõ expiatę, ad tempus luantur, priusquam ad Ecclesiam illam, quæ est sine macula & ruga, nec aliquid coinquinatum admittit, liceat peruenire. Vnde Augustinus cum verba illa Dauidica tractat, *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua*

corripias

corripas me, sic locum interpretatur: In hac vita purgas me, vt in æternum non damnes, & post hanc vitam seuerè punias: sed in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus.] Huc præterea refert illa verba Prophetica de Deo dicta: *Ipse quasi ignis conflagans, & quasi herba fullonum, & sedebit quasi conflagans & emundans argentū: & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* Et certè nisi peccata quadam, & debitæ his pœnæ in futuro sæculo remitterentur, nõ assereret in Euangelio Christus, quædam crimina tant atrocia esse & inexpiabilia, vt neque in hoc, neq; in futuro sæculo cõdonentur. In qua sententia datur intelligi, sicut Gregorius magnus loquitur, quædam culpas in hoc sæculo, quædam verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.] Neq; dissentit præter ^a Ambrosium & ^b Augustinum martyr, cyprianus. Rursus ad purgatorium retulere Patres, quod Christus de carcere differens inquit: *d Nõ exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*: hoc est, vt exponit Hieronymus: ^e Non egredieris de carcere, donec etiã minuta peccata persoluas.] Ad eundem serè modũ ^f Origenes, ^g Ambrosius, ^h Gregorius & ⁱ Bernardus illa verba Christi declarât. Clariora verò sunt, quæ scribit Paulus ad Corinthios, & quibus Græci Latiniq; Patres frequenter vtuntur, vt confirment pœnam ignis purgatoriam ac temporalem, quæ plerisq; fidelibus Deum hîc perfectè non diligentibus, post mortem subeunda referuetur. Testatur enim idem Paulus, quòd dies iudicij diuini siue generalis, siue singularis, futurus sit iudex omnium operum, quæ à nobis in terra geruntur, quandoquidem quisq; in igne, id est, secreto & exacto diuini iudicij examine sit manifestandus. Indicat præterea, nõ impunè abiturum esse credentibus, quî super Christum, Christiq; fidem, verũ nempe salutis humanæ fundamentum, ligna, scenum & stipulam, id est, leuiora peccata superædificauerunt, cùm aurum, argentũ, lapidesq; pretiosos, hoc est, actiones pias & opera bona superstruere debuerint: hos igitur per ignem demũ saluos fore

Lib. 21. de ciuit. Dei. c. 24.
Malach 3.

Lib. 4. Dialog. c. 39.

^a In Lucam.
^b Lib. 21. de ciuit. Dei. cap. 23.
^c Epist. 52. ad Antonian.
^d Matth. 5.
^e In cap. 5. Matth.
^f In epist. ad Rom.
^g In 12. cap. Lucæ.
^h Lib. 4. Dialog. cap. 39.
ⁱ Serm. de obitu Humber.
1. Cor. 3.

conclu-

In Enchi-
rid. cap. 67.
& 68.
Lib. de fide
& operi. c.
15. & In Psal.
80. & Serm.
41. de Sau-
ctis.

concludit. Ac sæpè quidem eundem Pauli locum repetit Augustinus, inter alia scribens, Illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Jac rursus: Quicquid de istis (minutis peccatis) à nobis redemptum nõ fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus, quia in igne purgabitur.] In eundem sensum planè conspirant Origenes, Theodoretus, Oecumenius, vt Latinos interim Patres Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Sedulium & Gregoriũ missos faciamus. Volens prætereo alia Scripturæ testimonia, quæ ad veritatem purgatorij adstruendam huc possent adferri, adeoq; iampridem à præclaris Theologis in medium allata sunt. Sed nos actum agere nolumus, & facitè prouidemus, eos quibus iam dicta loca non satisfaciunt, surdas nobis aures præbituros, si plura id genus loca & Synodorum decreta congeramus.

Ex quibus omnibus non obscure constat præcipuum caput Aduersariorum vanum esse phantasma, quo persuadere vulgo nituntur, omnia peccata per mortem aboleri his qui moriuntur cū fide, & quidē peccata simul & pœnas eorū meritas omnes auferri, vt nulla sit opus satisfactione, nullo igne purgatorio, nullis viuentium suffragijs vel precibus aut oblationibus. Pugnāt profectò hæc prorsus cum ea sententia, quã præcipuus nostri temporis Hæresiarcha defendit, cum in publica disputatione Lipsiæ habita sponte profiteretur: Ego qui credo fortiter, immò ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor, in Scripturis de eo fieri mentionem. Nec desunt alij ex Aduersarijs, qui tametsi multa cōtra purgatorium velut inuentum Papisticum garriant, tamen veritate & historiarum fide coacti, tandē apertè fatentur, ante mille & trecentos annos vsu receptum fuisse, vt pro defunctis in Ecclesia fierent preces. Quòd si inuentum hoc est Papisticum, proferant si possint, vel Pontificem, vel Episcopum, vel Synodū, vel Canonem siue Græcæ siue Latinæ Ecclesiæ, qui nobis purgatorium primùm inuexerit, ac preces pro defunctis offerre

docue-

docuerit Orthodoxos. Nos Apostolorum doctrinam & traditionem illis opponimus, & eam dilucidè confirmamus ex Chrysoftomo, Epiphanio, Damasceno, immò etiam ex ipsis maximorum Apostolorum Petri & Pauli discipulis Clemente ac Dionysio, quemadmodum suo loco demonstramus.

CAETERVM vt hoc argumentum per se copiosum & amplum nonnihil contrahamus, duo duntaxat adiungemus: alterum de triplici genere seu discrimine morientium Christianorum: sic enim superiora luculentius intelligentur: alterum, quas ob causas deceat Catholicos, defunctis Fidelibus operam dare, ijs q; iuxta receptum Ecclesiæ morem optulari. Sunt ex morientibus alij, vt breuiter dicam, valdè boni, alij valdè mali, reliqui mediocriter boni, & mediocriter mali, quemadmodum ex Augustino etiam conuinci facillè potest. Valdè boni sunt infantes, quos planè innocentes mors à baptismo statim extinguit, & Spiritu sancto repleti Apostoli, tum eximia Christi charitate flagrantes Martyres. His adiungendi sunt, quibus vel Scriptura, vel Ecclesia veræ sanctitatis titulum ac testimonium publicum præbet; ac demum qui admissa sua crimina singulari charitate vel perfecta pœnitentia hinc diluerunt. Non enim temerè scripsit Gregorius magnus: Peccator statim post mortem in vitam recipitur, si tantùm amoris ignem recipit in conuersione, qui cōsumere in anima possit omnem congestam animi rubiginem. Atq; hoc dictum ille probat Magdalenaë diligentis ac pœnitentis exemplo, de qua Christus ipse testatur, *Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum.* Constat ergo de his omnibus quos diximus, quòd cum igne purgatorio nihil cōmune habeant, nostrisq; precibus non indigeant, quoniam in illis nihil superest expurgandũ, quorum animæ à terris statim in cœlos euolant, & qui suis nos precibus adiuuare possunt. De his ipsis meritò dicitur. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati meriti, q; in dno morantur.*

ALII verò valde mali moriuntur, quales Iohannes recenset in Apocalypsi, vt in creduli, execrati, homicidæ, forni-

catores,

*Morientes sunt
in plano.*

*1
Valde boni.*

1 infans.

Enchirid.
cap. 110.

2 apostoli.

3 martyres.

4. Ab ecclesia cum omni salute

5. vera pœnitentia.

6. pœnitentia.

In 1. librum
Reg. c. 3.

Luc. 7.

Psal. 115.

Matth. 5.

1. 2. 3. 4.

Valde mali.

Apocal. 21.

5. 6. 7.
8.

1. Cor. 5.

Iohan. 5.

Lib. cont.
Nouatian.

Serm. 34. de
verbis A-
post.

Iohan. 15.

1. Tim. 1.
1. Cor. 5.

3.
medu[m] infir[mi] Com
Amali.

catores, venefici, idololatræ, & loquentes mendacium. Eiusdem farinae sunt, quotquot in aliquo lethali crimine scientes ac volentes moriuntur, præsertim qui sunt foris, vt Apostolus loquitur, nullamq; cum vera Ecclesia retinent communionem. In hos potissimum quadrat, quod à Iohanne Apostolo scriptum accepimus. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.* Loquitur autem de peccatis manentibus, vt Pacianus appellat, cum quis in scelerata mentis perversitate hanc vitam absoluit. Atque huc spectat quod Augustinus prudenter monet: *Qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hinc essent, pignore caruerunt.* Vnde colligi facile potest ac debet, nihil istis apud Christianos morientibus esse infelicius, qui ob avertam vitæ turpitudinem, vel propter publicam Ecclesiæ censuram id meruerunt, vt Christi meritis, & Fidelium suffragiis, omniq; communiōne Sanctorum destituantur, quorum & certa est damnatio, vt pro illis velut præcis à vera vite palmittibus, ac potestati Satanae traditis, nõ sit in hac vita precandũ.

SE QUITVR vltimum genus morientium, quod ad præsens institutum maximè pertinet, ac mediocriter bonos & mediocriter malos suos ambitu comprehendit. Hi quoniã in charitate migrârunt à corpore, nec plenam tamen egerunt in vita pœnitentiam, pro leuioribus delictis non leues in purgatorio pœnas dependunt, vt iustitiæ diuinæ faciant sãtis. Pro his certè precatur, & precãdum esse docet Ecclesia, vt ipsis in Christo quiescentibus quos adhuc peccatorum pœnæ constringunt, locus refrigerij, lucis & pacis ex Dei gratia per Christum tribuatur. Et quoniam incertũ est, ac difficulter admodũ cõstitui potest, qui nam cũ fide ac pœnitentia debita morientes, ad purgatorium à Deo mittantur, nihil ego cõsultius esse ducam, quàm eiusmodi morientes velut purgatorij pœnis obnoxios, Domino commendare, ac simul inter supplicandũ spem & me tum cõiungere. Sperabo enim, infinitã Dei bonitatem tantò facilius atq; clementiùs æternæ illorum saluti af-

futuram,

futuram, quantò clariora extant documenta conseruatæ ab illis per omnia fidei, perfectæque ad Deum conuersionis ac pœnitentiæ ante mortem transactæ, quoniam illam Petri obseruârunt sententiam, vt satagerent per opera bona certam suam facere vocationem & electionem. Sed & metum mihi aliquem iniiciet incredibilis Dei summi equitas ac iustitia formidabilis considerata, quandoquidem scrutatur ille Ierusalem in lucernis, vt Sophonias loquitur, & iudicat insuper iustitias, & siue grauiora, siue leuiora hominum delicta longè seuerius in altero seculo, quàm in præsentì vindicat, nullis que defunctis suum communicat regnum, nisi velut in igne probatis ac expurgatis. Huc enim spectant illa Scripturæ testimonia, quæ vtinam sapiùs à nobis ponderarentur: Sunt iusti atq. sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrù amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Cuncta quæ sunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato (vel vt alij legunt, abscondito) siue bonum, siue malum sit. Iudicia Dei abyssus multa. Non intres in iudicium cū seruo tuo. Quàm angusta porta, & arcta, via est quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt vocati pauci verò electi. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Per gratiam seruiamus placentes Deo cū metu & reuerentia. Etenim DEVS noster ignis consumens est. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Terribilis est quedam expectatio iudicij, & ignis emulatio. Non intrabit in eam (cœlestem Ierusalem) aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, vt id genus cætera præteream. Quotusquisque nunc obsecro, manet ac laborat in vinea, vt strenuum agat vltique operarium, cui promissum denarium reddat procurator? Quàm pauci benè parati decedunt, vt pulsanti ostium hero

2. Petr. 1.

Sophon. 1.
& Psal. 54.Eccles. 9.
& 12.Psal. 35.
& 142.
Matth. 7.
& 18.

Matth. 20.

Mart. 10.
1. Petr. 4.Hebr. 12.
& 10.Apocal. 21.
Psal. 14.

Matth. 20.

Luc. 12.

Matth. 22.

Thren. 4.

Psalm. 105.

Luc. 12.

Luc. 16.

Matth. 16.

2. Cor. 5.

Matth. 7.

Lib. 2. de

Genes. cōt.

Manich.

cap. 20.

Genes. 3.

Serm. 41.

de Sanctis.

statim aperiant, & velut serui boni, fideles ac vigilantes ampla mercede donentur? Quam verò multi ad cœnā vltimam inuitati, sese conformāt illi pannoso, qui veste nuptiali seuerè prorsus destitutus, à regio conuiuio reijcitur, & dirè torquendus lictoribus traditur? Quod si præsentem hominum, & quidem Catholicorum vitam inspiciamus, an non meritò cum Ieremia ploremus, ac repetamus illud: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Proh dolor, à veterum pietate passim longè defleximus, vt maiorum religionem, iustitiam, temperantiam, castitatem, obedientiam, integritatem, omnēque veteris pietatis formam atque disciplinam propemòdum amisisse videamur. *Commixti inter gentes nouatorum, didicimus opera eorum*, vt iam pro Evangelica Libertate carnalem licentiam impunè sectemur, nosque in horto Ecclesiæ, nō sanè florescentes, sed tanquam steriles arbores præbeamus. Tantum abest, vt ex hac vita vocati, ad vocantem Dominum expedite cum succinctis lumbis & ardentibus lucernis proficiscamur, ac parati simus de concredita nobis villicatione rationem illi iudicāti reddere, qui vniciuique, secundum eius opera, dicta, cogitata certò certius remunerabitur. Quamobrem tantò grauiores purgatorij pœnas in futuro seculo iure luimus, quantò nunc minùs de cauendis & redimendis peccatis solliciti sumus, neque vel maiorum, vel minorū vitiorum pœnas de nobis ipsis sumimus. Etenim, si Superis placet, tametsi per viam illā spatiosam, vti Christus vocat, gradiamur, nihilominus Deū placatum, & securum in cœlos transitum nobis fidenter pollicemur: neque mentis aperimus oculos, vt Augustini memorabilem sententiam in animum reuocemus. *Qui agrum suum, inquit, non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnā æternam.* Vbi non obscure alludit ad illa Dei verba: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* De quo purgationis igne alibi pronuntiat: Ille purgatorius ignis durior erit,

quam

quàm quidquid potest in hoc seculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.] Tum ne ignoremus, quid nobis factò sit opus, tandem ita concludit: Ideo totis viribus vnusquisq; laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere.] Affirmat & Beda, hunc igne pœnis latronum & Martyrum esse grauiorem, per quã peccata venialia enormiora & leuiora, velut sordes quẽdã, exurãtur, vt in dextera coronãdi, cœlesti tandẽ gloria digni inueniãtur. Laudabo igitur Augustini sententiam, qui superiora tria morientium genera tam peritẽ quàm succinctẽ complectens, ita scripsit: Cũ sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; elemosynarũ pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; viuorum consolationes sunt.]

RELIVVM est, rationes aliquot in medium adferre, quibus ego excitatus, me promptiorem & alacriorem præbeam ad iuuãdos eiusmodi mortuos, qui purgatorijs pœnis, vt dictum est, certissimẽ subiiciuntur. Est sanẽ hoc opus ac officium fidei, spei, charitatis atque pietatis Christianæ propriũ, veræq; prudentiæ testimonium præbet, & idcirco cum primis frugiferum, laude dignũ, summoq; DEO gratum debet existimari. Opus inquam est fidei orthodoxæ, defunctis Fidelibus ferre suppetias, tantòq; pluris faciendum, quantò magis inuisum & exosum illud habent Aëriani, Petrobrusiani, alijq; Sectarij, ab omni Christiana pietate, quæ vel Sanctis in cœlo, vel animabus in purgatorio debetur, alieni: vsitatum autem & familiare semper Ecclesiæ Catholicæ, firmamento & columnæ veritatis, quæ tot sæculis docendo, precando, offerendo, cantando, multaq; religionis officia exercendo, suam erga defunctos benevolentiam & humanitatem clarissimẽ comprobant. Opus est deinde hoc, singularis, veræq; fiducia, in illa Christi promissione fundatum, qua dictũ est, Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, & acci-

Ibid.

In Psalms.
37.Enchirid.
cap. 110.

NB.

pro defunctis regnum
& offerunt Opus
Fidei.

1. Tim. 3.

2. Spiriti & fidei
sua singulari

Iohan. 16.

pietis: ut gaudium vestrum sit plenum. Plenum autem hoc gaudium credentibus constare non posset, si de suis precibus pro defunctis apud Deum valituris diffiderent, & putarent, charissimos amicos, qui per ignem saluandi sunt, sub seuera Dei virga, ac in grauissimis angoribus ita detineri, vt inde nulla ratione, nullisq; vel precibus, vel praesidijs erui, atq; in caelum transferri possent. Etenim firmiter statuendum est, piorum ac totius Ecclesiae preces, siue pro viuus, siue pro defunctis effusas, ingentem habere virtutem, & in proximis pro quibus fiunt, per Christum efficaciter operari. Vnde scribit Epiphanius: *O-*
rantes spem habemus pro fratribus mortuis quasi adhuc pe-
regrinantibus, quod nostrae videlicet preces ipsis exitis cor-
pore, auxilio esse possint.] Est praeterea hoc opus Christianae
charitati consentaneum, quando ex animo maeremus cum maerentibus, qui maerendi causam habent maximam, & flemus
cum flentibus in Christo fratribus atq; sororibus suam acer-
bam sortem deplorantibus, vt qui velut ex tetro carcere nos
respicere, & in saeuissimis doloribus nostras postulare operas
videntur, perinde ac si dicant, Misere mini nostri, misere mini
nostri saltem vos iam olim amici, nobisq; singulari familiari-
tate coniuncti, quia manus Domini nos tetigit. Memineritis
Apostolicae sententiae: Si quid patitur vnum membrum, compa-
tiuntur omnia membra, quae pro se inuicem debet esse sollicita;
suamque charitatem non solis amicis, sed etiam hostibus re-
ipsa declarare. Hinc scriptum est: Omne animal diligit sibi simile,
sic & omnis homo proximum sibi. Nouit iustus iumentorum suorum
animas; viscera autem impiorum crudelia. Iudicium vero sine mi-
sericordia illi, qui non fecerit misericordiam. Quid multis? Mortuo
non prohibeas gratiam; inquit ille, gratiam inquam, fraternae comiserationis ac sincerae dilectionis, quae nunquam excidit, & multitudinem peccatorum operit, semperq; patiens ac benigna esse consuevit. Est sane miseranda illorum conditio, qui purgatorij pœnis traditi, non modo visione carent diuina, vt summo bono, cuius desiderio flagrant ardenti, frui nequeant, sed etiam pœna sensus, sicut in scholis vocant, grauissimè puniuntur.

Heres. 75
cont. Aeri.

3.
Christus in
vultu
Rom. 12.

Iob. 19.

1. Cor. 12.
Rom. 12.

Matth. 5.
Eccles. 13.

Prou. 12.

Iacob. 2.
Eccles. 7.
1. Petr. 4.
1. Cor. 13.

tur, etsi quo pacto ignis ille animas torqueat, difficile sit explicatu. Natura certè ipsa id quodammodò à nobis Catholica pietate præditis efflagitat, vt libenter iuuandis operam demus spiritibus mortuorū, qui cū seipsum iuuare & mereri aliquid non possint, viuorum suffragijs atq; præsijs indigent vehementer, quòd in funesta illa nocte versentur, de qua dixit Dominus, *Venit nox, quando nemo potest operari.* Quarè patiuntur potiùs quàm agunt, tantò quidem grauiùs igne purgationis in illorum animas delæuente, quantò magis in carne terrena hæc dilexerunt bona, quantòque minùs contractas in hac vita sordes expiare curarunt. Si quippe *nosmetipsos diiudicemus, non vtiq; iudicemur. Quæ seminauerit homo: hæc & metet. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes,* hortante Apostolo Paulo.

AD HÆC tantò præstantius & homine Christiano dignius opus hoc existimandum est, quantò illud propius ad Christi sanctam imitationem accedit, eiusq; membra suo capiti efficit conformiora. Nec enim obscurū est, quòd Redemptor noster incredibili amore victus, vel vnus defuncti Lazari causa fleuerit, orauerit, laborarit atq; clamarit. Qui præterea in cruce pendens, pro defunctis nõ minùs quàm viuis preces, supplicationes & lacrymas fudit, seq; totum æterno Patri hostiam & oblationem in odorem suauitatis obtulit, quiq; cum primùm exhalauit animã, ad mortuos amicos in limbo consolandos ac liberandos totum sese conuertit, vt è captiuis liberos, & ex tenebris eductos, perpetuæ lucis, cœlestisq; gloriæ participes redderet, iuxta illud quod à Propheta scriptum est, *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Hoc enim illustri exemplo quasi prælusit, ac nos docuit Christus, quid à suis electis fieri vellet, vt & ipsi mortuorum, quos carcer aut ignis detinet purgatorius, curam peculiarem habeant, eorumque animas quibusdam pietatis impensis officijs cõsolentur, maximè vt suos animos peccatorum funibus ac pœnis ad tēpus adstrictos, ex charitate non ficta redimere, & cū primū possunt, ad exoptatum cœli gaudium votis ardentibus, pijsq;

Iohan. 9.

1. Cor. 11.
Galat. 6.

4.

Iohan. 11.
Hebr. 5.
Ephes. 5.Psalm 67.
Ephes. 4.

S.

operibus transferre conentur. Rursus opus hoc cum iustitia coniunctum est, quæ prohibet sanè, nos in obliuionem venire parentum, & familiarium de nobis præclarè meritorum, ac iubet prorsus, perpetuam quandam gratitudinem & obseruantiam præstare ijs, licet absentibus ac mortuis, à quibus ingentia beneficia sumus cõsecuti, qualicunq; demùm propinquitatis, amicitia, & familiaritatis nexu nobis in hac vita coniungerentur. Quapropter me iniquum ac verè ingratum esse putabo, si animas istorum, quibus multum debeo, diuinę gratiæ non studiosè commendem, ac pro æterna eorum salute curam non sustineam, cum & ipsi suum erga me amorè, cum possent olim, peramanter declarauerint, ac porrò declarare possint & velint, vt post soluta pœnarum vincula, pro me cõmunem Dominũ vicissim precentur, meq; pro charitate sua, sicut loquitur Christus, in æterna recipiant tabernacula. Nec rarò accidit, vt ex defunctis aliquem proximũ offenderimus, eiq; peccandi, & pro commissõ peccato pœnam in purgatorio aliquam tolerandi tribuerimus occasionem. Aequum est igitur, vt quoad eius fieri potest, cum hoc offenso fratre velut in gratiam redeamus, & reconciliati, amicam læso præstemus operam, tantòq; magis afflicto compatiamur, quantò est verisimilius, quòd præsentis illius cruciatus aliqua ex parte cummulauerimus.

Luc. 16.

6.

Ierem. 6.
Prou. 22.

DE MV' M hoc ipsum opus, prudentiæ non parua meretur adscribi, quoniam iuxta diuinum oraculum non sectamur deuia, sed in via bona & antiqua progredimur, ac præceptum à Salomone traditum obseruamus. *Ne transgrediaris*, ait, *terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Vbi patrum nomine illos maximè intelligam, qui velut selecta sancti Spiritus organa, Christum in se loquentem habuerunt, & præclaris quidem legibus ac institutis, veluti muris & septis, domũ Dei viuĩ Ecclesiam pro sua virili communiuerunt. Illos verò intra terminos ab hisce patribus præfixos atq; constitutos putabo consistere, qui velut per manus accepta illorum dicta, scripta & exempla retinent, ac sibi sedulò imitanda proponunt. Atqui in

confesso est, eiusmodi patres, cum orientalis tum occidentalis Ecclesiae lumina, vno velut ore testari, quod iure sit iam pridem damnatus Aërius vna cum suis asseclis, qui mortuos fideles viventium precibus atq; oblationibus per summam iniuriam fraudant, quiq; Apostolorum doctrinae & traditioni veluti per manus acceptae, sed & perpetuae Ecclesiae consuetudini atq; praxi impudenter contradicunt, planèq; mentiuntur, nullam inde vtilitatem ad ipsos mortuos peruenire. Qua de re, *a* Julianus Toletanus, *b* Iohannes Damascenus & *c* Gennadius Scholarius tot veterum sententias repetunt, vt plures id genus à nobis recenseri sit planè superuacaneum.

EODEM conspirant omnes Liturgiae sacrae scriptores, inter quos Basilius & Chrysostomus primas tenent. Quocirca insulsus planè ac stolidus iure censebor, si contèptis probatissimis Patribus, ac totius Ecclesiae cōsensu repudiato, cum damnatae memoriae Sectarijs, velim plus quàm oportet sapere, meq; ipsum segregem à communione sanctorum. Desipuit nempe Apostolorum princeps Petrus, qui, Clemente discipulo referente, docuit, pro defunctis exequias peragere, ac pro eis Deū orare. Errauit Dionysius Areopagita, qui vñtatos suo tempore in Ecclesia ritus exposuit, vt pro defunctis iusta persoluantur. Vanus fuit Tertullianus, qui praesentis Ecclesiae nomine profiteri non dubitauit: Oblationes pro defunctis annua die facimus.] iubetq; viduam pro mariti defuncti anima refrigerium petere. Delirauit Ambrosius, qui pro Theodosio, Gratiano & Valentiniano Imperatoribus, sicut & pro Satyro fratre defuncto sacrificauit, ac peculiarem defunctorum commemorationem die tertio, septimo & trigésimo habendam esse monuit. Superstitiosa fuit Monica, tot modis laudata mater Augustini, quae in more habuit, sacrificio pro viuis & mortuis ad altare oblato quotidie interesse, quaeq; moritura petijt & impetrauit, vt hoc ipsum sacrificium pro se mortua per sacerdotes ad altare offerretur, sicut Augustinus ipse factū esse confirmat. Idem turpiter scilicet fuit hallucinatus, quod pro matre dicta sic orauerit, Dimitte Domine obsecro, dimitte, ne

a Libro 2.
Prognost.
b De his qui
cū fide ex-
cesserunt.
c Lib. contr.
Grzcos.

Rom. 12.

In Compē-
diolo.
De Eccles.
hierarch. c.
7. part. 3.
Lib. de co-
rona mili-
tis. & Lib.
de mono-
gamia.
In Orat fu-
nebr. & Su-
per obitu
fratr. ac De
fide resur-
rect.

August lib.
9. confessi.
c. 12. & 13.

Epist. 64.

Lib. de cura
pro mortu.
tu. agen.

Serm. 3. in
c. 1. ad Phi-
lipp. & Ho-
mil. 69. ad
p. p. Antio.

De verb.
Apost. c. 32.

XIII. Q.
II. c. Ani-
mæ.

intres cum ea in iudicium.] quòd q; pro vtroq; parente defun-
cto sacrificium obtulerit, & absolutè docuerit, non esse præ-
termittendas supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas
faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate
defunctis suscepit Ecclesia. Cęcutiuit demum Chrysoſtomus,
cũ semel ac iterum recenset opera defunctis fratribus im-
pendenda. Hos lugeamus, inquit, post hos pro viribus clame-
mus, excogitemus eis aliquid solatij, orantes & alios precan-
tes, vt pro eis deprecetur, pro eis, pauperibus largientes con-
tinuè. Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, (notet
quæso Lector) vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur
commemoratio: sciunt enim illis inde multum cõtingere lu-
crum, vtilitatem multam.] Augustinus ita succinctè dixit: O-
rationibus sanctæ Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosy-
nis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, nõ est dubitandum
mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domi-
no, quàm eorum peccata meruerunt.] Nec minùs luculenter
scripsit alius: Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur,
aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut
charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.]

QVÆ cum ita se habeant, vt semel absoluam, haud in-
iuriã dolebo, me in amicorum aliorumq; fidelium defuncto-
rum habenda commemoratione maiorem curam & operam
hactenus non posuisse, vt incredibiles spirituum illorum an-
gones & cruciatus Christiano mœtore, luctuq; debito prose-
querer, atq; vt supradicta remedia, quæ Christus æternis pen-
sabit præmijs, eisdem animabus iuuandis applicarem. Est sanè
admodum probabile, tam miseram animarum in purgatorio
igne conditionem esse, vt si antea vnquam, nunc maximè qui-
dem viuorum præsidijs exoptatissimis destituantur, & paucos
habeant apud Deũ intercessores, atq; pios opitulatores. Ete-
nim in plurimis hodie vacillat, adeoque friget planè fides or-
thodoxa, nec minùs passim extincta iacet charitas, pro qua
tam altas radices egit insana tum cupiditas, tũ infidelitas vt de
morte, purgatorio, cœlo & inferno, proh dolor, cogitationẽ

& cautionem ferè omnem abijcere, ac rebus dūtaxat terrenis affixi esse videamur. Eadem igitur ad nos querela spectat, quā Propheta Moyses velut ingemiscens contextiuit, cū suos infelices Israēlitas deplorans dixit: *Gens absq; consilio est, & sine prudentia: vinam saperent, & intelligerent, ac nouissimā prouiderent.* Certè nouissima illi non prouident, qui Deum ante extremum etiā iudicium in futuro seculo purgare & punire peccata vel non credunt, vel non cogitant, perinde ac si Dei filijs post mortem quoque sua desit castigatio atque disciplina, & vanè Bernardus illud affirmarit: *Illud scitote, quia post hanc vitam in purgatorijs locis centupliciter quæ fuerint hīc neglecta, redduntur vsq; ad nouissimum quadrantem.*]

Deut 32.

Sermon. de
obitu Hum-
berti.

DE PRECIBVS CVM HOC EVANGE-
lio & Ecclesiæ instituto coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus pro ijs Christianis, qui con-
sanguineos & amicos immoderato ac indecēti luctu prosequi solēt,
digni certè, quos Chrysostomus grauiter obiurget atq; coarguat.

Homil. 69.
ad popu.
Antioch.

ORABO itidem pro alijs, qui siue propter hēresim Aēria-
nam, siue ob quādam cordis duritiā, defunctorū cura nulla tan-
guntur, perinde ac si fabula sit quod credunt ac docent Orthodoxi,
multorum etiā leuium peccatorū pœnam post hanc vitam in pur-
gatorio expiandam superesse, eamq; pœnam ad eò esse grauem, ut si-
cuti Gregorius magnus asserit, omni tribulatione præsenti intolera-
bilior videatur. Petam igitur iustitiā diuinā metum in me augeri,
maiorē q̄ dari gratiā ad peccata etiā leuiora deuitanda &
expianda. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet.*


In Psalm. 3.
pœnitent.

Eccles. 19.

PECULIAREM in orandō rationē habebō parentum, be-
nefactorum & amicorum in Christo iam dormientium, vt eorun-
dem animā ab omni vinculo delictorum absoluta, luce & quiete
nunquam desitura fruatur.

2. Mach. 2.

AC eò quidem magis & crebrius defunctorum Fidelium animas (de Catholicis semper intelligo) diuina gratia commendabo, quò certius constat, etatis huius crudelitate, tepore ac incuria fieri, ut pro iuuandis defunctis preces ac pœna vix vlla suscipiantur & adhibeantur, paucissimis rectè ac seriò illud secũ animo reputãtibus: Sancta & salubris est cogitatio, p defunctis exorare, vt à peccatis soluãtur, quemadmodum & Iudai veteres in sua synagoga, & Christiani Catholici in sancta Ecclesia semper crediderunt.



IN DIE FESTO
SANCTI MARTINI EPI-
SCOPI ET CONFES-
SORIS.

Sequentis Euangelij Argumentum.

MAGNUM imprimis ac necessarium in Ecclesia munus est boni pastoris atque doctoris, quem hoc loco Christus pulchrè confert tum lucernæ in domo succen-
æ, tum oculo in humano corpore lucenti, vt spectantium consulatur utilitati. Quis alioqui vsus foret lucernæ, quæ sub modio, & in loco profus tecto abscondita, nullam de se lucem præbet, sed velut otiosè inanitei q; sese consumit, quia super candelabrum vt videri possit, non collocatur? Idem ferè doctori & ministro Ecclesiæ vsuuenit, vt non super candelabrum lucere, sed sub modio sine fructu latere videatur, quamdiu sibi potius quàm alijs in domo Ecclesiæ versantibus, viuere ac seruire contendit. Præterea subin dicat Christus, Fidelem vnumquemque velut

oculum

oculum integrum ac perfectum, clarèque prospicientem esse debere, qui corpori totius Ecclesiæ, aut loco præsentis usum & fructum adferat, suumq; officium faciat in corpore dirigendo. Summa parabolæ in eo versatur, vt si Deo placere, & Christianæ vocationi satisfacere cupiam, purgatum mētis oculum vsq; circumferam, & quæcunq; bona præstem, rectam & sinceram cordis intētionem adiungam, cunctaq; ad scopum ipsam, qui Dei honor est & animæ salus, referam diligenter. Etenim sine hac intellectu puritate cum Pharisæis hypocritis vanè laborabo, eaque mundicie & pulchritudine carebo, quam sinceritas cordis homini Deo purè seruienti adferre, ac præmium ingens mereri potest ac debet. Vnde Paulus à Fidelibus hoc exigit: Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quippiam facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Iudæis & Gentibus & Ecclesiæ Dei. Quod si peruersa est intētio quæ præcedit, vt Bedæ verbis vtamur, prauum est omne opus quod sequitur, quamuis rectū esse videatur.]

1 Cor. 10.

In cap. 11.
Lucæ.

E V A N G E L I V M

Lucæ X I.

In illo tempore dixit IESUS discipulis suis: Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neq; sub modio: sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuū lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebra sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

NOTAE



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM.
ET FESTVM.

*Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit,
neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui
ingrediuntur, lumen videant.*



IC ego primùm bonorum omnium fonti Christo debitas agam gratias, quando quidē de summo cœlo ille descendens, Iudæis ac Gentibus incomparabilem præstitit doctorem & concionatorem. *Non sum missus*, inquit, (doctor scilicet & ecclesiastes) *nisi ad oves qua perierunt domus Israël.* Et cœlestis quidem Pater longē illi antea hoc demandarat, *Parum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israël conuertendas. Ecce, dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terra.* Hic est ille promissus à Ioële doctor iustitiæ, qui descēdere facit ad nos imbrem matutinum & serotinum: hic lux vera in tenebris lucens, & illuminans omnē hominem venientem in hunc mūdum, si Iohanni credimus, ac demum lumen illud ad reuelationem Gentium, quod Simeon in templo prænuntiauit, simulque gloria plebis Israëliticæ. Quid ego illi lucernæ & Soli nunquam occidenti non debeo? sedebamus omnes in tenebris & in umbra mortis: & præter meritum omne *populus ambulans in tenebris, vidit lucem magnam: & habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis*, quemadmodū & ipse apud Iohannem verissimè dixit: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius quia in Deo sunt facta.* Certè quasi super candelabrū Christus lucernam posuisse videtur, quādo in sublimi monte

velut

Matth. 15.

Isai. 49.

Ioel. 2.
Iohan. 1.

Luc. 2.

Luc. 1.
Isai 9.

Iohan. 9.
& 3.

velut cathedra sedens, aperuit os suum, ac legem Euangelicam turbas docuit, & ea quæ ab initio mundi sapientibus erant abscondita mysteria, paruulis reuelauit, sensumque discipulis aperuit ad sacras literas intelligendas. *Ego sum, inquit, constitutus Rex super Sion montem sanctum, predicans præceptum eius.* Qui præterea postquam in cælos ascendit, nouam Ecclesiam nouæ doctrinæ compleuit lumine, missio nimirum Spiritu sancto, qui doctor, custos, & rector in illa maneret vsq; ad sæculi consummationem. Nullam ergo fidem nouis impostoribus tribuam, qui nõ verentur hanc præsentem Euangelicæ doctrinæ lucernam & claritatẽ vsquequãq; splendentem nobis abolerere ac extinguere, perinde ac si eadem lucerna negligentem habeat patrem familiam, qui eam non super candelabrum fulgentem, sed nescio quot sæculis sub modio absconditam manere voluerit, vt qui in domo sunt Ecclesiæ, necessario lumine destituerentur, ac in profundis iacete tenebris cogerentur. Longè aliud promisit nobis Isaias, quod nempe gentes ambulabunt in suscepto lumine, & Dominus erit illis in lucem sempiternam. *Sciatur, inquit, in Gentibus semen eorum* (qui sunt Euangelij fatores) *& germen eorum in medio populorum: Omnes qui viderint eos, cognoscent illos qui isti sunt semen, cui benedixit Dominus: ac iterum: Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit* (nimirum in Ecclesia) *iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.* Gaudebo igitur me natum esse illo tempore, quo Euangelicæ lucernæ splendor per mundum effulget, cum nihil eo pulchrius, lucidius, atq; amabilius humanis oculis exhiberi, nihilq; commodius ad pudendas errorum ac vitiorum tenebras dispellendas excogitari possit. De cuius temporis felicitate nobis quasi congratulans Propheta dixit, *Repleta est terra scientiã Domini, sicut aqua maris operientes. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur.* Ioël verò ita scribit: *Filij Sion exultate & letamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Quo magis eorum causa dolebo, qui meridiano veluti sole fulgente caligant, neque in

Matth. 5.
& 11.
Luc. 24.

Psal. 2.

Iohann. 14.
& 16.

Isai. 60.
& 61.

Eod. cap.

Isai. 11.

Ioël. 2.

lumine

Rom. 1.

Isai. 60.

Iohan. 3.

Hebr. 1.
Act. 7.

1. Cor. 4.

Luc. 12.

Rom. 10.
Psalm. 18.

1. Cor. 12.

Philipp. 2.

lumine, sed in tenebris ambulant quoniam suis prauis affectibus magis quàm sanctis cogniti Messiaë legibus obsequuntur, veritatem Dei, sicut Paulus loquitur, in iniustitia detinentes. Non enim obseruant vocem Propheticam, quæ ipsos ad gratum acceptæ lucis vsum & fructum inuitat, inquit, *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Certè in sæculi huius filijs magis ac magis videmus impleri, quod Christus ipse nostræ cæcitati quasi condolens, grauitè protulit: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Quæ res iustum mihi quoq; timorem ingeret, quandoquidem verbum Dei, veluti lucernam illis qui oculos habent, ingentem ac præluentem, nõ specto sapiens, nec amplector studiosius, vt memor sim Paulinæ sententiæ, tepidos meritò terre facientis: *Si qui, ait, per Angelos dictus est sermo (per hos enim legem esse datam affirmat & Stephanus) factus est firmus, & omnis prauaricatio ac inobediencia accepit iustâ mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* per Christum scilicet, oblatam in sancti Euangelij dilucida prædicatione.

DE INDE amabo & colam missos à Christo Apostolos, horumq; successores in Euangelij semine spargendo sedulos, & indefessos propagandi verbi cooperatores, qui iure testari possunt: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Voluit enim Christus vt vigilantissimus ac fidelissimus paterfamiliâs, per tales ministros ac legatos lucernam Euangelicam igne cælitus demisso accendi, & accensam nõ modio supponi, sed super candelabrum constitui, quæ suum splendorem longè latèq; per orbem diffunderet, omnesq; tum Iudæorum tum Gentium vigentes tenebras & errores profligaret. De his Euangelij ministris, Ecclesiæq; magistris Paulus post Dauidem affirmat: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Ac iterum alibi docet, Apostolos & Doctores à Deo in Ecclesia positos esse, illisq; diuisiones gratiarum & ministracionum obtigisse nõ ad suam, sed aliorum vtilitatē. Eosdem vocat, sicut & Philippen-

ses,luentia in mundo luminaria, à quibus verbum viræ contineatur: Christus eiusmodi seruos vigilantes, qui lucernas ardentes in manibus circumgestant, appellat. Vbi certè mihi dolendum putabo, quòd in tam densis errorù tenebris, quibus hodie circumfundimur, tam rarò lucernas videamus accensas, quæ Catholicam veritatem aduersus Ecclesiæ hostes vbique grassantes illustrent ac vindicent. Pauciores verò sese offerunt lucernæ simul & lucentes & ardētes, quoniam vtrūque, ardere nimirum & lucere, sicut reipsa cōperimus, lucernæ competit. Laudat ergo Christus præcursorem suum, quòd lucerna fuerit ardens & lucens, nō minus in seipso quidem ardens, quàm alijs ad se venientibus lucens. Etenim Euangelico doctore fat non est, verbo lucere populo, & vocem in deserto clamantem præstare, multisq; in pietate iuuandis lingua operam dare, ne alioquin, si verbi ministerium prætermittat, canis mutus nō valens latrare, à Propheta dicatur. Sed & ardere illū oportet, vt opere atque charitate instructus, munus suum ornent Euangelicum, Paulumq; ducem sequatur. Is quippe non contentus Ephesiorum Episcopo demandare: *Præcipe hoc & doce: labora sicut bonus miles Christi*, constanter etiã apud amicos & inimicos euāgelizauit, ac Episcopis apud Ephesum collectis bona dixit cōscientia: *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quò minus annunciare vobis, & docere vos publice & per domos, testificans Iudæis atq; Gentilibus in DEVM pœnitentiam & fidem in Dominum nostrum IESVM Christum. Qui* alibi quoque de suis ærumnis, laboribus, periculis, tentationibus in ipso Apostolatu consumptis longum contexit catalogum, lætusq; sibi gratulatur, quòd bonum certamen certarit, cursumq; consummãrit, iustitiæ coronam sibi seruatam desideranter expectans. Talem enim pastorem decet esse in Ecclesia, qui more Pauli omnibus omnia fiat, vt in illo reperiatur æger curationem, mœstus lætitiã, desperans fiduciam, imperitus doctrinã, dubius consiliũ, pœnitens veniã atq; solatiũ, & quidquid tandem ad salutem est cuiq; necessariũ. Quocirca pulchrè Christus, cùm primarios mundi Ecclesiæq;

Luc. 12.

Iohan. 5.

Hai. 56.

1. Tim. 4.

2. Tim. 2.

Actor. 20.

2. Cor. 12.

2. Tim. 4.

1. Cor. 10.

Matth. 5.
Marc. 4.

doctores constituere vellet, non sat habuit discipulis dicere: *Vos estis lux mundi, sed illud etiam subiicit: Non potest civitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Errant enim opinantes Ecclesiastæ, quòd muneri suo doctrinæ splendore magis, quàm vitæ integritate, & charitatis ardore possint satisfacere.

Lib. 3 epist.
10.

2. Cor. 11.

1. Cor. 12.

Philipp. 2

Iohan. 2.
3. Reg. 19

QV I S verò pius non etiam deploret, inter ministros & sacerdotes Catholicos tam multos reperiri, quibus honor magis quàm labor sacri ministerij placeat, quiq; sincerè Christum, ac eius Euangelium nō annuntient, ac de salute aliorum procuranda ne cogitent quidem, suis nescio quibus delicijs & commodis atque cupiditatibus incubantes. Non viget sed friget in illis charitas sui prodiga, & alienæ salutis auida, quæ nunquam magis quàm in Apostolis totum orbem peragranti- bus, & gratis vbiq; gentium Euangelizantibus mirū in modum eluxit. Apostolicus etiam vir Cyprianus Episcopus fuit, qui vnà cum suo Clero Carthaginensi tam ardētī animarum zelo flagrauit, vt collegis ita scripserit: *Ingemiscere vos & dolere ruinas fratrum nostrorū ex me scio, fratres charissimi, qui & ipse vobiscum pro singulis ingemisco pariter & doleo, & patior, ac sentio quod beatus Apostolus dixit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Et iterum posuit in Epistola sua dicens: *Si patitur membrum vnū, compatiuntur & cetera membra.* Compatior & ego & condoleo de fratribus nostris qui lapsi. ¶ Quocirca nō solūm ego cū eodem Paulo dolenter fatebor, *Omnes quæ sua sunt, quarunt, non quæ sunt IESV Christi;* verūm etiam me ipsum seriò reprehendam, quòd rarò de vocatione mea ita cogitem, vt veluti lucerna super candelabrum posita, luceam ac præluceam alijs, vt præterea lapsos si possim, erigā, & errantes quomodo- cunq; reuocem in viam veritatis. Procul abest vt zelus domus Dei me comedat, ac ego cum Elia Propheta probè testari possim: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercitū, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël.* Coram hominibus non lucret

mea lux, sicut Christus exigit, ut videant opera mea bona, & glorificent Patrem. Parùm expendo Bernardi sententiam admonentis, quòd sapientis ardor internus foris luceat, & si non ei datur vtrumque, curet tamen semper ardere magis, ut Pater qui videt in abscondito, reddat ei. Væ nobis fratres, ait, si luxurimus tantùm. Nam lucemus quidè & magnificamur ab hominibus: *sed mihi pro minimo est, ut ab humano iudice die. Qui enim iudicat me, Dominus est, qui feruorem ab omnibus exigit, splendorem verò nō ita. Est enim, inquit, tantùm lucere vanū, tantùm ardere parùm, ardere & lucere perfectum.*]

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

IN hunc locum scribit Chrysostomus, quod oculus est corpori, hoc intellectum esse hominis animæ; & sicut corporalium oculorū extincto lumine membra cuncta velut in luctu versantur ac tenebris: ita & salutem hominis mente obceptati innumeris prorsus malis exponi. Quemadmodum igitur in corpore hoc maximè curamus, ut ad cæcitatē vitium deuitandū oculos incolumes, minimèq; impeditos habeamus: ita etiam ad salutē animæ nostræ procurandā in primis danda est opera, ut intellectum nobis purum ac integrum conseruemus, ne si hoc lumine destituamur, in iudicando & agēdo turpiter hallucinemur. Nec minùs luculēter Augustinus & Gregorius notant, hoc loco per oculum intentionem, ut vulgò loquimur, & per corpus ipsam operationē hominis designari. Lucernam ergo corporis oculum faciunt, quando quidem per dictam intentionē indicatur ac fit euidens, cuiusmodi sit cuiusque hominis operatio, quanti que apud Deum valeat. Si bona & recta est intentio, id quod agitur, nō potest nō bonū & rectum esse: sin mala est, praua etiam, rectoq; contraria erit operatio. Etenim sicut oculus corporalis quodammodo vice lucernæ fungitur, ac suam velut lumen membris reliquis præbet, ut illa in suis officijs rectiùs progrediantur: ita spiritualis

Matth. 5.
Sermon. de
natiui. Io-
han. Bap.

Matth. 6.

1. Cor. 4.

Homil. 27.
in Matth.

Lib. 2. de
Serm. Dom.
in mont.
Lib. 28.
Moral.
cap. 13.

hominis oculus, quem intentionem diximus, tantò rectiùs operationes nostras dirigit, quantò puriùs sinceriusq; prælu-
cet, easq; in finem debitum refert. Alioquifi impu- & vitio-
sæ intentioni locum denys; præsertim rerum temporalium
appetitu & inordinato affectu dominâte, aut homine in mor-
tali peccato scienter hærente, boni etiã operis quod facimus,
meritum ac pretium perit, Deoq; ingratum ac nobis inutile
redditur, quantumuis illud præclarum ac speciosum esse vi-
deatur. Habet enim illic locum Christi sententia: *Quod homi-
nibus altum est, abominatio est ante Deum.* Quarè hoc loco con-
firmatur, quod alibi Dominus grauius docet, apertè perstrin-
gens cõmunem Iudæorum hypocrisim, qui simulatam & præ-
posteram iustitiam præ se ferebant, suisque impuris affectibus
ipsa etiam pietatis opera conspurcabant. Hinc extant illæ sen-
tentia: *Nolite fieri sicut hypocrita. Nolite assimilari eis. Attendi-
te ne iustitiam vestram coram hominibus faciatis, ut videamini
vb eis. Intuemini & caute à fermento Phariseorum & Sadduceo-
rum. Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. A fo-
ris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypo-
crisi & iniquitate.* Vnde tandem colligam, quàm verè scripse-
rit Augustinus; Non virtus, sed causa virtutis apud DEVM
mercedem habet.] Neque dissentit Bernardus inquiring: Non
materia, nec exitus actuum, sed intentionis propositum cul-
pas discernit & merita.] Quam intentionem idem ille alibi
vocat faciem animæ, ex qua nimirum rectitudo operis, sicut
ex facie pulchritudo corporis æstimatur. Eòq; magis notabo,
quod Abbas Moyses apud Cassianum exponit, cõsilia & ope-
ra nostra non aliter Deo iudici comprobari, nobisq; Creden-
tibus esse salutaria, nisi propositum scopum, certumq; finem
operis præfixum nobis habeamus. Inter alia sic ille differit: In
omni arte ac disciplina præcedit quidam scopus, id est animæ
destinatio, siue incessabilis mentis intentio, quam nisi quis
omni studio perseverantiaq; seruabit, nec ad finem desiderati
fructus poterit peruenire.] Probat autem hoc ipsum industrij
agricolæ & laboriosi negotiatoris exemplo in medium alla-

Luc. 16.

Matth. 6.

Matth. 6.
16. & 23.Lib. 1. de li-
ber. arbi.
cap. 14.
Epist. 69.
Serm. 40.
super cant.Collat. 1.
cap. 4.

to, ac statim subiicit: Finis quidem nostrę vocationis regnum Dei seu regnũ cœlorum est: destinatio verò nostra siue ^(scilicet) puritas est cordis, sine qua ad illũ finem impossibile est quempiam peruenire. In hac ergo destinatione desigentes nostrę directionis obtutus, velut ad certam lineam, cursum rectissimum dirigamus. Adeò vera est sententia iam pridem à Theologis approbata, quòd intentio bona siue mala nomen imponat operi, quæ siue meritum, siue supplicium iustæ retributionis acquirat.

VBI se mihi iusta lugendi causa offert, quòd videam, nos Catholicos ab Evangelica Christi doctrina tam longè discessisse, vt ipsis etiam Iudæis, eorumq; magistris Pharisæis, quamlibet improbis, propemodum deteriores facti videamur. Illi enim sua benefacta, & præcipua bonorum operum genera sic instituebant, vt spectantes alios nõ offenderent, sed potius ædificarent, cum operam darent frequētibus ieiunationibus, longis precationibus, & copiosis elemosynis in pauperes distributis, Christus tamen eos reprehendit, vti merebatur, quandoquidem velut cæci in tenebris ambularēt, ac sine gubernaculo in sua cymba nauigarēt, vtpote suis benefactis rectam debitamq; intentionē subrahētes: quoniam Dominus nõ obsequiorum speciem, sed puritatem quærit affectus, vt Ambrosius dixit. Nos modò, si communem Christianismi faciem intueare, & operibus ipsis pietatis, & legitima intentione operandi caremus, & quod multò est damnabilius, pro ieiunatione luxum & crapulam licenter amplectimur, priuata commoda omni religionis officio anteponimus, Deum iurādo & blasphemando prouocamus magis, quàm interno externoq; cultu honoramus, & pecuniam demum pauperibus denegatam, superbiam, vanitati, prodigalitati & avaritiæ de more applicamus. Hęc scilicet nostra est lux, qua vicinis prælucescimus, & Deum glorificamus: hæc nostra excellens iustitia, qua Iudæos & Pharisæos præcellimus, Dei que nomē illustramus: hic simplex & purus oculus, qui corpus lucidum reddit, & quem Christus requirit in præsentī Euāgelio. Quis ergo nõ videat, nos veteris

In Lucam.

Matth. 5.
& 6.

Luc. II.

Prou. 2.

Matth. 13.
Luc. 8.Luc. 11.
Matth. 6.

Apocal. 3.

Matth. 23.

pietatis formam & imaginem amisisse, quādo lætamur etiam læpè, cum malè facimus, & exultamus in rebus pessimis, non modò cum Dei lege & Ecclesiæ disciplina, sed etiam cum natura & ratione ipsa pugnātes: tantum abest, vt voluntas & studium appareat iuuādi alios, & nos ipsos iudicādi, & cum Deo grauitèr offenso per pœnitētiā in gratiam redeundi. Quem ergo fructum speremus ex benefactis, quæ vt plurimū à nobis in stercore mortalis peccati hærentibus fiunt, & ex mera cōsuetudine proficisci solent, neq; ad summi Dei gloriam & salutem animę diriguntur, sed magis inani quadam specie Catholicismi adumbrata, virtutis nomē amittunt, & neq; Dei timorem & amorē, nec eius præceptum vel præmium sibi propositum tenēt? Versamur interim, proh dolor, in densis tenebris, ac totā vitam spinis plenā, sicut Christus loquitur, trāsigimus, nosq; ipsos in medijs etiam sceleribus cōsolamur, quia nihil minus quā presentem & futuram Dei iustitiam extimescimus, secura nobis omnia pollicentes. Hoccine verò est ad cordis puritatem tantoperè necessariā, de qua Christus nunc differit, aspirare, & sicut idem alibi ab omnibus postulat, Dei regnum eiusq; iustitiam in primis quærere? hoccine inquam, est aurum charitatis ignitum & probatum, vt locuples fias, emere, & vestimentis albis indui, vt nō appareat confusio nostræ nuditatis? Quid multa? Vulgaris vitæ cursus ad eum instituit modum, vt honestas & bonas actiones, quibus neque improbissimi prorsus carere solent, obscuras, impuras, infectas, tenebrosas ac sordidas faciamus, & quoniā præcipua Dei Ecclesiæque mandata cæci & stulti de more transilimus, hac etiam iusta pœna plectimur, vt quæ piè ritèque instituere videmur, ea nobis in vtroq; sæculo infructuosa inutiliaq; reddantur. Proinde verendum est, nos etiam verbis illis percuti, quæ Christus Pharisæis præposterè pijs obiecit inquis, *Reliquistis quæ grauiora sunt Legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorū, & omni spurcitia.*

Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. Ac tantò magis mihi semper erit curæ, quod Cyprianus Martyr grauitè scripsit in hunc modum: Deus vt est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens: & sicut ad conuiuium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem, ligatis manibus & pedibus, extra Sanctorum chorum foris iactat. Parauit cœlum, sed parauit & Tartarum; parauit refrigera, sed parauit etiam æterna supplicia.]

I A M verò ad nouos peruersos que censores Ecclesiæ veniamus, quibus est in more positum, vt maiorum instituta, disciplinam, ritus & cæremonias rideant magis quàm probent, cùm illa etiam tetra superstitioni adscribant, ac demoniorum doctrinas impudenter appellent, adeòque in publicum vulgi odium & contemptum adducere soleant calumniando. Etenim non est illis purus & simplex, sed nequam & inuidus oculus, quo præeunte, quæcunque in veteri vident Ecclesia, non nisi vt atra & sordida, reputant & conspuunt. Quare in illos etiam competit, quod grauitè Propheta interminatur, *Væ qui dicitis malum bonū, & bonum malū: ponentes tenebras lucē, & lucem tenebras: ponentes amarū in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes. Væ filij desertores.* An' non suam isti stultitiam orbi produnt, qui tot seculis piè instituta, & præclarè hætenus obseruata pro sua carpunt libidine, & rabiosè conuellunt, vt suum sensum totius Ecclesiæ tum orientalis tum occidentalis iudicio anteponant? Nec vident superciliosi homines, quos Ecclesiæ odium ac liuor iam pridem excæcauit, tot sacrorum Conciliorum & venerandorum Patrum sanctiones ac decreta de ferijs, ieianijs, externisq; cultibus partim ob traditionem Apostolicam suam habere vim irrefragabilem, partim religioni & sacramentis reuerentiam singularem adferre, partim in communi populo tantum efficere, vt Credētes in diuino cultu, fide, disciplina & obedientia rectiùs exercitentur. Nec ignoti sunt qui huc maximè spectant, canones Apostolici: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis. State & tenete traditio-*

Matth. 15.
Epist. 31. ad
presbyt. &
& diacon.

Matth. 22.

Isai. 5.
& 30.

1. Cor. 14.
2. Thess. 2.

1. Cor. 1.

1. Tim. 4.

a Lib. 2. cō.
Iouin.b In eundem
locum.c Homil. 12.
in 1. ad Tim.d In epitome
diuin.
decret.

e 1. Cor. 12.

f Ephes. 5.

g 1. Tim. 3.

h 1. Cor. 11.


i Tim. 6.

Aduerf.
profanas
nouati.

Galat. 1.

Epist. 118.
ad Ianua.

nes quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Qua de re aliàs tam multa diximus, vt hìc eadem repetere necesse non sit. Doctrinas autem dæmoniorum orituras prædicit quidem Apostolus non vt Ecclesiæ definitiones, consuetudines & ritus eleuet ac improbet, sed vt Marcionistarum & Manichæorum nefandas damnet hereses, quemadmodum^a Hieronymus, ^b Ambrosius, ^c Chrysostomus ac ^d Theodoretus locum explanant. Qui Apostolus tanti fecit Ecclesiam, vt eam Christi^e corpus & sponsam, sed & ^g domum Dei viui, omnisq; veritatis columnam & firmamentum appellet, clarèq; pronuntiet: *Sib quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Nimirum vt ab Ecclesiæ consuetudine sumat argumentum, & illius autoritate confirmet, quæ sacris etiam Biblijs non sunt expressa. Eiusdè Pauli præceptum extat, *i Profanas vocum nouitates deuota*, vocū inquam, hoc est dogmatū, rerum & sententiarum, quas recipere atq; sectari nunquā Catholicorū, semper verò hereticorū proprium fuit, quemadmodum scitè asserit Vincentius Lirinensis. Suas interim synagogas & speluncas condant aduersarij, nouasq; leges ac ritus novos sibi subinde assumant ac varient, quandoquidem in doctrina & cærimonijs, vt orbis nouit, nunquam non pugnas inter se fouent irreconciliabiles. Verus autè & germanus Catholicus in doctrina stabilis & fixus permanet, vt prædictus asserit Vincentius, id solū sibi tenendū credendūq; decernēs, quod Ecclesiam Catholicā vniuersaliter & antiquitus cognouerit tenuisse, nec à traditione discedit Apostolica, de qua dictum est, *Si quis vobis euangelizauerit prater id, quod accepistis, anathemasi.* Proinde certò mihi persuasum habebō, Catholicā esse regulā ab Augustino traditā, cunctisq; Orthodoxis firmiter obseruandā: Illa, inquit, quæ nō scripta, sed tradita custodimus, q̄ quidē toto terrarū orbe seruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorū est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri.]



DE SANCTO CONFESSORE ET
PRAESTANTI EPISCOPO MAR-
tino Turonensi.

MAGNUM est & præclarum, à viro bono & sapiente laudari: sed multò maius & præclarius habendū est, à tota Christi Ecclesia, quæ veritatis columna dicitur, ubique gentium publicè commendari, sicut profectò Martinus Turonensis tot sæculis apprimè cōmendatur. Non enim vulgaris, sed percelebris inter illos Episcopos floruit, quos cū Sapiente dicere possumus stellas matutinas in medio nebulae, lunam plenam in diebus suis lucentem, & quasi solem in meridie refulgentem. De illis ipsis verbum eiusdem Sapientis celebrare licet: *Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Nomen eorum vivit in generationem & generationem, & laudem eorum nunciat Ecclesia.* Quid ni verò nunciet? Observat enim in illis electis Dei organis eximia dona & admiranda opera, quibus præclari illi Coriphæi suam excellentem vocationem mirum in modum illustrarūt, vt de corpore Christi, quod est Ecclesia, optime mererentur, & ad finem vsque vitæ tum docendo, tum vivendo præstarent ea, quæ ad vigilantissimos pastores, integerrimos doctores, ac sanctissimos antistites pertinet. Nimirum in hos Apostolicos planè viros ac diuinos homines competunt illæ voces, *Vos estis sal terræ: vos estis lux mundi. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Ego elegeri vos, & posui vos, ut eatis & fructum asseratis, & fructus vester maneat.* Et si enim Christus hæc aliaque consimilia primarijs discipulis & electis Apostolis protulerit, nihil tamen vetat, ea ipsa præconia referri ad illorum successores, fidos nempe pastores ac doctores Ecclesiæ, quos & Paulus Apostolis annumeravit, tantique ha-

1. Tim. 3.

Ecclef. 50.

Matth 5.

Luc. 12.

Iohan. 15.

1. Cor. 12.

Ephes. 4.
A&tor. 20.

Libro de
sacerdot.

In Synod.
Ephes.

In Breuic.
& ep. 166.

buit, vt diceret, Episcopos in Dominico grege à Spiritu sancto positos ad Ecclesiam totā Dei, quam suo sanguine Christus comparauit, regendam atque gubernandam. Quæ illorū dignitas tanta est ac videri debet, vt politicos principes & ciuiles magistratus longè præcellat, quemadmodum Ambrosius & Chrysostomus comprobant, quòd hi fortunas, & temporarium siue mundanum populi regimen administrent: Episcopi verò & ecclesiarum præfules secundum Euāgelium, seu vt loquitur, de iure diuino, doctrinā religionis cognoscant, in causā fidei ex professo iudicent, potestatem in remittendis ac retinēdis hominum peccatis exerceant, falsam doctrinā damnent atque reijciant, ac demum curam habeant Ecclesiarum. Quare nec puduit Theodosium Imperatorem in Synodo apertè fateri: Illicitum est eum, qui nō sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.] Ac verustior hoc Theodosio Constantinus Imperator ausus nō est de causa Cæciliani Archiepiscopi iudicare, sed discutiendā illam & finiendam Episcopis delegauit, vt notauit etiam Augustinus. Tum alius Imperator cū post Octauam Synodum Constantinopolitanam ad laicos orationem haberet, sic illos inter cætera est allocutus: Quantumcunq; Episcopus sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, pastoris nominis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo ratio est, in ordine ouium constitutis, pastoris verborum subtilitatem discutiendi, & ea quæ super nos sunt, quærendi & ambigēdi? Oportet, inquit, nos cum timore & fide sincera hos audire, & à facie eorum vereri, quum sint ministri Domini omnipotentis, & cuius formam possideant, & nihil ampliùs, quàm ea quæ nostri ordinis sunt, requirere.]

QVOCIRCA inter principes & magistratus omnes, quos instituit & honorari vult DEVS, ego sanè Pontifices & Episcopos ita suspiciam ac venerabor, vt illis primas tribuam, eorumque ordinem spectatissimum, quòd nihil sublimius habet respublica Christiana, singulari semper obedientia & reuerē-

tia mihi

tia mihi prosequendum esse arbitrer. Sunt enim Episcopi, sicut à Basilio & Ambrosio appellantur, oculi Ecclesiæ: sunt & patres, de quibus Propheta cecinit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*. Patres enim missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati siue constituti Episcopi, quos Ecclesia patres appellat, vtpote qui ipsam genuerunt, & ab ipsa in sedibus Patrum constituti sunt, sicut illa verba declarat Augustinus. Ac idem alibi pronuntiat, eos extra Ecclesiam esse, qui relicto Episcopo, Dei ordinatione succedanea præside, aut sibimetipsi, aut semetipsos constituunt Episcopos, Præpositos aut Primates. Neque dubitabo vnquam, quòd huius tempestatis Episcopi, cū superioribus siue primæ, siue mediæ ætatis Præpositis, præcipua quæq; sibi habeant communia, quòd nempe in fidei doctrina veterum synodorum decreta cõfirmant, quòd in Euāgelio tradēdo certos magistros ac ministros cõstituunt, quòd in Romana Ecclesia principem Episcopum, summumque pastorem colant, quòd in clero sibi subiecto maiores & minores ordines cõseruent, quòd Sacerdotium & Sacrificium, aliasq; iam pridē receptas Apostolorū traditiones tueantur. Quibus in rebus, vt alias prætereā, nostri Episcopi, qui Catholicum retinent nomē, cū antiquis probè cõueniunt, tametsi vitæ sanctitate, ac eruditionis copia sint inferiores. Verū enim uerò prouidus ille paterfamiliās Christus suas præmonuit oues, vt dignos æquè ac indignos Ecclesiæ suæ rectores ac ministros audiant atque colant, & idcirco clarissimè dixit: *Omnia quaecunq; dixerint vobis (siue in Synagogæ, siue in Ecclesiæ cathedra vera sedentes) seruate & facite: secundū opera verò eorū nolite facere: dicunt enim & non faciunt*. Atq; ad suos cõuersus discipulos, eorūq; successores significāter docet: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, qui autē me spernit, spernit eum qui misit me*. Valeant igitur insani Donatistæ, & Apostolici falsò dicti, quos non pudet veram & Apostolicam Ecclesiam Ministris illis adimere, quibus vita non suppetit Apostolica, quiq; Sacramentorum dignitatem ex Ministrorū virtute meriuntur. Facestant & illi, qui Martinum & Nicolaum,

Ep. 30. De dignit. sacerdot. c. 6. Psalm. 44

In eund. Psalm. Contr. ep. Manich. cap. 4.

Matth. 23.

Luc. 10.

Rom. 12.

Iacob 2.

1. Theff. 5.

Coloss. 3.

Hebr. 13.

hisq; antiquiores Ignatium & Dionysium, ac alios id genus valde præstâtes Episcopos se admittere & amplecti simulant: præsentem autem Ecclesiarum præsules, quia sanctitate & doctrina cedunt prioribus, parui pendunt & auerfantur. Quid autem istuc est aliud quæso, nisi doctrinam violare Apostolicam, qua iubetur fidelibus: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESU Christi. Rogamus vos fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: ut habeatis illos abundantius in charitate propter munus illorum: pacem habete cum illis. Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum serviientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quis verò Dei timor, quæ simplicitas cordis, quæ obedientiæ integritas in istis residet, qui naturam & subiectionem omnium exuentes, non sine scædis cornibus, instar hircorum, in suorum pastorum munus inuolant, & quas ipsis lubet, leges præscribunt & imponunt: tantum abest ut iuxta Pauli sententiam pastoribus subiacere dignentur. Quomodo demum præsentibus animarum suarum Præpositis & Episcopis parcerent, qui contra veteres & ab Ecclesia probatos præsules audacter excipiunt, eorumque dicta, scripta & exempla, sicubi novæ doctrinæ contradicant, more suo extenuant, proteruè mordent, & apertè calumniantur?*

CVIVS rei vnum nobis exemplum hic Martinus facile porriget, qui inter Episcopos omnes insigniter commendatus, & immortalis bonorum laude dignus, hodierno quidem die per totum orbem ab Ecclesia celebratur, & cuius historia tantò maiorem fidem promeretur, quantò plures atq; clariores auctores de illo testimonium ferunt, quemadmodum Severus Sulpitius, Fortunatus Pictaviensis, Odo Cluniacensis, & Gregorius Turonensis, ut Paulinum interim Nolanum sileam. Quàm iniquè obsecro, ac petulanter hunc Episcopum, quem tot sæculis veneranda prædicavit antiquitas, nostri tractant Sectarij? quàm eidem dissimiles esse cœperunt? Mirum, quanto perè

Ille suum castigarit pro Christo corpus, & quàm præclara per illud miracula Deus potenter effecerit. Sed in hoc venerandū corpus isti seculo nostro sæuierunt, & sacrilegis manibus illud abreptum, flammis impiè tradiderūt. Festum huiusmodi tantum Episcopo sacrum, & Græcis quoque solennem pro sua libidine abrogarunt, & Martinum alium hæresiarcham viro sanctissimo præposuerunt. Signum Dominicæ Crucis, quod maximi semper fecit antiquitas, abolere & oppugnare non cessant: hoc Martino fuit admodum familiare, vt etiam confideret, se illo munitum, furentes rusticos vincere, seque securū per medios inimicorū cuneos penetrare posse, sicut ipse coram Iuliano Cæsare intrepidè professus est. Placuit huic Episcopo cælibatus, vt consilio Apostolico satisfaceret, vitamq; cælibem perpetuò duxit: id quod ab istorum motibus profus alienum est. Ille ab Hilario Pictauiensi & alijs Catholicis Episcopis minores maioresq; Ordines, vt vocant, reuèren- ter accepit, & alijs etiã frequèter impertijt. Quid autem istis in Clero est cõtemptius, quàm si vident, Clericos ab Episcopis consecrari? Sed & Missæ sacrificium pro abominatione habent, & palàm execrantur, quod Martinus ad altare sacris indutus vestibibus, pro viuis ac mortuis religiosè obtulit, Deo etiam hoc ipsius sacrificium per euidentis miraculum approbante. Spernunt & deuastant monasteria, velut sedes hominū otiosorum, quæ ipse ille passim fundare & propagare gaudebat, cum vitæ monasticæ sectator atque cultor esset singularis. Amavit idem & extruxit varia templa, vt passim cultū diuinum propagaret & exornaret: hi sacras ædes diruere & profanare in delicijs habent, & sacrilegijs inhiare solent, cultumq; diuinum abolent & irrident. Renouant veterum hæreticorum errores atque mores: quoniam cum Arianis & Nestorianis ad solam Scripturam prouocant, à Catholicis se vtrò segregant: nouos instituunt ritus ac magistratus, noua confessionis fidei formulas inuehunt: magnatum fauore & autoritate se sectamq; suam communiunt. Martinus inuitis etiam parentibus, & obnitente Cæsare se totum Catholicis adiun-

1. Cor. 7.

xit ac tradidit, prorsusq; veluti pestes deuitauit eos, quos Nicæna synodus semel hæreticos iudicârat, & ab illis sæpè vexari & in exilium agi maluit, quàm vt cum illis commercium vllū haberet. Vt hinc apertè constet, Aduersarios nostros non solum à veteris Ecclesiæ forma & disciplina procul abesse, verū etiam nihil adferre posse, cur de Martino Turonensi Episcopo sibi gratulentur. Præterimus, quæ scriptores alij veteres de rebus supradiçtis in medium adferunt, vt ad Catholicos deum redeamus, exposituri, quomodo illi fructum ex præsentis festo capere ac reportare possint.

HABENT Catholici pueri & adolescentes, quod in Martino nostro non mirentur modò, sed etiam pro ætate sua imitentur, nimirum vt in fide Catholica, qua nihil illis debet esse antiquius, & in cultu Dei, quo nihil est sanctius, parentum & amicorum nomine sese impediri nunquam patiantur: Etenim hic Pannonius puer ex oppido Sabariæ oriundus, cùm iam decem esset annorum, nō tanti habuit carnem & sanguinem, vt æternæ salutis parandę curam negligeret, sed repugnātibusetiā parētibus licet nobiles, quos vetus infidelitatis caligo tenebat obcæcatos, ad Catholicam cōfugit Ecclesiam, Deiq; gratia cōfusus, se catechumenum fieri & petijt, & impetrauit. Neq; tantum de orthodoxa & salutari fide complectenda, sed etiam de petenda eremo puer ille, quum duodecim esset annorum, haud parum sollicitus fuit. Siquidem exemplum pueri Iohannis Baptistæ vel legisse poterat, vel audisse, quod Lucas

Luc. 1.

Daniel. 1.

Eccles. 12.

Thren 3.

puer autem crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis usq; in diem ostensionis suæ ad Israël. Præuenit sanè hunc puerum **DEVS** in benedictionibus suis, sicut & Danielem eiusque socios præuenerat, vt egregiam indolem proderet, quòd supra ætatem ad sacra mirabiliter aspiraret, quasi propositum sibi haberet vetus illud præceptum: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.* Vt enim Ieremias Propheta testatur, *Bonum est viro cùm portauerit iugum* (non mundi sed **DEI** scilicet) *ab adolescentia sua,* quæ alioqui ad licentiam omnem procliuis, & snapte spõte effrenis est ac lubrica. Nunc

passim

passim eos pueros experimur, qui tanquam filij Belial & Heli, florem adolescentiæ suæ Satanæ potius quàm Deo dedicant & impendunt, quos neq; parentum cura, neq; præceptorum autoritas, neque Dei timor & amor à rebus vanis ac vitijis noxijs abstrahere, & ad honesta virtutum officia reuocare & impellere satis posse videatur.

HABENT deinde milites, siue sint equites siue pedites, quod à Martino discant, modò veram, Christianam & legitimam militandi disciplinam velint amplecti atq; profiteri. Triennium ille ante susceptum baptismum in armis fuit, ac primùm in Constantij, deinde in Iuliani Imperatorum exercitu militauit, sed vti diximus, non tam sua voluntate, quàm parentum & amicorum iussu atq; autoritate publica coactus, præsertim cū præceptum vrgeret regium, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur. Vnde vel inuitus patri successit militi, adeo que tribuno militum: & in militiam profectus, valde sibi cauit à profana militantium audacia, fraude, libidine, proteruia, cupiditate, superbia que. Cum seruo suo, quo duntaxat vnico contentus erat, tam vixit modestè ac familiariter, vt illi subinde ministrare, & calceamenta detrahere, cibumq; cum eo communem capere nō grauaretur. Obseruauit præcepta illa militaria, quæ rogatus à militibus in hunc modum tradidit Iohānes Baptista: *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.* Quam verò vim, calumniam & iniuriam hic nouus miles cuiquam adferret, qui suos commilitones facilitate, clementia, patientia & candore longè superabat? vt iam tum ille nō miles, sed monachus putaretur, suaq; demissione & simplicitate cunctorum sibi animos deuinctos teneret, quòd miro illum affectu venerarentur. Sub Iuliano Cæsare, qui & infamis apostata factus est, apud Vangiones in Germania militauit, sed magno incensus desiderio & susceptæ militiæ renunciādi, & à dicto Cæsare eiusq; castris sese subducendi. Vnde cū triennium in militari vita exegisset, alijq; donatiuum à Principe acciperent, ille mundi, Cæsaris, & pecuniæ omnis contemptor, palam ausus est dicere: *Hactenus militauit*

1. Reg. 2.

Luc. 3.

tibi Cæsar: patere vt nunc militem **DEO**: donatiuum tuum pugnaturus accipiat. Christi ego miles sum: pugnare mihi nō licet.] Ex quo dicto & facto quiuis intelligat, Martinū necessitate compulsū, nō lucro vel stipendio plectū, neq; armis delectatū, in militia triennium absoluisse, & sub militari chlamyde Christianum texisse pectus, nihilq; commune habuisse cum vulgari hoc genere militum, quod se bonis ferè omnibus reddit inuisum, cum adeo regnet apud illos pecunię sitis, ventris & otij studium, libido vaga, contemptus & oppressio pauperum, iniustitię & rapacitatis consuetudo, vt iam pridem bellum malorum omnium lerna esse dicatur. Atque vtinam modò non obtineat, quod vetus poëta ethnicus de sui sæculi militibus haud temere questus est:

Lucan. lib.
10.

*Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur,
Venalesq; manus: ibi fas, ubi maxima merces.*

HABENT insuper Christiani, cuiuscunq; sint conditionis, quod ad frugalitatem, parsimoniam, fraternaq; charitatis officium eos excitet ac impellat, si Martini huius mores propius intueantur. Talem egit ille militē, qui ex militia stipendijs nihil sibi præter quotidianum victum reseruaret, nihil de crastino cogitaret, nihil in luxum & crapulam è suis profunderet facultatibus: sed neque de necessario victu solitudinē admitteret. Proinde cum ad Ambianensem portam vnà cum socijs aliquādo equitaret, ac in hominem media hieme nudū ac rigentem, & ab alijs neglectum incidisset, etsi ipse præter arma & simplicem militia vestem haberet nihil, ac insolita medię hiemis vrgeret asperitas, tamen illius tanta charitas enituit, vt ferrū quo erat accinctus, arripuerit, & chlamydem suam diuiserit, partem vnā præsentī pauperi statim donans, partem alteram sibi reseruans, vt hoc vili & scisso amictu miserum cooperiret. Tam ingens illi cura fuit in Iohannis Baptistę obseruando præcepto: *Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat.* Cum videris nudum, inquit per Isaiam **DEVS**, *operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Quod rarum Martinianę charitatis officium adeò gratum Christo

Luc. 3.

Isai 58.

fuit,

fuit, vt sequenti nocte eundem Christum sibi apparentem viderit, qui dimidiata illa veste, cæcus dixit, Martinus catechumenus hac me veste cõtexit. Iam verò cum decimum octauū annum ageret, ac sacro baptismo initiaretur, multòq; magis cum Episcopus creatus esset postea, in omni benignitatis genere multum studij posuit, summamque sibi laudem propter officiosam charitatem comparauit, quòd paternam imprimis curam pauperum ex animo sustineret, eorumque præsentem inopiam pecunia, consilio & opera domi forisq; subleuaret. Poterat igitur ille cum Iob viro sancto iure suo testari: *Ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de utero matris mee egressa est mecum. Si despexi pereuntem (vel vt alij legunt, prætereuntē) eò quòd non habuerit indumentum, & absq; operimento pauperem. Flebam quondam super eo qui affluctus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Quare in Martino id videmus impletū, quod promissit Salomon: *Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur.*

HABENT & Ecclesiastici homines, cuiuscunque sint gradus, permulta, de quibus ab hoc viro, qui Sacerdotū gemma meritò dicitur, in munere suo ritè obeundo commonefiant. Primùm illud est, vt per ostium ingrediantur, ad spirituale ministerium legitimè vocati atque missi. Nam ille quidem quamdiu licuit, Episcopatum sibi oblatū constanti animo recusauit, & inuitus planè, atq; tum à Clero, tum à populo coactus illud suscepit. Tam alienus erat vir modestissimus ab omni specie ambitionis ac dominandi cupiditate, nihil magis exoptans, quàm vt in vita Christi, Domini de humilitate doctrinam & exemplum proximè imitaretur. Deinde constat, Martinum in suscepto munere non seipsum, sed Dominicum pauisse gregem indefessò studio, ac de prioris quidem vitæ sanctitate nihil remississe, sed in eadem humilitate & vilitate vestitus mirantibus omnibus perstitisse. Nec enim obliuiscabatur Apostolici præcepti, quod Episcopo traditum esse nouerat: *Auende tibi & doctrinam: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Exemplum esto Fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Nec sa-

Iob. 31.
& 30.

Prou. 22.

Iohan. 10.
Hebr. 5.

Iohan. 6.
Luc. 22.
Matth. 20.

1. Tim. 4.

nè dubium,

1. Tim. 3.
Tit. 1.

nè dubium, quin plus ille præstiterit, quàm idem Apostolus ab Episcopo exigat, iubens illum esse irreprehensibilem, non violentum, non percussorem, sed sobrium, modestum, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem atq; doctorem.

HABENT insuper Christiani omnes, quo se consolentur atq; confirmant in medijs angoribus, si Martini præclarum spectent institutum, utq; omnis patientiæ propositum in illo sequantur exemplar. Non potuit ille placere parentibus, ut DEO verè placeret, ideòque non sine illorum offensa puer, ut dictū est, Ecclesiam Catholicam petijt, seq; in illa catechumenum iussit inscribi, ut vnus esset è sacri baptismi candidatis. Nec illi adolescēti pepercit Cæsar Iulianus, à quo in vincula coniectus est, quòd Christi seruum & militem se posthac fore profiteretur. Ex Italia in patriam proficiscens, in latronū manus incidit, à quibus etiam male tractatus fuit. Arianos autem sæpè infensos & infestos habuit, ut etiam mutare solum, & aliò cōmigrare cogeret. Cū de creando illo Episcopo consultaretur, vir sanctus à multis audire debuit, quòd esset corpore contemptibilis, vultu despicibilis, veste sordidus, crine deformis, planèq; indignus tam graui ac præstanti munere. Nec defuit Defensor quidam inter Episcopos, qui spiritu non bono afflatus, factam huius Martini electionem rescindere & impedire conaretur. Quantum verò negotium pepererunt ei furentes ac impij rustici, quos ad verum Dei cultum transferre conabatur: Sed nemo ferè illi molestior fuit, quàm Archidiaconus Brictius, licet alumnus monasterij à Martino fundati, & qui sæpè cum illo exposulare veritus non est. Vix dici potest, quàm graues & multas illi tentationes excitarit, ut Sanctorum omnium hostis, ita & malorū omnium sator nequissimus ac inuidissimus ille Satan, qui hoc illi iam antè fuerat cōminatus: Quocunq; ieris, & quòdcunq; tentaueris, Diabolus tibi aduersabitur. Ita enim summo Deo visum erat, sui singularis erga Martinū amoris indicium prodere: *Què enim diligit Dominus, castigat: & hoc pretiosum aurum, ut in orbe splenderet, in igne probari debuit. Sicut enim igne probatur*

Hebr. 12.

argentum, & aurum camino; ita iustorum corda probat Deus teste Salomone. Qui verò non est tentatus, quid scit? Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Si commortui sumus, & conuincemus: si sustinemus, & conregnabimus. Multa tribulationes iustorum.

LONGVM esset omnia virtutum insignia, quæ in Martino fulserunt, persequi, DEO Sanctum suum præstantissimis miraculis ac rebus clarissimè gestis mirabiliter illustrante, neque minùs per illum admonēte posteros, vt huius verè Apostolici viri memoranda, nec satis vnquam laudata sectentur exempla. Tres ille mortuos, quod valde paucis post Christum contigit, ad vitam excitauit. Nunquam idem iratus, mœrens aut ridens à quoquam visus est, nunquã in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat: & quoniam perpetua mentis æquabilitate & tranquillitate gaudebat, cœlestium etiam ciuium visitatione & colloquio subinde fruebatur. Laborans extrema feбри, quæ illum absumpsit, cum iam suis mortem sibi imminentem prædixisset, summus quæ illos mœror & luctus occupasset, & ipse collacrymatus est; atq; ad DEVM conuersus, totus enim misericordiæ visceribus affluebat, hoc solum rogabat: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. Etenim inter spem amoremque positus, dubitauit pænè quid mallet, quia nec fratres deserere, nec à Christo volebat diutius separari. O' virum ineffabilem, inquit Sulpitius, nec labore victum, nec morte vincendum, qui in nullã se partem pronior inclinauerat, & idcirco nec mori timuit, nec viuere recusauit. Quid? quod in ardentissimis febribus à Dei opere non cessabat, sed pernox in orationibus & vigilijs fatigantes artus seruire cogebat, & à nobili strato suo, cilicio nimirum & cinere, non pòterat amoueri. Oculis ille ac manibus in cœlum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat, de antea acta quidem vita tam benè sibi conscius, vt astantem tetrũ demōnem conspicatus nihil vereretur, sed infracto animo illũ repellens diceret, Quid hïc astas

Prou. 17.
Eccles. 34.
Actor. 14.
2. Tim. 2.
Psalm. 33.

Ecclef. 13.

cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies, Abrahæ me sinus excipiet. Atque cum hac voce spiritum diuinis operibus fatigatum, & à sanctis Angelis expectatum suo reddidit Creatori. Et sunt adhuc, proh dolor, qui Martinum omni abstinentiæ, continentiæ & sanctimoniæ assuefactum ita praposterè colunt, vt gula ventris que studium cum præsentis eius festo coniungant, quemadmodum si ille Baccho seruire, & genio indulgere vnquam docuisset. *Que autem communicatio sancto homini ad canem? vt Sapientis verbis vtamur.*



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt ego Apostolorum, & huius Martini crebrò memor, lucernam siue lucem Catholica doctrina puram, & alijs piè splendentem præ me feram, adeoq; aliorum vel errantium, vel peccatum tenebris lucem & splendorem præbeam.

ORABO insuper, vt his qua instituo, sinceram intentionem semper adiungam, mea q; consilia, verba & opera impuro atque peruerso mentis oculo non sinam deprauari, sed vt primùm semper DEI regnũ & iustitiam eius, iuxta præceptum Domini queram.

MEMINERO insuper DEVM precari, vt multos Martinos & irreprehensibiles Episcopos habeat Ecclesia, hac præsertim ætate, qua vigilantes idoneosq; ministros & magistros Ecclesiarum maximè postulat.

DE MVVM à Domino petam, ex pcurimis & maximis Martini virtutibus saltem aliquas in animo meo reuiuiscere, potissimùm fidem, spem, charitatem & iustitiam Christianam, vt his ego præstidijs adiutus, absq; peccato lethali viuam ac moriar, nullumq; locum in me Satana in vita, vel morte concedam.



IN DIE FESTO
SANCTÆ CATHARINÆ
VIRGINIS ET MAR-
TYRIS.

Sequentis Euangely Argumentum.

EVANGELICA & præclara isthæc parabola est de decem virginibus à Christo recitata, quæ vniuersum præsentis Ecclesiæ statum nobis pulchrè depingit, vt sciamus in illa, tanquam arca Noë, munda & immunda animalia contineri, quodque illa veluti sagena, bonos ac malos pisces ad mundi finem vsque coniunctos asseruet. Hic & Christus delineatur, qui sit sponsus virginum, id est, cunctorum Fidelium in eadem Ecclesiæ domo commorantium, veramque fidem consentientium caput: qui præterea sit iudex futurus in vera fide morientium, vt bonos à malis dirimat, electis quidem & vigilantibus gaudium, reprobis autem ac negligentibus supplicium æternum redditurus. Vnde monet hæc parabola permagni referre, vt qui cœlestes nuptias, Christumque sponsum expectant, non sola fidei confessione & pia precatione cõtentisint, verùm etiam hoc breue vitæ curriculum fructuosè transigant, qui vocante Domino, bonorum operum commeatû sibi paratum habeant, ac venienti sponso cum lucentibus sinceræ conscientiæ, piarumque operationum lampadibus occurrere possint. Solæ virgines, quæ lampades oleo instructas & ardentes habebant, cum sponso ad nuptias introierunt: fatuis autem & imparatis virginibus, quidquid crederent, sperarent, orarent & expectarent, cœlestis regni

In cap. 25.
Matth.

Homil. 52.
in Matth.

Iacob. 2.

fores præclusæ manserunt, nullumq; vel seræ confessio-
nis, vel pœnitentiæ, vel precationis fructum assequi po-
tuerunt. Proinde iustum nobis merum studiumque vigi-
landi Christus inculcat, & ab omnibus maturè vult adhi-
beri. Vnde quia ignoramus omnes iudicij diem, vt Hiero-
nymi verbis vtar, sollicitè nobis lumen bonorù operù præ-
paremus, ne dum ignoramus, iudex veniat. Atque Chry-
sostomi ea vox est: Verè fatui sunt omnes homines, qui so-
lùm existimant sibi posse sufficere ad salutem, quia credût
in Christum, & Christiani dicûtur, & non festinant semet-
ipfos bonis operibus commendare, nec audiunt Iacob-
bum dicentem, Fides sine operibus mortua est.]



EVANGELIUM MAT-
thæi XXV.

Dixit IESUS discipulis suis: Simile est re-
gnum cœlorum decem virginibus: quæ acci-
pientes lampades suas exierunt obuiam spon-
so & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fa-
tue, & quinque prudentes. Sed quinque fatue,
acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes
verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Noctam
autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.
Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exi-
te obuiam ei. Tum surrexerunt omnes virgines illæ: & orna-
uerunt lampades suas. Fatue autem sapientibus dixerunt:
Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguan-
tur. Responderunt prudentes dicentes, Ne fortè non sufficiat
nobis & vobis, ite potius ad vendentes: & emite vobis. Dum

autem

autem irent emere, venit sponsus: & quae paratae erant, intra-
uerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè ve-
rò veniunt & reliquae virgines dicentes, Domine, Domine,
aperi nobis. At ille respondens ait, Amen dico vobis, nescio
vos. **VIGILATE** itaq, quia nescitis diem neq, horam.



**NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIVM
ET FESTVM.**

*Simile est regnum caelorum decem virginibus, quae
accipientes lampades suas, exierunt obviam spon-
so & sponsa.*

LAETVS ac hilaris me ad Christum conuertam,
ac semotis curis omnibus, reuerēter ei gratias agā,
quòd secundum aeternam praedestinationem suam
nobis Fidelibus non modò creatorem ac redem-
ptorem, verum etiā sponsum, quo nihil dici ac aestimari ama-
bilis potest, sese praestare dignetur. Etenim Iohannes etiam
Baptista se sponsi huius vocat amicum, qui propter vocem
sponsi gaudet vehementer, & in suae matris utero ob Christi
& matris eius praesentiam mirum in modum exultat. Tum
in Prophetiis literis praedictum habemus, quòd Messias
tanquam sponsus processurus esset de thalamo suo, & super
sponsam suam gauisurus. Sed & totius exultantis Ecclesiae no-
mine, quae in Scripturis sponsa vocatur, illa verba pronuncians
tur: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo
meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento iustitiae cir-
cundedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Immodò verò
Christus non dubirat se ipsum sponsi nomine, suosque disci-

Iohan 3.
Luc. 1.

Pfalm. 18.
Isai. 62.

Isai. 61.

Matth 9.

Marc. 2.
Luc. 5. |
Osee 2.

Rom. 3.

Ephes. 5.
Cant. 4.
& 5.

1. Petr. 2.
Galat. 6.

1. Cor. 6

2. Cor. 11.
Galat. 3.

pulos sponsi filios appellare, qui & per Oseam loquens, hoc dulcissimè pollicetur Ecclesiæ, & singulis eius membris: *Sponsabo te mihi in fide, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.* Nec multò post: *Sponsabo, inquit, te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.* In quibus verbis notabo iustificationem nostram, cuius toties Apostolus meminit, ab Osea Propheta desponsationem iucundè nuncupari, & per Christi aduentum nō modò Iudæis, sed etiam Gentibus dari ex mera Dei gratia & misericordia, Christo debita nostra solvente, fideque nostra viua, qua in Christum crucifixum credimus, accedente. Vnde Paulus quoq; scripsit, *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem qua est in Christo IESU, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Quòd verò DEVS Ecclesiam sibi desponsarit in Christo, idem Paulus Ephesijs, & Salomon in Cantico suo apertè confirmavit.

HINC ego, si sapiam, intimum gaudij sensum capiam, quandoquidem talem ac tantum animæ meæ sponsum non modò promissum, sed etiam verè exhibitum acceperim, quādo illi nomen in sacro baptismo dedi, vt iure mihi gratuler, quòd ex impuro & sordido Satanæ seruo, Christi membrum & sponsa effici potuerim, & inter Euangelicas virgines inuenirim locū. Etenim sicut omnes Adæ filij, virgines ac incorrupti nascuntur: ita & Dei filij, gratiæq; Christianæ participes, in sacro baptismo spirituales virgines renascuntur, qui sicut Petrus loquitur, quasi modò geniti infantes, à peccatorum sordibus expurgantur, ac nouæ prorsus fiunt creaturæ. Quare Paulus baptizatos omnes alloquens, eorumque nobilitatem per Christum partam commendans dixit: *Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine IESU Christi Domini nostri.* ac rursus: *Desponsaui vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Quicumq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Deinde cur de Christo animæ meæ sponso vt ditissimo, ita & liberalissimo non in sinu gaudeam, cū sponsum alium in orbe vniuerso reperire neutiquā possim, qui sponsæ vel vxori suæ

tantum

tantum curæ ac operæ tribuat, illamque rectius purget, sanctificet, informet, nutriat, vestiatur, ornet atque custodiat, ut illi per omnia in præsentis futuroque sæculo, nec minus in corpore quàm in animo sit abundè prospectum. O immensam sponsi huius gratiam, & inexhaustam bonitatem mihi semper commemorandam, quæ non solum in ipso baptismi sacramento per verbum vitæ accipitur, verum etiam eodem duce Christo retinetur, atque ita perficitur, ut anima Christiana fiat sponsa, sicut Iohannes ait, ornata viro suo, verèque hæc dicere queat: *Omnia possum in eo qui me confortat. Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, quiq; testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Accedit & illa consolatio regeneratis, quod licet spirituales quam diximus, virginitatem amiserint, & acceptam innocentiae vestem candidam foedè polluerint, tamen eundem sponsum habeant loco Samaritani & medici, siue ut Petrus ait, pastoris & episcopi animarum. *IESVS enim Christus heri & hodie: ipse & in secula,* plenus gratia & veritate, qui per Ieremiam Prophetam lapsos etiam atque relapsos adeò blandè consolatur, ut dicat, *Vulgo dicitur, Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuere ad me, dicit Dominus.* Acque suaue est, quod per Isaiam hic sponsus cuius facillè placabilis ita promittit, *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Consonat his ferè quod apud eundem Prophetam dicit Dominus: *In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus. Misericordia mea non recedet à te, & fœdus pacis meae non mouebitur: dixit miserator tuus Dominus.* Tam bonum & pium sponsum habemus, si poenitentes ad illum cõfugimus, & cum illo reconciliari volumus: quoniam fornicantes etiam, adulteros & meretrices haud gra-

Ephes. 5.
Apocal. 21.
Philip. 4.
Rom. 5.
& 8.

Luc. 10.
1. Petr. 2.
Hebr. 13.

Ierem. 13.

Isai. 49.

Isai. 54.

Iohan. 4.
& 8.

Luc. 4.
Itai. 61.

uatim excipit, & sanat corde contritos, amissamque corruptis restituit virginitatem.

VBI ego virginum illarum prudentiam ac nobilitatem amabo, quæ sponsum Christum sibi delegerunt, ac integram illi fidem præstare contendunt, vt in futurum sibi benè prospiciant, ac prodeunti sponso paratæ obuiam ire, cœlestesque cum illo nuptias in perpetuum celebrare possint. Alludit autem Euangelium ad veterem morem, quo nuptiale conuiuium vesperi cum gaudio celebrabatur, & sponsus quidem honestè deductus, cum iret ad sponsam, obuias habebat virgines, quæ suas lampades oleo instructas ac lucentes adferrent, sponsum ipsum præstolantes, & cum gaudio excipientes, cum in domum sponsæ ingrederetur. O si mihi quoque contingat, prudētibus virginibus annumerari, semperque cum hoc ornatissimo sponso coniunctam retinere amicitiam, & ad futurum illius occursum, quodocumque venerit & vocarit, paratum, illoque dignum adferre obsequium, vt cum illo ipso ad cœlestes deducar nuptias, & ab amatis illius amplexibus nunquam diuellar. Tunc enim tempus erit plenè gaudendi, quando conuiuæ omnes collecti, vno velut ore concinēt illud epithalamium: *Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius preparavit se.* Idemque Apostolus Iohannes hoc scribere iubetur: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, si nempe suæ vocationi vigilando satisfaciant.* Felices profectò virgines, quæ, dum licet, ita se comparant, vt sententiam illam sponsi diligētè obseruent: *Ecce venio sicut fur: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videat turpitudinem eius.* Optabo mihi quoque hoc oleum suppetere, vestem nempe nuptialem charitatem, sicut Augustinus & Gregorius interpretantur, de qua dixit & Paulus: *Si charitatem non habueris, nihil mihi prodest.* Qui enim non diligit, vt alius testatur Apostolus, non nouit DEVM, & manet in morte. Quòd si Chrysostomum ac Theophylactum sequimur, per oleum accipere licet eleemosynam, vt nempe Fidelis de sua substantia paupe-

Apocal. 19,

Ibidem.

Apocal. 16.

In hoc Euang.
1. Cor. 13.
1. Iohan. 4.
In 12. c. ad
Hebr. Homil. 28.
In præsens Euang.

res sub-

res subleuet, seque misericordem proximo reipsa declarat, diuinam gratiam recepturus. *Beatus enim vir*, ait Psalmographus, *qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Date inquit Christus, & dabitur vobis. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

N V L L A verò mihi sit pars cum fatuis virginibus, quæ speciem pietatis habentes, virtutem eius abnegant, & cū sanctis in eadem veluti domo commorantes, veræ ac sinceræ sanctitatis manent expertes, vt veluti corui aut vultures vnà cum columbis habitare videantur, non dissimiles ijs, de quibus Deus ipse per Iohannē queritur: *Blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & nō sunt, sed sunt synagoga Satanae.* Monet interim Chrysostomus, fatuis virginibus, de quibus hīc agitur, non infidelitatis aut peruersæ fidei notam, sed olei tantum defectum inuri. Cognoscunt enim veritatem, sponsum confitentur & inuocant, religionis probum specimen præ se ferunt, & prudentibus sodalibus libenter sese adiungunt, quibuscum cupiunt perpetuò viuere & gaudere in cōiuiui nuptiali. Et tamen excluduntur, ac pro inimicis reijciuntur omnes, quoniam sola fide cōtentæ, super ipsum fidei fundamētum, vt Paulus loquitur, nō superædificant aurum, argentum & lapides pretiosos, Deoq; credētes bonis operibus præesse nō curant, labijs magis quàm corde summum bonum amantes ac honorantes. Quasi verò parū aut nihil referat, vt fideles iuxta Petri sententiam, per opera bona certam faciant suam vocationem & electionem, Deumq; diligāt opere ac veritate. *Dominus enim*, vt Scriptura testatur, *retribuet unicuiq; secundum iustitiam suā & fidem.* Pro quo sanè Paulus fidelibus dixit: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* O somnum inertem, noxium ac pudendū, quo hæ virgines oppressæ, tempus gratiæ vt optimum, ita & breuissimum frustra consumūt, seque à vigilandi officio impediri sustinēt, atq; ita quum Deo purè non seruiunt, bonis & gaudijs fraudantur æternis. Hoc exemplo & alieno damno reddar ego cautior, meq; subinde commonefaciam, ne rebus & curis humanis intentus, potio-

Psal. 40.
Luc. 6.

Matth. 5.

Apocal. 2.
In 6. cap.
Zachar.

1. Cor. 3.
Tit. 3.
Matth. 15.

2. Petr. 1.

1. Iohan. 3.

1. Reg. 26.

1. Cor. 3.

Luc. 12.

ra æterna negligam. Finem ergo mihi à DEO præstitutum sæpè intuebor, vt cum ministris vigilantibus & virginibus verè prudētibus vigilem diligenter, ne alioquin incertus venturi sponsi aduentus, ac improuisa mors me obruant imparatū.

Eccles. 14.
& 18.

Confirmat hanc salutarem vigilantiam, quod vnicuiq; verbis illis mandatum est: *Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Ante iudicium para iustitiam tibi: ante languorem adhibe medicinam: ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationē. Quodcumq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erūt apud inferos, quò tu properas.*

Eccles. 9.

Hebr. 10.

VB I peculiariter obseruabo, quàm verè monuerit Paulus, horrendū esse incidere in manus Dei viuentis; nec modò peccatoribus, sed etiam sæpè sanctis diuini iudicij terribilem esse expectationem. En tibi presentes has virgines, quæ licet grauius vitijs & fœdis voluptatibus obnoxia nō sint, veramq; habeant Dei cognitionem, & cum prudētibus sodalibus in vera Ecclesia perseuerent, suamque fidem & spem in sponsum erectam seruent: tamē repulsam patiuntur, & tanquam extraneæ atque adulteræ sic puniuntur, vt seuerum & implacabilem iudicem sentiant, quocum serò pœnitentes recōciliari nunquā possint. Illud enim audire coguntur, *Nunquā noui vos. Discede à me operantes iniquitatem. Ite in ignem æternum.* Manet firmum & irreuocabile decretum, vt ianua diuinę misericordię, quæ omnibus in hac vita pœnitentibus rectèq; operantibus patet, post hanc vitam imparatis & negligentibus occlusa sit, nullumq; vel pœnitentię, vel veniæ locum illis relinquat. Rectè igitur monet Gregorius: *Quia & vêturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari nō possumus: superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cum venerit, vincetur, si priusquam veniat, semper timeatur.]*

Matth. 7.
& 25.Homil. 13.
in Euang.Serm. 3. de
Innocent.

Notat etiam Augustinus in hunc modum: *Veniet dies nouissima, veniet dies iudicij, quādo eis nec pœnitentiā licebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt*

moriens

moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.]
 Eòque magis mihi semper fuerit vigilandum, omni salta secu-
 ritate submotâ, vt ne cum hisce fatuis virginibus plectar, me-
 que stultitiæ pœnas meritas luam. Vnde mihi maturè prospici-
 ens, diuinâs illas voces studiosè complectar: *Querite Domi-
 num, dum inueniri potest. inuocate eum dum propè est. Ambulate
 dum lucem habetis: veniet enim nox, quando nemo potest operari.
 Dum tempus habemus, operemur bonum. Ne tardes conuerti ad
 Dominũ, & ne differas de die in diè: subito enim veniet ira illius.*

DO L E B O interim tam paucas repetiri virgines vigilan-
 tes atque prudẽtes, quarũ lampades luceant & ardeant, sicut
 sponsus exigit: plurimas verò ubiq; gentiũ corruptas extare,
 quarũ lampades extinctæ videantur, & quæ in vtramuis velut
 aurem dormiant, parum aut nihil sollicitæ de aduentu sponsi
 sui, vanaque fiducia diuinæ bonitatis & gratiæ sese cõsolantes.
 Quotquot enim fidem sinceram adferũt, & mortali peccato
 se polluunt, nõ Christo sponso adherent, sed potiùs dæmoni
 sese permittunt & copulant, & ad classẽ fatuarum virginum
 spectant. Inter has autem illæ virgines maximè sunt mihi de-
 plorandæ, quæ fidem orthodoxam ante omnia necessariam
 deserũt, suasq; animas nouis falsisq; doctrinis constuprandas
 prostituunt, vt pro fide perfidiam complectantur, ac alteri vi-
 ro se nequiter tradant: quoniam insanis illorum vocibus cre-
 dunt, qui nũc passim iactare audent, *Ecce hic est Christus: ecce
 illic.* Eiusmodi homines adulteros & meretrices dici legimus,
 quoniam non solùm à Christo sponso, sed etiam à sacro eius
 corpore quod est Ecclesia, per sacrilegium sese disiungunt,
 nullamq; in Dei regno partem accipere possunt. In his com-
 plentur verba illa Prophetica: *Spiritus fornicationum decepi-
 eos, & fornicata sunt à DEO suo. Tu fornicata es cum amatori-
 bus multis.* Ac olim quidem castitatis amor & cultus tantus
 erat hæreticis, vt multas virgines in sua secta numerarent, præ-
 fertim Manichæi, Ariani, Donatistæ. Sed rectè censet Chryso-
 stomus, hæreticorum continẽtiam omni fœda libidine flagi-
 tiosiore esse: & monet Hieronymus, hæreticorum virgines

Isai. 55.
 Iohan. 12.
 & 9.

Galat. 8.
 Eccles. 5.

Matth. 24.

Osæ 4.
 Ierem. 3.

Epist. ad
 Eustoch.

In Psalm.
147.
& tract. 13.
in Iohan.

pro scortis reputari oportere. Verùm nos postea de Catho-
licis, probisq; virginibus differemus, satis habentes nunc mo-
nuisse, quòd ex fatuis virginibus illę primas teneant, quæ in fi-
dem ipsam impingunt, de sua iustitia sine fide gloriantur.
Rectè Augustinus: *Virginitas in carne, corpus intactum: vir-
ginitas in corde fides incorrupta.*] quæ nulla scilicet erroris
labe vitiata sit.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Matth. 24.
& 25.
Marc. 13.
Luc. 12.
& 19.

Matth. 26.

Marc. 13.

Lib. 83.
quæst. 59.

Luc. 12.

VALDE mihi chara, & inprimis commendata semper
erit hæc aurea sententia, quę præsentis Euangelij, seu Euange-
licæ parabolę summa & scopus est; quam & summus magister
ore sacro sapius repetiuit, multisq; verbis & parabolis, ne vn-
quam nobis excideret, luculenter illustrauit. Huc enim spe-
ctant traditæ ab illo similitudines de patrefamiliâs, qui supra
domus suæ administrationem vigilat, de quę fideli seruo, qui
aduētum Domini vsq; præstolatur: quemadmodum & de do-
mino, qui peregrè proficiscitur, suisq; seruis talēta quibus ne-
gotientur, distribuit atque partitur. Nec malè cum hoc ipso
Christi verbo cõuenit, quod in horto discipulis præcipitur:
Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Et ne quisquam
putaret, hoc vigilantiæ studium & præceptum ad solos Apосто-
los pertinere, dilertè Christus admonet: *Quod vobis dico, om-
nibus dico, Vigilate.* Vnde scribit etiam Augustinus: Nõ modò
illius vltimi temporis, quo vëturus est sponsus, sed suæ quisq;
diem dormitionis & horam nescit. Quisquis autem paratus
est vsque ad somnum, id est, vsque ad mortem, quæ omnibus
debetur, paratus etiam inuenietur, cùm illa vox media nocte
sonuerit, qua omnes euigilaturi sunt.] Proinde mihi planè
persuasum habebø, permagni momenti esse negotium, ob
quod Christus, vt ardētissimus humanæ salutis amator, ac fu-
turus idem omnium iudex, toties de vigilando concionatur.
Qui neque satis habet ad bonorum consolationem dicere,
Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes,
sed ad terrorem quoq; fidelium in Apocalypsi tam grauiter

monet

monet atque interminatur; *In mente habe, qualiter acciperis & audieris: & serua, & pœnitentiam age. Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.* Væ igitur mihi non prudenti sed fatuo, si tam solliciti boni q; pastoris, & feueri postea iudicis vocem non audiam, sed surdis velut auribus transmittam, sciens & non faciens Domini mei voluntatem. Nō enim fallit illa Christi regula: *Seruus qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non se preparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis.*

QV I D autem est obsecro vigilare, & quibus de causis vigilare debeo, ut Christi præcepto satisfaciam? Sanè uita hæc quam in terris degimus, absque uigilia & somno constare homini non potest, ideo q; Christus ipse in puppi super ceruical dormiuit, quem discipuli expergefecerunt, & suis ipse dixit, *Dormite iam, & requiescite.* Eos interim Scriptura increpat, qui nimium somno indulgent, seq; dedunt ocio & socordia, sic dicens: *Vsquequò piger dormis? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas ut dormias.* Dormiuit & Elias in umbra iuniperi, & Samuel in templo ubi erat arca, quemadmodū & Tobias somno se tradiderat, cū in dormientis oculos inciderent calida stercora, eum q; obcæcarēt. Nec semel Angelus in somnis Mariæ sponso apparuit, & Petrum dormientem inuisit, & è carcere liberauit. Verū notabo, præter somnum corporis naturalem, quem DEVS primo parenti etiam ante peccatum inmisit, alium esse animæ somnum. Dei nempe obliuionem, legis q; diuinæ præuaricationem, ut hinc Apostolus clamet, *Surge qui dormis & exurge. Hora est iam nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Igitur Euangelicum vigilare nihil est aliud, nisi puram & inculpatam uiuendi rationem instituire, siue ut Apostolus ait, abijcere opera tenebrarum, & arma lucis induere; vel sicut alibi loquitur, sobriè, iuste & piè uiuere in hoc seculo. Qui uerò sciens & uolens peccat, à sole iustitiæ nunc fulgente Christo sese subducit, & pro luce tenebras amplectitur, nec uocem illam obseruat Propheticam, *Illuminare*

Apocal. 3.

Luc. 12.

Marc. 4.

Matth. 26.

Prou. 6.

3. Reg. 19.

1. Reg. 3.

Matth. 1. 2.

Actor. 12.

Genes. 2.

Ephes. 5.

Rom. 13.

Eod. cap. &

Tit. 2.

Isai. 60.

quia

1. Cor. 15. *quia venit lumen tuum. Quare Paulus etiam disertè mandat, Vigilate iusti, & nolite peccare.* Rectè igitur & præclarè cū illo agi putabo, qui inobedienciæ negligentiæq; somno ac torpore discussio, cū Propheta regio ex animo canit: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo*, quiq; cum illo sæpè precatur: *Illumina oculos meos, ne unquã obdormiam in morte.* Qui verò fidei luce & charitatis ardore carentes; quasi mortifero somno corripuntur, & in tenebris iacent, hos iubet Apostolus à mortuis exurgere, vt à Christo illustrentur, & redimere tempus, quoniam dies mali sunt. *Propterea nolite, inquit fieri imprudentes: sed intelligetes qua sit voluntas Dei.* Tam multa & magna Christus complectitur & à Fidelibus exigit, cū eos ad vigilantiam vocat, & filios lucis agere iubet.

CAETERVM hîc inquirendę sunt mihi causę, ob quas Christus omnium futurorum præsciis, ac totius orbis iudex, hanc sanctam vigilantiam tanta vrget contentione. Dolet illi tam cæcos & stultos esse mortales licet fide præditos, vt cū in rebus alijs castina die perituris sapiant, in eo maximè desipiant, quòd malè securi, plerunq; imparatè, repugnanter & coactè ex hac vita decedant. Vnde alibi etiam queritur: *Filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Malè illum habet, tales in Ecclesia sua fideles per omnes ætates cõperiri, qui magna sollicitudine congerendis opibus inhient, ingentiq; studio & cupiditate habendi atq; gaudendi distineantur: *Omnes enim qua sua sunt, quarunt*) de futura, verò & æterna vita, ad quam nati & renati sunt, curam & cogitationē seriam à paucis adhiberi, quandoquidem spinæ in illis bonum Dei semen suffocant. Agnoscit, in Christianis plurimis hypocrisin latere, vt quæ faciunt, sine spiritu, sine charitate & sinceritate faciant, & neq; timore neq; amore incitètur ad extremā illam horulam ritè ponderandam, ex qua pendet cuiusq; salus & vita perpetua, & ad quam illud etiam dictum spectat: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Offendit eundem, vineam suā à plerisq; colonis tam perperam excoli, perinde ac si laboris impensū vel neglecti ra-

tionem

tionem nullam habeat Deus, & quasi certum iustis præmium, iniquis autem supplicium post mortem non sit destinatum: atque reddendum: nihil enim apud illos efficit, quod æterna veritas dixit atque sanxit: *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Animaduertit, commune, & ferè perpetuum hoc esse malum in Ecclesia, vt quæ cum morte pericula coniuncta sunt, & pergrauem plerisq; perniciem creant, in memoriam sedulo non reuocentur, præsertim de morte incerta, de Satana insidiatore, ac statu morientium planè calamitoso. Vident cuncti ob oculos, vt morte ipsa nihil est certius, ita vicissim nihil incertius esse, quàm vbi, quando, & quomodo mortales extinguantur. **AC DE VM** quidem ipsum esse nouimus, à quo mors hominum, & funesta illius genera toto orbe proficiſcantur. *Stipendia enim peccati mors;* & Christus ipse clauis mortis & inferni habere dicitur. *Ego, inquit, occidam, & ego viuere faciam.* Proinde Sodomitas ille sulfure ac igne perditos in momento subuertit, Pharaonem regem cum ingenti exercitu in mari rubro aquis obruit, Core, Datan & Abiron cum sua seditiosa cohorte ad inferos vsque detrufit, Absolonem verò & Iudam infami morte puniuit. Qui verò à Iohanne draco magnus & serpens antiquus, fratrum nostrorum accusator, orbisq; totius seductor dicitur, quem & Petrus leonem rugientem appellat, licet per omnem vitam nostras deuorare animas cupiat, tamè nullū est tempus, quo vehementiùs ille omnes sue verſutix neruos intendant ad nos euertendos, suæq; potestati subijciendos, quàm cum impendère nobis exitum vitæ perſpicit: vt huc etiam pertineat, quod à Iohanne scriptum legimus: *Va terra & mari: quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* Quis verò satis explicare possit, quàm miserè agatur cū morientibus, qui humanis præſidijs destituti, dum extremis corporis doloribus acerbissimè confluantur, nec minùs intolerabili malæ conscientix verme rodète discruciantur; multisq; modis à dæmõnibus & hominibus in agenda pœnitentia sæpè impediuntur? Quid il-

Iohan. 5.

Rom. 6.
Apocal. 1.
Deut. 32.
Genes. 19. &
Thren. 4.
Num. 16.2. Reg. 18.
Matth. 27.
Apocal. 12.

1. Petr. 5.

Apocal. 12.

Thren. 5.

Pſalm. 101

Iob. 31.
& 19.Pſalm. 17.
& 114.

Ecclef. 12.

Iſai. 38.

Matth. 10.

Matth. 20.

Rom 14.

lis animi eſſe putemus, quando ſummam Chriſti iudicis equitatem, & irreuocabilem cenſuram breui ſecuturam expectāt, & haud minùs de animæ quàm de corporis ſalute vel dubitant anxiè, vel ſolicitè cogitant, ſæpè & precandi, & loquendi, & audiendi facultate priuati? Certè in triſtiſſimas illi voces erumpere poſſe vidētur vt exclamēt: *Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter: cecidit corona capitis noſtri: ve nobis quia peccauimus. Defecerunt ſicut ſumus dies mei, & ſicut umbra declinauerunt, & ego ſicut ſænum arui. Quid faciam, cum ſurrexerit ad iudicandum Deus, & cum quaſerit, quid reſpondebo illi? Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Torrentes iniquitatis conturbauerunt me: circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Cur mihi cordi non fuit conſilium Sapientis? qui fideliter monuit: Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat dies afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas, Non mihi placent.*

QVAPROPTER maiorem in modum lugebo, bonam vitæ meæ partem ſic eſſe conſumptam, vt dormiuiffè magis quàm vigilaffe videar, nec ſatis illam Iſaiæ ſententiam corde perceperim, *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Lugebo inquam, quòd cum fatuis virginibus tam diu lampada geſtauerim ſine ardente & lucente oleo rectæ ac meritoria operationis. Ita vero poſthac inſtituam vitæ meæ rationem, vt velut è graui ſomno expergefactus, è tenebris ad lucem prodeam, & me ſeruis adiungam vigilātibus, qui ad ſponſum breui venturum excipiendum ſic ſe præparant, vt perpetuas excubias agere videantur. Timebo illum, qui in Euangelio dixit: *Timeſte eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Laborabo in vinea ſummi Patris familiâs, vt cū fidis eius operarijs denarium, immò mercedem æternam aſſequar. In iuſtitia & ſanctitate ſine hypocrifi & cunctatione illi ſeruiam, qui me ſibi totum deuinxit, vt corpus & animam eius cultui & amori penitus debeam. *Nemo enim noſtrū ſibi viuuit: & nemo ſibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: ſiue mori-*

mur, Domino morimur, Apostolo teste. Obseruabo furem, sicut Christus seipsum appellat, & à Petro scribitur, diem Domini vt furem aduenturum, quandoquidem mors velut missus à Christo nuntius & hospes inexpectatus, solet arreperere, quando minima de illo cogitatio, nullaq; formido est dormientis: qui si vigilaret, domum certè suam seruare posset indemnem, nullum vt ab occulto fure & insidiatore caperet detrimentum. Quare non ero similis Isboseth, qui cum Saul regis esset filius, vel medio die secure cubabat in lecto, & inter dormiendum à duobus latronibus obruncatus perijt. Et si verò quod Christus affirmat, vigilandū nobis esse quia diem ignoramus, ad vltimū iudicij diem, quo cœlum & terra transibūt, & noua fient omnia, referri commodè potest, tamen Augustini sensum amplectar, vt eundem locum de extremo die, quo quisque migrat ex corpore, intelligam. Sic enim ille ad Hefychium scribit; Vnusquisque debet etiam de die huius vitæ nouissimo formidare. In quo enim quemque inuenerit suus nouissimus dies, in eo eum comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.] Cùm verò Euangelicis verbis hoc probasset, subiicit postea: Tunc vnicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est eo die: ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eū Domini aduentus. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenierit suæ vitæ huius vltimus dies.] Illud ergo mihi curandum putabo maximè, vt ad vigilantia officium debitum in hac vita prestandum, mihi modò longa & fallacia viuendi spacia minimè promittam. Sufficit enim diei malitia sua, & in medio vitæ cursu concidunt plurimi. Ad hæc quemlibet diem velut vltimum à Deo mihi concessum excipiam, nec sine timore dicam illud quod scriptum est: *Memor esto quia mors non tardat. Rex hodie est, & cras morietur. Ecce iudex ante ianuam assistit. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: que autem paraasti, cuius erunt?* Vbi rursus meminero Augustini, qui sæpè amicis & fratribus præclare dicere solebat, sicut

Apocal. 3.
& 16.
1. Theff. 5.
& 2. Pet. 3.

2. Reg. 4.

Luc. 21.
Apocal. 21.

Epist. 30.


Matth. 6.

Eccles. 14.
& 10.
Jacob. 4.
Luc. 12.
In vita S.
Augustin.
cap. 31.

Philipp. 1.

scribit de illo Possidonius, bonis Christianis & Sacerdotibus id prouidendum esse, vt post Baptisma susceptum, sine digna & competenti pœnitentia de corpore non egrediantur. Denique tunc mecum præclare agi existimabo, si Pauli spiritum & exemplum sequens, mortem nō timeam, sed fidenter expectem cum ijs omnibus, qui Christi Domini aduentum diligunt, & peculiare inde gaudium capiunt cum conscientia bona coniunctum. Hi suam mortem excipiunt perinde ac natalem diem finemque laborum, & initium coronarum, verūque transitum ad beatam immortalitatem. Nōrunt quippe, quā rectē ab eodem Paulo de probatis & electis Christi militibus ita scribatur: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod edificationem ex DEO habemus, domum non manufactam æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupient. s.*

2. Cor. 5.



DE BEATA CATHARINA MARTYRE, ET PECVLARITER
de Christiana virginitate.



QVONIAM hic dies diuæ Catharinæ sacer est, neque solum in Latina, sed etiam Græca Ecclesia celebratur, haud fuerit abs re, priusquam de virginibus verè Christianis agamus, de talis virginis historia, quam Euthymius & Metaphrastes confirmant, aliquid commemorare. Laudabo in hac excellenti virgine Christum Dominū, sponsum & sanctificatorem, quemadmodum laudat itidem Ecclesia, nec immeritò de illa publicè confitetur: Hæc est virgo sapiens, & vna de numero prudentum: hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, nimirū vt alludat ad hodiernum Euangelium, in quo prudentium virginum laus est peculiaris. Mirabor huius Alexandrinæ ac illustis Virginis raram pulchritudinem, qua cū in corpore, tum in animo

suas superauit æquales, vt de illa quoque dici possit: *Mulierem fortē quis inueniet? Procul & de ultimis finibus presumpcius. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata*; pro quo vertunt alij, verecunda & fidelis. Fuit sanè illa, si spectes robur spiritus, fortis & inuicta mulier, & sicut Paulus loquitur, virgo carne & spiritu, quæ octodecim annos nata, liberalium artium studia cū Christianæ fidei ardore cōiunxit, tantumq; in pietate profecit, vt mundi opes, fastum, blandimenta & terculamēta cuncta despiceret, & ne Maximini quidem Cæsaris ingentē sauitiam formidaret. Hunc enim idolorum cultui seruientē, & in Christianos impiè grassantem corripuit generosè, quem ad saniolem quoque mentem reducere conata est. Quid admirabilius, quàm quòd in illa ætate ad publicam disputationē impulsā, sese quinquaginta viris doctissimis opposuerit, eosq; disputando conuicerit, vt non solùm ex Ethnicis Fideles, sed etiam cōstantes fidei nostræ professores, adeòq; Christi martyres efficerētur, suū sanguinem lætè profundētes? Suspiciam ingentem fidei zelum sic in Catharina flagrantem, vt Imperatricem, Porphyrium ducem, eius milites, ac plures alios ab Ethnica superstitione auerterit, veramq; docuerit religionē, vt ipsi quoq; mortem pro Christi nomine perpeti non dubitarint. Adhæc magnificiam patientiæ virtutem, quæ nisi in hac virgine florisset, non tam libenter quàm fortiter carceres, flagra, scorpiones, inedia, & reliqua id genus peracerba in tenero ac virgineo corpore pertulisset atq; contempsisset. Omnia enim vt stercore reputauit, vt Christo sponso fidem datam præstaret, illumq; sibi prorsus lucrifaceret. Talem virginem & disputatricem, & in agendo patiendoque strenuam Martyrem nunquam habuit Iudaica synagoga, nec vlla tulit schola philosophorum, vt meritò illā tota prædicet Ecclesia, quæ tandem gladio Maximini percussa, ad duplicatum Virginitatis & Martyrij præmium feliciter euolauit, cuius & incorruptum corpus Angeli post mortem honorasse dicuntur, quando illud in Arabiæ monte Sina terræ mandârunt.

O S I multas, immò vel paucas Catharinas hæc nostra ætas

Prou. 31.
Eccles. 26.

1. Cor. 7.

Philipp. 3.

Galat 3.

Genes. 34.
Marc. 6.
3. Reg. 16.
& 18.
Tobi. 3.
Isai. 3.

2. Theff. 3.

Eccles. 7.

Eccles. 31.

exhiberet, quæ tot corruptis tum virginibus tum matronis abundat, prudentibus interim virginibus, quas Christus exigit & Catharina commēdat, destituta. Dolebo, Catholicæ fidei lucem, quæ tantoperè in Catharina fulsit, in nostris pueris & puellis extinctum ferè iacere, quādo complures in fide magis magisq; deficiunt, & spiritibus erroris attendunt. Precabor ergo Christum, vt veræ fidei & confessionis gratiam in vtriusque sexus iuuentute adolescentiaque conseruet ac augeat, neq; sinat tam multos instar Galatarum in religione nutare, ac velut arundines esse. Liberet nos DEVS puellis, quas les passim se offerunt, curiosis, leuibis, loquacibus, procacibus, inuereundis, superbis, atque ad omnes mundi illecebras confectandas propensis, vt magis Dinæ quàm Catharinæ, & in aula Herodis ac Iezabel, non in domo cum Sara virgine educatæ esse videantur. Nec animaduertunt istæ, à Deo maledicti, & ab Isaiā damnari filias Sion, non ob ingentia flagitia, sed quòd eleuentur & ambulent extento collo, ac monilibus & alijs ornamentis supra modum indulgeant, vt nempe videant ac videantur. Monebit me in super Catharina, quàm turpe sit ac noxium pueris & puellis Christianis, illiberali otio se dedere, & rebus friuolis magis quàm honestis studijs, & quotidiano labori operā dare. Nec enim frustra monuit Paulus: *Audiuimus inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes: ijs autem qui huiusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino IESV Christo, vt cū silentio operantes, suum panem manducent: Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.* Atq; huc etiam spectat parèrum officium, quod Sapiens ita describit: *Fily tibi sunt: erudi illos, & curua illos à pueritia illorum. Filia tibi sunt: Serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.*

PRAETEREA optabo mihi in fide sapientiaque progressum, qualem in Catharina cernimus, quæ potuit transgredi & non est transgressa, & facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Suppetebant ei tot malorum irritamenta, quæ iacturam & perniciem plurimis adferunt,

forma,

forma, ætas, fortunæ, nobilitas, eloquentia, amicorum splendor, exquisita doctrina, vulgi fauor & principum beneuolentia. Sed fixus in Christi amore animus perripit hos laqueos, & vincula dissoluit omnia, nihil vt in mundo blandum, charũ & dulce præter Christũ vnicum reputaret. Cũ Paulo illa gloriari ac testari poterat, *Quis nos separabit à charitate Christi? In omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESV Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Quàm sanctè & suauiter illa sic modulabatur? Regnũ mundi, & omnẽ ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei IESV Christi: quẽ vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi. Erat in illa fortis vt mors dilectio, vt illata tenero virgineoq; corpori supplicia negligeret, nihilq; prius haberet, quàm vsq; ad sanguinẽ inimicis crucis resistere, ac fiduciam suam omnem in sponso Christo collocare, ad cuius amplexus viuens ac moriens penitus aspirabat. Hoc igitur exemplo me quoque commonefaciam, vt Paulinam illam sequar hortationem, qua dictum est: *Nolite amittere confidentiam vestram qua magnam habet remunerationem, Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei faciẽtes reportetis promissionẽ.* Sed iam superest, vt sicuti promissimus, de Christiana virginitate aliquid in mediũ adferam.

MAGNA est omnino dignitas ac ineffabile decus continentia, de qua scriptum habemus: *Felix est sterilis & incoquinata qua nesciuit thorum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum, & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem.* ac iterum: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria. Incorruptio facit esse proximum Deo.* Et Ambrosius perspicuè docet, Dominum nulli vberiora quàm virginitati munera deputasse, idq; verbis Isaia postea citandis comprobat. Athanasius disertè pronuntiat: Magna virtus continentia, ingens gloriatio puritas, magna encomia virginis: *O virginitatis opulentia indeficiens, o virginitas corona immarcescibilis, o virginitas tem-*

Rom. 8.

Philipp. 3.

Cantic. 8.

Hebr. 12.

Hebr. 10.

Sapient. 3.

Sapient. 4.
& 6.De institut.
virg. c. 6.Isai. 56.
Libro de
Virginit.

plum Dei, & domicilium sancti Spiritus, ò virginitas margarita speciosa] Plura id genus encomia virginitatis apud veteres ac probatos theologos passim extant, vt hinc ego non immeritò demirer, ac demirandum putem, hanc talem ac tantam virtutem adeò neglectam incultamq; iacere, & nunc mundū plenum esse Iouinianistis, nuptias virginitati exequantibus, vt nec meritum, nec præmium singulare tribuant sanctæ virginitati. Verū vt sacris literis dūtaxat insistamus, virgines Propheta Isaias vocat eunuchos, qui proli generadæ non dant operam, quasi steriles ac infructuosi sint; his verò DEVS promittit hoc priuilegium, vt locum habeant proprium in domo sua, nomenq; sempiternum, multòq; melius ac beatius quiddam consequantur, quàm reliqui in hoc mundo filij ac filia, quibus matrimonij coniunctio, & liberorum contingit successio. Quæ Prophetica verba sic explanat Basilus, vt affirmet, voluntarijs Eunuchis hic à Deo promitti tum Angelorū immortalium nomē indelebile, tum locum inter illos excellentem in cœli pulcherrima sede, vbi intra septa domus Dei habitent pro eximiæ virtutis suæ splendore. Sed & Augustinus disertè testatur, virgines in suo instituto castè persistentes, gloriam quandam propriam & excellentem accepturas, quæ futura non sit cōmunis cum alijs, licet in eodem regno, & in eādē domo constitutis. Profectò, inquit, habebunt magnū aliquid præter cæteros in illa cōmuni immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne.] De his ipsis Eunuchis nō tantum Isaias, sed Christus etiam ipse differit, ac triplex eorum genus facit, natiuum, factitium, & voluntarium; postremo autem palmam tribuit, & in eo virgines sanctèq; cōtinentes omnes includit. Hi quippe sunt Eunuchi Euāgelici, siue vt Tertullianus vocat, spadones voluntarij, qui sponte se ipsos propter Dei regnum castrarunt vel absceiderūt, quoniam libera voluntate ac religionis ergò permoti, sacram continentiam colunt, suam idcirco mercedem, vt & Cyprianus confirmat, in cœlo percepturi. Etsi verò inter huiusmodi virgines quidā Christi præcesserūt aduentum, sicut Elias & Eliseus à Chryso-

Isai 56.

Libro de virginit.

Lib. de Sancta virginit. cap. 15.

Matth 19.

Taylor genus eunuchorum.

Lib. 1. ad vxorem.

Lib. de disciplina & habit. virg.

stomo numerati: tamen hæc virtus ad Euangelicam legem propriè spectat, & à fidelibus Christianis primùm colit cœpit, sicut antea nunquam in veteri testamento, vbi inter infelices habebantur, qui semen nō haberent in Israël, sed vteri fœcunditate priuarētur. Nec satis Christo Domino visum est vitam in terris omninò puram & castam agere, sed etiam ex illibata virgine suum conceptum & ortum accepit, & Apostolos elegit vel virgines, vel post nuptias cōtinentes: statimq; vt Filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos in terris, vt verbis vtar Hieronymianis. Nec solùm de Matre Domini, sed etiam de Iohanne baptista simul & Euāgelista, de vtroq; Iacobo maiore & minore, quòd perpetuò virgines fuerint, expressè veteres meminerūt. Cæterùm ex Apostolis nemo est præter Paulum, qui virginitatem vberius tractarit, ornarit ac suaferit, quemadmodū hæc illius verba, vt reliqua præteream, nō obscure declarant: *Bonum est homini mulierem non tangere. Volo omnes homines esse sicut meipsum. Dico non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego. De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo autem, hoc bonū esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli querere solutionem: solutus es ab uxore? noli querere uxorem. Si nupserit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori: & diuisus est. Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta & corpore & spiritu. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, melius facit.* Ea propter si doctorem hunc Gentium sequimur, præstat virgo & innupta viduaque coniugibus, & beatior censenda est, nec solùm à curis mundi, carnis tribulatione, varijsq; molestijs & periculis vacua est magis, verùm etiam ad benè beatèque viuendum, ac Deo seruiendum ex-

Lib de virginit. c. 79.

Hieronym. in apologia ad Pam-mach. & epist. 22 ad Eustoch.

1. Cor. 7.

Epist. 3. ad
Probanum
cap. 9.

peditor. Vnde scripsit etiam Fulgentius: Tantum dicimus à sanctis nuptijs, vbi nubunt qui se continere non possunt, sanctam virginitatem meritò potiore distare, quantum distant à bonis meliora, ab humilibus celsa, à terrenis cœlestia, à beatis beatiora, à sanctis sanctiora, à mundis mundiora, à mortali connubio immortale connubium. I

Sapient. 8.

Galat. 5.

1. Theff. 4.

Tobi. 3.

1 Cor. 6.

DOLEBIT ergo mihi, tot modis prædicatæ virginitatis hodie paucos amatores, fidosq; custodes reperiri, qui Pauli Apostoli exemplum, cōsiliū ac doctrinam velint amplecti, vt dicātur & sint veri spadones ac eunuchi Euangelici: plurimos verò passim de suarum virium imbecillitate, ac obseruādi cælibatus difficultate, adeòq; impossibilitate querelas texere, & cōtra veterum omnium exempla carni & libidini patrocinari. Et si enim verè illud dicitur, *Non possum esse continens nisi DEVS det*, & pugnam haud leuem perpetua exigit cōtinentia, quoniam *caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autē aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur*: tamē qui castitatem sanctē & cum voti obligatione semel amplexi sunt, aut amplecti proponunt, hi dubitare nō debent de omnipotentis Dei gratia sibi petētibus & cooperātibus affutura, quæ tot mille pueris & puellis, alijs que Dei seruis & ancillis hætenus cōtigit, vt purum & integrum seruarēt Christo duce cælibatum, vtque sicut Paulus loquitur, vas sūrum possiderēt in sanctificatione & honore. Per quam sanè gratiam castitas non modò possibilis, sed etiam facilis & iucunda DEVM amanti- bus redditur, qui nō solum ab adulterio, & simplici, vt vocāt, fornicatione, omniq; fœda libidine libenter se abstinent, verum etiam corpora sua vt consecrata Deo templa, pura & incoquinata conseruant, & cum Sara licet Mosaicæ legis virgine, bona testātur conscientia: *Tu scis Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia*. Ad quam carnis impuritatem atque concupiscentiam fugiendam, & castitatem omnem præstandam permul- tùm contulerit, si Paulina illa verba ritè ponderentur: *Omne peccatum quodcumq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem for-*

nicatur,

nicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est? quem habetis à Deo. & non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. ac iterum: Nescitis, quoniam templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Quod verò idem Paulus adfert, Si nō se continent, nubant, melius est enim nubere quàm vri, id ad virgines, viduas, & innuptas, quæ nō vouerunt continentiam, est referendum, sicut locum hunc Ambrosius & Theophylactus clarè interpretantur. Hieronymus habet in hunc modum: Si nupserit virgo, nō peccauit: non illa virgo quæ semet Dei cultui dedicauit: harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidē irritam fecit. Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, nō tam adulteræ sunt quàm incestæ. Eadem est prorsus Epiphaniij sententia, quo teste tradiderunt sancti Dei Apostoli, (quicquid noui Gnostici garriant) peccatum esse, post decretam virginatē ad nuptias cōuer- ti. Probant igitur Patres ex ipsis Pauli verbis, inæqualem esse virginum & cælibum continentiam, easq; perpetuò damnari, quæ promissam Deoq; dicatam castitatem rescindunt, quia primam fidem irritam fecerunt, hoc est, voluntatem ad nuptias à proposito continentiaē deflexerunt, vt Augustini verbis vtāmur. Nec solum Augustinus, verum etiā Basilii & Chrysostomi nuptias Monachorum & aliorum nuncupati voti religionem soluentium, adulterio peiores esse confirmant.

TANTO QVE magis hoc nostrum impurum & salax sæculum deplorabo, quod quum tor nupturientes extrudat, omnemq; castitatem oppugnet ac expugnet, Christi confirmat vaticinium, vbi ille de extrema mundi ætate, & abundante eius iniquitate sic dixerit, vt satis ostendat, aduentantis iudicij hoc fore signum, quando neq; pudoris, neque cælibatus ratio habebitur, sed communis Credentium incontinentia passim inualescet atq; obtinebit. *Sicut in diebus Noë, inquit, ita erit & aduentus Filij hominis. Edebant & bibebant: uxores duce-*

1. Cor. 3.

1. Cor. 7.

Lib. ad vir-
gin. lapfam
cap 5.
In eundem
locum.
Lib. 1. con.
Iouin.

Hæres 61.

1. Tim. 5.

Lib. de bo-
no viduit.
cap. 3.
Lib. de vera
virginit.
In epist. 6.
ad Theodor

Matth. 24.
Luc. 17.

bant, & dabantur ad nuptias usq; in diem qua intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Proh dolor, quòd à ueteris Ecclesiæ disciplina sit tam longè discessum, vt homines neque Christi & innumera-
 bilium Sanctorum exemplo, neque Pauli consilio, neque Pa-
 trum instituto, neq; sacri cælibatus commoditate, quã Ethni-
 ci quoque laudarūt, & præmio ad præclaram animi corporis-
 que integritatem permoueantur. Quid verò mirum, conti-
 nentiam & cælibatum in plerisque impediri atque corrumpi,
 nullumque illius meritum & pretium aestimari, quando pro
 Euangelica libertate carnalis regnat licentia, & effreni concu-
 piscentiæ impunè laxantur habentæ, sed & sub honesto matrimo-
 nij velamine, incestæ, sacrilegæ semperque damnatæ nu-
 ptia palàm defenduntur? Vbi Catholici quoque mihi com-
 miserandi simul & reprehendendi sunt, quòd cælibatum in
 veteribus & Ecclesiasticis probent, sed ornare ac munire ces-
 sent his armis, sine quibus velut inermes milites aduersus do-
 mesticum hostem infeliciter pugnant & planè succumbunt.
 Quomodo enim Deo Ecclesiæque promissa castitas conser-
 uari & sanctificari potest, vbi neq; cum Paulo corpus castiga-
 tur, & caro crucifigitur, neq; cum Anna Phanuelis in ieiunijs
 & obsecrationibus Deo seruitur, neque cum Iohanne Bapti-
 sta & Iudith vidua vestium & pœnitentiæ asperitas vlla susci-
 pitur, neque cum Sara mundi ludibria & illecebræ studiosè
 vitantur, neque cum Timotheo à vino & poculis abstinetur.
 Iam sanè mundus ad illam Pauli vocem obsurdescit: *Nolite
 inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto.*
 Quid quòd diuinum quoque præceptum paucis est cordi: *At-
 tendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrie-
 tate.* Obliuiscimur prorsus diuinæ promissionis, quòd qui nō
 nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo, vt
 eum locum de virginibus dictū exponit Ambrosius. Non re-
 uocamus in animum præclara virginum præmia, quod sequā-
 tur Agnum quocunq; ierit, & peculiare decantent canticum,
 sicut Augustinus & Gregorius ea verba interpretantur. Non

1 Cor. 9.

Galat. 5.

Luc. 2.

Matth. 3.

Iudit. 8.

Iobi. 3.

Ephes. 5.

Luc. 21.

Matth. 22.

Lib. 2. de
virginib.

Apocal. 14.

Lib. de san-

perpen-

perpendimus continentiae statum quasi diuinum quoddam esse monile, quod Christus de caelo antea terris ignotum attulit, nec solum in sua, sed etiam in Matris carne consecrauit, & Ecclesiae suae in plurimis per omnes aetates custodiendum tradidit ac reliquit. Quidquid demum fingant & obganniant aduersarij, in quibus nulla viget, sed extincta est omnis continentia, valebit in Ecclesia semper, quod à Cypriano scriptum legimus, virgines cum castae perseverant, Angelis Dei aequales, Ecclesiastici germinis florem, decus ac ornamentum gratiae spiritualis, & gregis Christi portionem illustriorem esse.

eta virginit.
cap. 27.
In 3 parte
cure pastor.

De habitu
& discipl.
virgin.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGE-
lio & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Deus, vt Christum anima mea sponsum charissimum agnoscam ac redamem, cui & me gratam fidamq; sponsam praebeam instar virginum prudentium, quae à fauuis sodalibus distincta, in suis lampadibus oleum ardens habuerunt, & paratae ad nuptias Sponso iuerunt obuiam.

ORABO etiam, vt norim, sicuti sponsum Christus exigit, hoc tempore vigilare, somnumq; omnem vitiosum excutere, ne alioqui incertus sponsi aduentus me obruat imparatum, & à nuptijs excludat torpidum ac otiosum.

NEC solum in diua Catharina omninò prudente virgine Dominum predicabo, verum etiam per eius preces & merita petam in me augeri sincere fidei confessionem, Christi & proximi dilectionem, in aduersis patientiam, in prosperis rebus aequabilitatem, ac mentis simul & corporis integritatem.

ET quoniam Christus caelestis ac aeternus ille sponsum virginum & sponzarum castimoniâ mirificè delectatur: (Adducentur enim

Pfalm 44.
Bafil. ibid.

Epist. i. de
coniug. de-
bit.

Lib. de fan-
cta virginit.
De S. Trini-
tat. cap' 8.

*Regi virgines post eam, sicut Basilius locum exponit) sapè multùm q̄,
rogabo, ut per celeberrimam in Ecclesia virginum & continentium ordo
decenter conseruetur atq; propagetur, præcis illis abusibus, qui vi-
dualis aut virginalis castitatis gloriam & coronam aliqua ex parte
labefactare & imminuere possunt. Sicut enim docet Fulgentius, nō
solum à virginibus integritas, verumetiam à viduis & coniugi-
bus, debet Deo dicata continentia cum timore & tremore seruari.]*

*Nec aliam quidem virginitatem agnoscit & probat Augu-
stinus, quàm que DEO dicata est, ac licet in carne cu-
stodiatur, spiritus tamen religione ac deu-
tione seruetur.]*

FINIS NOTARVM IN EVAN-
GELIA DE SANCTIS.

SEQUUNTUR IAM NOTAE
AD TEMPLORVM DEDICATIONEM,
necnon Sollemnes PROCESSIONES, uti
vocant, atq; indictas INDVLGEN-
TIAS accommodata.





IN FERIIS DE DICATIONIS TEMPLI.

Sequentis Euangelij Argumentum.

PROPONITUR iucunda & memorabilis historia de Christo Domino Zachæum vocante, qui cum princeps esset publicanorum, sese totum ad Christum eiusq; gratiam conuerterit, factus Abrahæ Deiq; filius. Vbi præclare Christus probat, se ad iustificandum peccatorem diuinitus esse missum, planèque necessarium. Apparet hic etiam Zachæi studium & conatus, qui oblatq; Christi gratiæ sedulo cooperatur, ac nos etiam cooperari docet fide, obedientia, charitate, iustitia, hospitalitate, ac inprimis pœnitentia. His enim virtutibus idem ille, licet ab Euangelij gratia primùm alienus, consequitur, vt Christi hospes. & ex auaro Mamoniæ cultore viuû Ecclesiæ mēbrû, immò & peccatorum omnium qui Deo recôciliari volunt, exemplar præclarum euadat. Reclamant tamen hic etiam, vtî solēt, inuidi ac mordaces sycophantæ Pharisei, carpuntque Dominum quem laudare debuerant, ad publicani ædes diuertentem, & cum criminosis conuersantem: nec vident cæci, Christum officio suo egregiè satisfacere, vt animarum, medico congruebat, qui lethaliter ægrotum inuisit atq; curat. Tertullianus hunc Zachæum non Iudæum, sed potiùs Ethnicum facit, & allophylum seu alienigenam vocat, quem ab operibus misericordiæ iuxta Isaiæ doctrinam præstitis, rectè commendat. Vnde non malè colligunt alij, vocationem gentium ad Euange-

Lib. 4. adu.
Marcion.

Isai. 59.

licam.

In hoc E-
uangel.

Epist. i. ad
Iacob. fratr.
Dom.

licam gratiam hic adumbrari, quoniam oblata Iudæis gratia noui Testamenti atque contempta, Zachæo, vt Gentium typo benignè communicatur, & ille Abrahæ-filius per fidem viam constituitur. Notat & Petrus Chrysologus, hunc Zachæum in eo esse laudabilem, quod non modo sua bona pauperibus, sed etiam omnia sua, & seipsum totum Deo summo tribuerit ac dedicarit. Tum ex Clementis epistola fit perspicuum, eundem Zachæum à Petro Apostolorum principe ordinatum, & Episcopum Cæsareæ collocatum esse.



E V A N G E L I V M

Luçæ XIX.



*I*n illo tempore, ingressus IESUS perambulabat Iericho, & ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues, & quærebat IESU & videre quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret illum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens IESUS, vidit illum, & dixit ad illum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait IESUS ad eum: Quia hodie salus huic domui facta est, èo

quòd

quod & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis
quærere & saluum facere quod perierat.



NOTÆ MEDITATIONVM
ET PRECATIONVM CIRCA
HOC EVANGELIUM
ET FESTVM.

*Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua
oportet me manere. Et festinans descendit.*

CH R I S T O Domino gratias imprimis agam, qui ve-
nit in hunc mundum, vti scriptum est, peccatores
non iudicare, sed saluos facere, & idcirco suam erga
criminofum ac infamem hominẽ Zachæum, charitatem ac
mifericordiã multis modis publicè voluit declarare. Etenim
huius causa profectioem in urbem celebrem Iericho labo-
riose suscepit, eamque urbem perambulauit, perinde ac si bo-
nus pastor suã ouiculam perditam sollicitè quæreret ac inue-
stigaret. Quem cum sedẽtem in arbore sycómoro inuenisset,
amicis sanè oculis eundem respexit, ac veluti familiariter no-
tum vnicè compellauit, seque illi hospitem futurum obtulit
illis verbis: *Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua
oportet me manere*, nimirum ob singularem & ardentem amo-
rem, quem erga te hodie demonstrabo, & orbi vniuerso te-
stabor, quoniam in charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te
miserans, vt Prophetis verbis vtamur. Ex hac admirabili cha-
ritate factum est, vt Christus ad Zachæum diuertens, cibum
potumque ab illo oblatum sumeret, neque minùs præsentibus
alimoniam spiritualem impertiret. Per eandem charitatẽ
effecit, vt publicanorum principem, qui nec Deum, nec ho-
mines ver e batur, & auaro, rapaci, sordido, ac infami hominũ

1. Tim. 1.
Iohan 3.

Luc. 15.

Ierem. 31.

generi

generi præerat, non modò suum discipulum, sed etiam genuinum Abrahamæ filium, & præclarum pœnitentium speculum efficeret sua immensa & diuina virtute. Qui præterea vt summo Pontifici congruebat, largam & efficacem benedictionē, veramque salutem huic Zachæo, ac vniuersæ illius domui est elargitus. Hic enim verus est Aaron, qui manum suam extendens ad populum benedixit ei, quemadmodū & Christus cū in cœlum ascēderet, suis discipulis eleuatis manibus benedixit. Nec temerè scripsit Sapiens: *Qui timet Dominum, excipiet doctrinā eius: & qui viligauerint ad illum, inuenient benedictionē.*

E x quibus omnibus ego singularem animi consolationē capiam, & alijs itidem afflictis ac des̄perabundis impertiar, sicut & Apostolus facere illis verbis monet: *Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Bonum enim Dominum habemus, diuitem in misericordia omnibus, qui inuocant illum, suaque gratia præuenientem, & citra discrimen excipientem eos, qui vnà cum Zachæo illum sincerè cupiunt amplecti, seque illi sanabiles exhibent. In manibus eius sortes nostræ versantur. *Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos. Omne quod venit ad me, nõ eijciam foras. Manete in me; & ego in vobis. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcuq; volueritis petetis. Expectat Dominus, vt misereatur vestri: & ideo exaltabitur parcens vobis.* Me ipsum interim reprehendam, & coram DEO reprehensibilem cum dolore statuum, qui hãc tantam Christi philanthropiam rarò perpendo, atque Zachæo neophyto tam dissimilis maneo. Etenim tot annis ea non addisco, quæ ille tandiu lucris terrenis immersus, vnico die & didici & fecit ex noua illa cum Christo cōtracta familiaritate. Aud iuit pauca Christi verba, & ad omnia quæ magister ille vellet, se paratum & expeditum ostendit, nullam quæ vel moram, vel excusationem attulit de futura vitæ conuersione. Vã igitur misero mihi nõ accuratiùs percipienti atq; custodienti verba & mandata Domini mei, iuxta illam sententiam Apostolicam: *Estote factores verbi, & nõ auditores tantum: fallentes v̄ osmetipsos.*

Leuit. 9.
Luc. 24.

Ecclef. 32.

1. Theff. 5.
Rom. 10.

Pfalm. 30.
Math. 11.
Iohan. 6.
& 15.

Isai. 30.

Iacob. 1.

Sapit mihi verbum quidem promissorium & consolatorium: sed reliquas verbi diuini proprietates & salutares effectus negligo, vt semen illud bonum in me operetur, quod voluerit DEVS, & prosperetur in his, ad quæ misit illud, sicut loquitur Isaias. Misit autem ac mittit illud, nō solum vt credenti blandiatur, sed etiam, vt secundum Paulum proficit ad arguendum, ad corrigendum & erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Proinde maior mihi adhibenda est cautio, vt vocem illam Propheticam animo sæpius reperam: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Audiam verò nō solum in verbo scripto viuamq; voce tradito, sed etiam cum Dominus inuisibiliter absq; sono vocis in mente mea voluntatem suam, & rectum intellectum inspirat. Habet enim hic locum Prophetica sententia: *Signatū est super nos lumen vultus tui*, quoniam ratio mēti hominis impressa, & per Dei gratiam, sicut per cœleste lumen illustrata, nobis commonstrat, quid boni expetendum, & quid mali fugiendum sit, vt qui rationis dictamini resistit, auctori etiā DEO resistat. *Va autem qui contradicit factori suo:* & alibi scriptum est: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt*, qui nempe non mentis emotæ, sed humanæ rationis compotes meritò videantur.

DEINDE pudescit me Zachæus, qui statura quidem pusillus, sed alacri studio, & obediētia prompta magnus, procerus & excelsus fuit, quando quidem ad primam Christi vocem totus expergefactus, licet noui mandati rationem nesciret, de arbore tamē, quam conscenderat, è vestigio descendit, suum parat domicilium, & ignoto hospiti, qui multis comitatus accedebat, lubens & gaudens excipit. Ita in illo completum videmus illud, *Hilarem datorem diligit DEVS*, & illud: *Melior est obedientia quam victima: & auscultare magis quam offerre adipem arietum.* Mihi verò, proh dolor, frequenter id videntur, quod segni ac malè morigero accidit filio, qui patris accepto mandato vt laboratum iret in vineam, verbis tantum obedientiam simulauit, cum diceret, *Eo domine*; sed re ipsa ne-

Isai. 57.
2. Tim. 3.

Psal. 94.

Psal. 4.

Isai. 45.
Psal. 88.

Ecclef. 35.
& 2. Cor. 9.
1. Cor. 15.

Matth. 21.

Prou. 8.

gavit, cū pro suo arbitratu ire ac laborare procrastinaret. Meminero igitur Diuinæ vocis clementer inuitantis: *Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.*

Hai. 58.

Genes. 18.
& 19.

Hebr. 13.

Eod. cap.

Luc. 10.

AD HÆC notabo singularem Zachæi huius in Christū eius que pauperes discipulos humanitatem ac beneficentiam, qui illis ad eō fuit officiosus. Etenim tales hospites licet antea incognitos, in domum suam inducit, & inductos perbenignè tractat, nihilq; illis deesse finit de victu necessario: sed & adijcit animum ad plures alios pauperes pro sua virili fouendos, ac in posterum sustentandos, licet magnum inde bonorum suorum faceret detrimētum. Ita enim iniussus apud se constituerat, sicut Christo disertè testatur; *Ecce dimidiū bonorum meorū do pauperibus: & si quid aliquem defraudauī, reddo quadruplum.* O rarum & eximium Christianæ benignitatis & fraternæ dilectionis exemplum, quod in illis Prophetæ verbis & naturæ legibus fundare possumus: *Frange esurienti panem tuū, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Cū videris nudum, operi eū, & carnem tuam ne despexeris.* Sed quādo tandem ego clementis Patriarchæ Abrahamæ sectator, & eiusdem vnā cum Zachæo filius & hæres, simulq; iusti Loth socius ero? Etenim de vtroq; Abraham & Loth scribit Apostolus, quod placuerint Deo propter suam hospitalitatem, digni etiam habiti, qui hospitio suo sanctos Angelos exciperent; vt hinc etiam præceptum extet Apostolicum: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci.* Verū hęc virtus gratiosæ hospitalitatis in me alijsq; friget, qui parū aut nihil commouemur ad subleuādā proximorum inopiam, ac rogati etiam afflictis, miseris & ægrotis nostram operam facilè denegamus, longè quidem inhumaniores illo Samaritano, qui misericordia motus, de alienigena faucio & ignoto quem in via repperat, præclare mereri nō destitit, quoad ille restitueretur. Sed & multi à Zachæo redarguuntur diuites & magnates, qui sua sorte contenti nō sunt: quoniam auaritia incitati, alienis bonis in-

hiant,

hiant, & cum aliorum iniuria suas augent facultates, aut certè quibuscunq; modis possunt, suas vitiosas cupiditates vendendo, emēdo & mutuuum dando explere conātur. Nam Apostolica monitio parum aut nihil apud eos habet ponderis: *Ne quis supergredatur, inquit, neq; circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus,* nimirū siue apertis, siue occultis fraudibus, quas radix malorum omnium auaritia excogitat, vt charitas iustitiaq; fraterna lædatur. Tantum Zachæo cōuerso studium fuit, vt nō modò domum, fundū, lucrum aut quamlibet rem alienam nō concupisceret, acciperet aut retineret; verūm etiam vt de bonis suis legitimè partis dimidiam in pauperes cōferret portionem, & ex alijs facultatibus iniquè comparatis quadruplum restitueret, quibus aliquādo damnum aut iniuriam attulisset. Bone DEVS, quàm procul nūc mercatores distant ab isto nouo Christi milite, qui sua bona, vt Paulus loquitur, ministrat in hilaritate, eaq; tribuit ac erogat egenis abundantius, quàm Christus flagitaret, cūm etiam furi & raptori ad expiationem criminis sit satis, tantum restituere, quātum semel alteri abstulerit. Ita verò nobis ille confirmat, quod Salomon præcipit inquies: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Eòdem Tobix spectat exemplum, qui religiosè cauit, ne alienum hædum in domum suam pateret inferri, neue lucro iniusto macularetur. *Videte, inquit, ne forte furtiuus sit (hædus): reddite eum dominis suis: quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.*

PRAETEREA hic Zachæus in eo præclarè sapuit, quod Pharisæos Christo non leuiter obtrectantes & obmurmurantes audiat quidem, sed nihil tamē remittat de suo instituto, & illorum insectatione impediri se nō sustineat, quò minùs ad Christi disciplinam integro vitæ mutato statu totum se transferat. Diuina enim præfert humanis, contemnit supercilium Pharisæorum suo more mordentium atque calumniantium, Christo autem ac eius Euangelio nihil habet charius: perinde

1. Theff. 4.

Rom. 12.

Prou. 3.

Tobi. 2.

Galat. 1.

Pſalm. 52.

Matth. 6.

2. Cor. 6.

Matth. 10.

Ecclef. 18.

Prou. 1.

Ecclef. 17.

Actor. 3.

Ierem. 18.

Actor. 11.

ac ſi cum Paulo diceret: *ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Tum rectè conſiderat, quod ſcriptum eſt: *Diſſipat DEVS oſſa eorum qui hominibus placent: conuſi ſunt, quoniam DEVS ſpreuit eos. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Qua conuentio Chriſti ad Belial? Qua ratione Zachæus me quoque corripit, quoties hominum gratiam aucupor, vel humano pudore ac timore commotus, à coeptis bonis reſilio, meque ſiue amicorum, ſiue hoſtium laudibus aut obtreſtationibus à Dei cultu ac via virtutū ſino leuiter auocari. Chriſti enim verbum eſt: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete ab hominibus: tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos. Eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Nec temerè monet Sapiens: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguã nequam noli audire, & ori tuo facito oſſia, & ſeras auribus tuis.* His cõſonat dictum Salomonis: *Si te lætauerint peccatores, ne acquieſcas eis.* Atque vtinam quod in Zachæum principem publicanorum, iamque Chriſti diſcipulum effectum rectiſſimè competit, de me quoque dici poſſit, vt præclaram hæc Sapienſis doctrinam obſeruem: *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominũ, & auertere ab iniuſtitiã tua.* Id quod certè ſine poenitentiã Euãgelica fieri à nemine poteſt, de qua Petrus Apoſtolus dixit: *Pœnitementi & conuertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Ita enim cum peccatoribus firmum pactum inijt DEVS: *Si poenitentiã egerit gens illa ſuper malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego poenitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei. Et Gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam,* inquit diſcipuli Apoſtolorum.*

Hodie ſalus domui huic facta eſt.

L A V D A B' O piorum maiorum, ſanctorumque Patrum prudẽtiam, quibus viſum eſt, præſentem de Zachæo conuerſo hiſtoriam hoc tempore cõſiderare, & conſiderãdam fideli populo proponere, cum nempe ſolennes feriã de templi de-

dicatione.

dicatione publicè celebrantur. Videbant enim, ad communis
 Redemptoris nostri commèdationem & gloriam prædican-
 dam spectare, si præteritum & præsens illius beneficium gratis
 fidelium animis recoleretur. Præteritum dico, quod in Zachæi
 publicani personam ac domum summa Christi bonitas cõtu-
 lit, & satis oratione illa comprobauit: *Hodie salus huic domui
 facta est.* Ingens profectò salus Christi erat & benedictio, qui
 Zachæi antea foedum, infame, multisq; criminibus conspur-
 catum domicilium aduëtu suo perpurgauit, ac velut nouum
 purumque Dei templum effecit, & quasi in venustum hospis-
 talitatis pietatis que hospitium mirè cõuertit. Vnde qui tot an-
 nis pecuniæ seruus, & mamonaë mancipium vixerat, dux idem
 & capitaneus foeneratorum, nũc primùm nouam fidei & vite
 disciplinam in suam domum inducit, Christi que testimonio
 germanus Abrahæ filius publicè salutatur, & Euangelicæ
 gratiæ fit particeps, vt & ipse in Christo gloriabundus testari
 queat: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium:
 laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Modicum laboraui, &
 inueni mihi multam requiem.* Cum hoc præterito, vt dixi, bene-
 ficio, præsens aliud iungendum, & hinc meditandum est, vt pro-
 positi templi dedicatio ad sensum quoque mysticum referatur,
 sicut à multis Patribus factum esse cernimus. Habet sanè
 suos vicarios ac legatos Christus, eos que per omnes habebit
 ætates, Episcopos nempe Catholicos, à Spiritu sancto ad re-
 gendam Ecclesiam, vt Paulus ostendit, institutos, per quos vi-
 sum est illi, innumera tot sæculis templa sibi deligere, munda-
 re, consecrare, vt loca prius profana, vel ciuili tantùm institu-
 to seruiencia, in vsus planè sacros transeant, perpetuò que ma-
 neant sanctificata. Per hæc singularis Dei Opt. Max. creatoris
 & redemptoris nostri gloria nõ sine singulari Christianæ gra-
 titudinis testimonio promouetur, & sacris rebus tractandis
 peculiaris exhibetur reuerentia, sed & piorum illic quouis tẽ-
 pore in Christi nomine conuenientium saluti consulitur atq;
 commoditati. Hæc profectò mens, hic scopus est Episcopi,
 templum quodlibet ex multorum pio cõsensu sacrantis, diui-

Psal. 123.

Eccles. 51.

Act. 20.

namq; maiestatem in sacratione ipsa inuocantis: huc destinatur apparatus omnis accedentium cæremoniarum, quarum peruetustum, valdèque probatum esse vsum in dedicatione templorum & altarium, ne aduersarij quidè inficiari possunt.

Genes. 4.
Ionæ 3.
Ierem. 35.

Matth. 18.

Iohan. 16.

Leuit. 9.
1. Reg. 1.
Leuit. 4. 5.
6.
Hebr. 5.

1. Cor. 4.

I A M verò nec mihi, nec cuiquam Fideli dubitare fas est, quin clementissimus DEVS ab Episcopo & alijs piè inuocatus, communem illam Ecclesiæ fidem & inuocationem libèter aspiciat, benignè approbet, gratamq; prorsus habeat, vtpote qui iam pridè ad Abel eiusq; munera, & Niniuitarū atq; Rechabitarum opera, licet in verbo Dei non præcepta, gratiosè respexit, ac multa id genus alia piorum instituta & vota Credentibus reddere solet salutaria, quādoquidem ad ipsius honorem & gloriam sinceris animis referuntur, ac diuini honoris conseruādi & augēdi certa quædam incitāmēta sunt atque testimonia. Habet hīc sanè locum diuina illa Christi promissio, qui nec fallit, nec fallitur: *Dico vobis*, inquit, *quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcūq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis est.* Ac iterum apud Iohannem idem affirmat: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis.* Accedit quòd in veteri quoq; lege vti frequens, sic efficax fuit benedictio Sacerdotum Moyfi & Aaron succedentium, quorum erat officium populo benedicere, pro peccātibus intercedere, & in his quæ ad DEVM DEIQVE cultum spectabant, præesse, & sicut dona, sic etiam sacrificia, vt Paulus loquitur, pro peccatis offerre. Quāto igitur maior & sublimior Christi gratia censenda est, quæ noui Testamenti Sacerdotibus communicatur, vt cum potestate sint Christi ministri, & dispensatores seu œconomi mysteriorum & arcanorum DEI? quemadmodum ab eodē Apostolo appellātur. Certè pro hominibus ad DEVM constituuntur, vt nō modò DEI verbum annuntient, & Sacramēta dispensent, sed etiam Patrem æternum offensum populo concilient, suasq; pro Ecclesia preces offerant, & partim personas, partim loca & res alias humano vsui congruas benedicant. Nam & ante Moyfi legē summus DEI Sacerdos

Melchisedech, cum Abraham Patriarcha rediret victor à cæde Regum, eidem benedixit: & Iacob Patriarcha Angelum à se dimittere noluit, nisi accepta primùm eius benedictione, qui & ei nõ inaniter benedixit. Visum est præterea DE O, tantam olim virtutem Mosaiico Sacerdoti conferre, vt is aquam in vase fictili benediceret atque sanctificaret (habebant enim ab illo aquam, vt Scriptura vocat, aspersions atque lustrationis) vtq; aquam sanctam conuerteret in aquam amarissimam, per quam suspectæ vxoris adulterium, licet occultum, certò deprehenderetur. Onias in veteri Lege Sacerdos vt summus, ita probatissimus, tantùm valuit sacrificãdo, vt sacrilego Heliodoro, qui diuinitus punitus, & in terra percussus iacebat, vires corporis fractas restituerit, sicut & Angeli Heliodorum instar iuuenum alloquentes, illis verbis ostendunt: *Omne Sacerdoti gratias age. Nam propter eum Dominus tibi vitam donauit.* Quantũ verò, & quàm ardens indefessumq; Regi Salomoni studium fuit, vt templum longè magnificentissimum & ornatissimum septem annis exadificaret? quod postea in frequētissimo hominum cœtu summo DE O dedicauit, multos etiam ritus adiungens, & imagines in templo collocans, cultumque diuinũ & ministrorum ordinem amplificans, præter omnem prioris sæculi consuetudinẽ, & sine singulari præcepto Domini. Cùm verò diu ac multũ precatus esset, vt hoc suum templum peculiariibus sine beneficijs siue priuilegijs ornaretur, DEVM sibi prorsus fauentem ac propitium habuit, qui vota eius pia comprobans, inter alia disertè promisit: *Exaudi orationem tuam & deprecationem tuam quam deprecatus es coram me Sanctificauit domum hanc quam adificasti, vt ponerem cor meum ibi in sempiternum; & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

QVIS verò sapiens neget, aut ambigere possit, Deum vt potenter, ita clemēter etiam templum hoc suum in orbe nobilissimum dedicasse, & ad hoc opus non modò Salomonis, sed aliorum etiam ipsius exemplum postea imitantium peculiari ministerio vsus fuisse? Idem verò Deus multò magis in Testamēto nouo suos legitimos habet ministros, nimirum

Genes 14.

Genes 32.

Num. 8.
& 19.

Num. 5.

2. Macch. 3.

3. Reg. 6.
& 8.

2. Paral. 7.

3. Reg. 9.

1. Efd. 6.
1. Macc. 4.

Lib. 1. cont.
Maximin.

2. Reg 7.

1. Tim. 2.

Jerem. 23.

Pfalm. 8.

Actor. 17.

2. Macch. 3.

Ep. ad Cle-
rum & pop.
Hipponenf.

Genes. 12.
13. & 22.

Præpositos ac Episcopos, per quos Ecclesiæ suæ libenter affi-
stat, & quorum preces communi fidelium nomine profusas
admittat, efficaciter illud efficiens, vt locus sacer qui dedica-
tur, diuinam accipiat benedictionem, ac in posterum sacer ha-
beatur, vsuq; Fidelibus ad gloriam ipsius præbeat salutarē.
Nam vt Augustinus quoque testatur, templi erectio cultus est
latræ soli DE O debitus, qui ob Credentium preces fit sacra-
tior atq; commēdator: vt hinc etiam Dauid ad tabernaculum
perrexisset, & corā arca peculiariter orasse legatur. Scimus in-
terim, DE VM & DEI adorationem atq; cultum alicui loco
nō esse assignandum, & cum Paulo fatemur, veros Christianos
orare in omni loco, leuantes puras manus. Nec pius vllus du-
bitat, DE VM vbiq; præsentem esse, ac sicut ipse affirmat, cœ-
lum & terram implere; vt hinc etiam cū Propheta cantemus:
Domini est terra & plenitudo eius; qui nec indiget aliquo, cū
ipse det omnibus vitam & inspirationem & omnia, quemad-
modum Apostolus Athenis est concionatus. Quamuis autem
DEI essentia & natura locum omnem impleat, tamq; late pa-
teat eius prouidētia, vt vbiq; cum fide inuocatur, illic ad-
sit, audiat & opituletur; nō tamen eodem modo ac æquē inti-
mē illius essentia, potestas & bonitas rebus & locis omnibus
sefe cōmiscet ac præsto est: ideoq; nō eodem modo & aqua-
liter parem illi reuerētiam, cultum & adorationem vbiq; lo-
corū præstare debemus, sed obseruare maximē, vbi summus
ille rerum opifex peculiaria suæ Diuinitatis ac potestatis testi-
monia & argumenta demōstret, suaq; dona distribuat, nō sa-
nē in foro & campo, perinde ac in templo atq; choro. Quam-
obrem Heliodorus ille quē diximus, quod magno malo suo
expertus fuerat, vel inuitus agnouit & prædicauit, quandam
DEI virtutem verē in loco seu templo existere, sicut & Augu-
stinus asseruit, propriam quandam sanctitatem constare loco,
quem sibi DEVS delegerit, atque per miracula illustrarit. Illic
enim DEVS præsens esse peculiariter dicitur, si Scripturæ for-
mam sequimur, vbi singularia bona mortalibus operatur, &
illustriora quædam efficit atq; præstat. Hinc Abraham Patriar-

cha ubi DEVM sibi apparentem conspexerat, ædificauit illic altare, ac locum Bethel, id est, Domū DEI, peculiariter nuncupauit. Aequalis ferè gratitudo apparuit in Iacob Patriarcha, qui ob visionem in somno sibi oblatam, singulari religione præditus & adorabundus, locum eundem Domum DEI esse censuit, adeòq; illic adorauit DEVM, & nomen loco Bethel indidit. Quid quòd sacris è literis perspicuè liquet, DEVM in templo Hierosolymitano habitasse, sicut Christus in Euangelio bis testatum nobis reliquit, nimirum ob peculiaria quædam Diuinæ præsentia potentiæq; suæ documenta illic edita, à multisq; pijs nō rarò comperta atq; percepta. Exemplo esse possunt Salomon & populus cū illo innumerabilis, Ezechias rex, Ionas, Tobias, alijq; complures, qui verbum Dei Salomoni promissum reipsa fuerunt experti. Sed & ante Salomonem natum extabat Dei domus & sedes religionis in Silo, eòq; nō solum Anna Samuelis mater, sed & populus sacrificiorū causa conuenire solebat. Vnde in libro Iudicum ita legimus: *Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo, consulueruntq; Dominum.* Tum in capite sequenti: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo.* & paulò post: *Ecce solennitas Domini est in Silo anniuersaria.* Accedit & illud: *Misit populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubin.* Luculentum verò illud est apud Ieremiam: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitauit nomen meum à principio.* Præterea è Scripturis constat, cū Salomonis templum esset consecratum, & Sacerdotes è sanctuario exiissent, huc enim arcam Domini intulerant, Deum in nebula descendisse, ac templum vniuersum ita complexisse, vt Sacerdotes stare & ministrare non possent. Proinde Salomon in illam vocem lætus erupit: *Dominus dixit vt habitaret in nebula.* Hoc templum à Salomone conditum atq; sanctificatum, & à Nabuchodonosore incensum fuit: sed quod Zorobabel & Iudas Macchabæus postea instaurarunt: vtrumq; templum forma, amplitudine & magnificentia ornatissimū extitit, & reliqua templa, sicut & Chrysostomus tradidit, longè superauit. In vtroq; non defuerunt mirificæ ac

Genes. 28.

Matth. 5.
& 23.3. Reg. 8.
Isai. 28.
Ionæ 2.
Tobi. 1.
1. Reg. 1.

Iudic. 20.

1. Regum. 4.

Ierem. 7.
1. Reg. 8.Hom. Quòd
Christus sit
Deus.

A&Cr. 21.

Iohan 12.
A&Cr. 2.
& 8.2. Reg. 6.
1. Reg. 4.

Daniel. 6.

N³.

Ion. 2.

Isai 38. &
4. Reg. 20.

diuinæ operationes, quas in illo Fideles persentiscerent. Idem templum nō solūm Israëlitis, verum etiā procul distitis Ethnicis admirationi simul & venerationi fuit, in quo Iacobus Apostolus diu multumq; precari solebat, & Paulus sua vota nō sine cultu purificationis Deo facta religiosè persoluit, & pro singulis offerri voluit sacrificiū. Ac nihil ferè circa Christi ætatem fuit vsitatus, quàm vt permulti remotis etiā è locis quotannis Ierusalem peterēt, & in hoc templo Deum Israël agnoscerent & adorarent, suaq; vota religionis ergo præstarent. Est & probabile prorsus, quod sæpè à veteribus annotatur, sanctos Angelos consecrati loci sanctitate delectatos, libenter illic stationem habere, quòd sciant, preces ex loco sancto profectas, summo Deo esse gratiores, ipsumq; Deum non minùs nunc efficere quàm olim, cùm per arcam Hebræorum, vbi cunq; illa versaretur, omni benedictione Fideles locupletaret. Tam charum sanè templum illud Mosaicum habuit Daniel illustris Propheta, vt quoniam in Babylone exulans, Dei cultū in templo Hierosolymitano coram explorare nō poterat, quotidie in cœnaculo suo aperiret fenestras, per quas contra Ierusalem prospectans, tribus in die temporibus reuerenter genua flecteret, ac summum Deum velut in templo præsens esset, supplex adoraret. Quis verò prudens neget, eum cultum licet non præceptum, eidem Deo placuisse in Daniele, sicut etiam in Iona Propheta, qui ceti ventre conclusus, & in medio mari multum iactatus, dicti templi nō potuit obliuisci, sed ad eius ingressum velut aspirans, voces illas edidit: *Cùm angustia- retur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. ac iterum: Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quacumq; voui reddam pro salute Domino.* Similis planè pietas in rege luxit Ezechia, qui cùm è graui morbo conualuisset, ad hoc templum se contulit, vt votum Liberatori Deo nuncupatum solueret, quemadmodum illa ipsius verba declarant: *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vite nostre in domo Domini:* ideòq; ab Isaiā sanatus, Dei templum statim conscendit.

VERVM ad Christum ipsum veniamus, qui tamen optime sciret, Deum in templis manufactis haudquequam concludi, sicut putabant Ethnici, nec vllis ædibus hominis instar indigere: tamen templum Hierosolymitanum, quod subinde sanctum in ^a Scriptura dicitur, tanti habuit, vt puer, adolescens & vir illud sibi adeundum putaret, de quo Pontifici Annæ quæque dixit: *Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quod omnes Iudei conueniunt.* In hoc templo precantem laudauit publicanum, ferreque non potuit emptores, venditores atque negotiatores, licet illi rebus ad sacras oblationes & cærimonias pertinentibus ob commoditatem populi operam darent: sed iratus illos omnes, vti profanos homines ac latrones, non verbis tantum acriter corripuit, verum etiam vi quadam & arrepto flagello exturbauit. *Auferte, inquit, ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Scriptum enim est: Domus mea domus orationis vocabitur.* Præclaris itidem titulis hoc templum exornauit, Patris sui domum, ac Dei domum, ac orationis domum peculiarem clarissime nuncupans: ad quod vindicandum maiore quam vsquam alibi, & ardentiore zelo flagrauit, vt verè competeret in illum Prophetica sententia: *Zelus domus tue comedit me*, sicut Iohannes palam interpretatur. Nec vulgaris illa Christi fuit seueritas, quod templo repurgando tantam adhibuerit curam, vt non permitteret, sed prohiberet omnibus per hoc ipsum templum transferre vas: quia religiose & sanctè locum illum à cunctis haberi voluit atque coli.

ET Ecclesie quidem primitiæ Christiana templa non defuerunt, quæ Græcis *ἐκκλησία* siue *προσκυνητήρια*, Latinis autē Orationaria & Basilicæ & Dominica iam pridem vocantur, eaq; apud Philonem Petri Apostoli æqualē, & Eusebium Cæsareensem domus orationis consecratæ dicuntur. Illic primi Christiani collectas faciebant, neque solum Dei verbum audiebant, sed præcipuè quidem sacris vacabant precibus, & Eucharistiam aliaque Sacramenta reuerenter tractabant, & in diuino cultu nocturno etiam tempore versabantur, quemadmodum cum

a Psalm. 5.
26. 27.
Ionæ 2.
Miche. 1.
Ezech. 45.
Iohan. 18.
Luc. 18.
Matth. 21.
Iohan. 2.

Iohan. 2.
Matth. 21.

175

Psalm. 68.
Iohan. 2.
Marc. 11.

Lib. 2 hist.
cap. 17.

De ecclef.
hierar.
Apolog. 2.
In apologetico.

A^{ct}or. 3.
2. & 5.
Lib. 2. c. 39.
40. & 41.

Homil. 39.
ad pop. Anti.
& hom. 3.
de incompr.
Dei natura,
& in Orat.
de Ecclesia
Dei.

In apologetico.

Homil. 18.
in Actus.
Apostol.

Canon. 5.

^a Num. 7.
^b 3. Reg. 8.

ex alijs vetustis autoribus, tum ex Dionysio Iustino & Tertulliano quiuis facillè animaduertit. An' non Petrus & Iohannes in templum Hierosolymitanum ascenderunt, ad horam quidem orationis nouam, hoc est, statò tempore precaturi? sicut Lucas indicauit, qui hoc simul expressit de illius temporis Fidelibus, eos quotidie vnaminiter in templo perdurasse. Cæterùm ex Nicephoro alijsq; historiographis satis cõstat, Apostolos non solum Euangelio prædicando, sed etiam templis vbique gentium construendis dedisse operam: & haud dubiè illa sic consecrauerint, vt in alios vsus ea transferre postea nequitiam liceret. Atq; huc spectat, quod à Chrysofomo scribitur in hunc modum: Domi quidem orari potest: sic autem vt in Ecclesia, non potest; vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solus orans audièris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta vnanimitas & consonantia, charitatisq; vinculum, & Sacerdotum orationes.] Consonat his planè Tertullianus admonens, quod cum coit cœtus omnis fidelium, & aggregatur ad Deum in templum, tunc orantes quasi manu facta precationibus ambire, eamq; vim Deo esse gratam, quodq; singulis petentibus Dominus fortè fuerat negaturus, id multorum vnanimitati precantium ferè concedi.

Ex quibus omnibus cognosci facillimè potest, templorū structurā ad quam Chrysofomus etiā fideles adhortatur, eorumq; dedicationem, consecrationē, curam, vsus & cultum, rem neq; nouam, neq; vulgarem ac triuialem esse, sicut nunc plurimi arbitrantur, & olim quidem Eustathius in Synodo Gangrensi damnatus, nō insulsè minùs quàm perniciosè tradidit. Etsi enim in omni loco Deum adorare fas est, & nō tam locus hominem sanctificat quàm homo locum: tamen certò confiteri debemus, vt iam indicauimus, Deum vbique non æqualiter operari, sed certa loca, suis operationibus deligere. Tale fuit ^a tabernaculum à Moyse consecratum ad reddenda oracula, quæ illic consulebantur, & ^b templum Hierosolymitanum ad preces populi exaudiendas, vt Salomoni promise-

rat,

rat Dominus, & arca ead patranda miracula, vt ea præfente funderentur hoſtes, & a piſcina probatica, vt ægris ſolati- um per Angelum exhiberetur. Vnde nec Iosephus tacuit, id acci- diſſe Iudæis, vt cùm iam iam Hieroſolymitanum inſtaret exci- dium, multi Angelos audiuerint ita colloquētes: Recedamus ex his ædibus.] Propè quidem eſt Dominus omnibus inuocā- tibus eum in veritate: nihil autē hoc impedit, peculiareſ quaſ- dam orationis diuiniq; cultus operationeſ certis locis com- petere, ſicut non ſolū veteriſ Teſtamenti tempore, ſed etiā in lege naturæ & Euangelica ſemper à Fidelibus creditum & factum eſſe conſtat, reſ que ipſa, vt diſciplina reuerentiaq; ſa- crorum ſeruetur, omninò flagitat. Quid quòd Chriſtianorū hoſtes, quantumuis immanes & barbari, ſacriſ lociſ tantum olim honoris habuēre, vt quiſquis Catholicuſ ad illa conſu- giſſet, ab iniuria & inſultu hoſtiliter liberaretur? ſicut memi- nit Sozomenuſ, & comprobat Auguſtinuſ. Neq; vnquam in Eccleſia dubitatum eſt, locum vnum alio ſanctiorem eſſe, & à pijs hominibus magiſ frequentari poſſe, Deo videlicet hanc bonorum conſeſſionem & conſenſionem & pietatem euidē- tibus ſæpè miraculiſ illuſtrante. Qua de re ſic loquitur etiam Auguſtinuſ: Vbiq; quidem Deuſ eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veriſ adorato- ribuſ in ſpiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exau- diens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Veruntamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quiſ poteſt eiſ con- ſiliuſ perſcrutari, quare in alijs lociſ hæc miracula ſiant, in alijs nō ſiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitaſ loci, vbi beati Feliciſ Nolentiſ corpus ꝑ vt cætera prætermittamus. Neq; ve- rò cum hiſ pugnat Chriſti verbum, quo Samaritanæ dicitur fore, vt neq; in monte Garizin, neq; Hieroſolymis Pater ado- retur, verosq; adoratores Patrem in ſpiritu & veritate inuoca- turos & adoraturos eſſe. Non enim idcirco templa Deo diui- noq; cultui dicanda prohibentur aut extenuantur, ſed hoc ſo- lū innuitur, Euangelicæ legiſ & libertatiſ eſſe propriuſ, vt Samaritanorum cultuſ impiuſ aboleatur, & Iudæorum car-

nalis.

ꝑ Iofue 3.
& 6.
ꝑ Iohan. 5.
De bello
Iudaic. lib.
7. cap. 12.

ꝑ ſalm. 43.

Lib. 9. cap.
9. hiſtor.
Lib. 1. de
ciuit. Dei.
cap. 4.

ꝑ iſt. 137.


Iohan. 4.

Rom. 12.

1 Cor. 14.
& 11.

Luc. 21.

nalis religio transferatur, verusq; ac spiritualis cultus instituat-
tur, & quàm latè patet orbis vniuersus, in omnibus terrarum
locis templa summo Deo piè colendo fabricentur, in quibus
ipsi Fideles templa Deo facti, non cum Iudæis ex ritibus tan-
tùm externis & figuris pendeant, sed in colendo Deo, spiritu
fidei & charitatis duce procedant, ac Legis vmbri relicti, se-
cundùm Euāgelicam veritatem ac libertatem ambulent. Hoc
Paulus illo etiam verbo complexus est: *Providentes bona non
tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* ac iterū:
*Omnia honestè & secundū ordinem noui scilicet Testamēti fiant
in vobis. Nunquid domos non habetis ad manducādum & biben-
dum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Vnde Christus laudat vi-
duam pauperem, honorandi templi adeò studiosam, vt minu-
ta duo, id est, omnem victum suum miserit in templi gazo-
phylacium.



DE RECTO, LAVDABILI ET SA-
LVTARI VSV TEMPLORVM, AC
peculiariter de illorum dedicatione.



VEMADMODVM ego pestilentem errorem
& barbaricum furorem illorum detestabor, quos
iuuat in sacras ædes, earumq; altaria desæuire, vel res
consecratas prorsus contemnere, sicut paulò post
explicabimus: ita rursus eos Catholicos amabo atq; comple-
ctar, qui religionis veteris & Catholicæ conseruandæ ac au-
gendæ studio zeloq; flagrantes id faciunt, quod in sacris locis
instituentis, & altaribus erigendis probatissimi Patriarchæ,
^a Noë, ^b Abraham & ^c Iacob, nullo præcepto licet impulsī, ma-
gna cum laude factitarunt. Nota est ^d Israëlitarum priscorum
pietas, quos dedicatio tabernaculi & altaris à Moyse facta tan-
toperè cōmouit, vt familiæ illorū omnes auri & argenti plu-
rimum vltro contulerint ad Dei cultum amplificandum. Se-
cuti sunt postea eximij Reges ^e Dauid, ^f Salomon & ^g Iosias,

^a Genes. 8.^b Genes. 12.
& 22.^c Genes. 28.
& 33.^d Num. 7.^e 2. Reg. 7.^f 3. Reg. 5. &

1. Paral. 17.

^g 4. Reg. 23.

qui certatim omnes, vt alios taceam, templi Hierosolymitani tum erigendi, tum conseruandi & ornandi rationem habuere maximam. Iam verò ^b Esdras cùm templum videret dirutū, in illo restituendo ac dedicando vnà cum populo magnopere laborauit. Non repetam ingentem eiusdem populi lætitiā atq; congratulationem, cùm sub Principibus Macchabæis templum iterum & dedicaretur, & sanctificaretur. De Apostolis primis Ecclesiæ Christianæ rectoribus atque pastoribus non temerè scripsit Lucas, quòd semper in templo fuerint Deum laudantes atq; benedicentes, ac idē exemplum primos quoq; Fideles esse sectatos, Laudatur & nobilis Anna vidua, sicut idē Lucas indicat, quod ieiunijs & obsecrationibus nocte ac die seruiret, & nunquā de templo discederet. Accesserunt postea insignes Christianorum heroës & principes Constantinus, Theodosius, Iustinianus, Carolus, Henricus, alijq; complures Deo deuotissimi Cæsares, quibus Clodouæum, Dagobertū, Sigismundum, aliosq; præpotentes Reges annuero: cōmune quippe illorum studium fuit, ad summam Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatem templa condere, & ministros eorum alere non sine ardentibus studijs, & magnificis impensis, & annuis prouentibus. Vix dies vllus præterijt, quo illi sanctam Augustini matrem Monicam non cupidè sectarentur, vt ædem sacram adirent, & publico Missæ sacrificio ad Christi gloriam interessent. Sciebant utiq; Diuinū esse oraculum, quod iuxta Septuaginta sic legitur apud Isaiam: Holocausta & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus orationis vocabitur cunctis gentibus: quodq; promiserat Deus, oblationem mundā apud Gentes in omni loco sacrificandam esse. Quanto autē pulchrius horum Principum emicuit virtus, & apud sequentes ætates omnes illorum pietas celebrata est magis: tantò peius alij meritò audiuerunt, semperq; audituri sunt, qui sacris in locis vel spoliandis, vel euertendis, aut profanandis operam nefariam posuerunt. In horum albo fuerunt Ecclesiæ pestes Ariani atque Donatistæ, quoniam in templa Catholica immaniter sæuierunt, non valdè dissimiles impijs ty-

b 1. Esdr. 4.

1. Macch. 4.

Luc. 24.
Act. 2.

Luc. 2.

Isai. 56.

Mal. 1.

Vide Cedrenum, Zonaram, & Optatum.

4. Reg. vlt.
Daniel 5.
2. Macch. 6.

rannis & sacrilegis Regibus Nabuchodonosor, Baltasari & Antiocho. His adijcere licet eos, qui Christi secuti sunt aetate, Iulianum apostatam, Christianorum ferè carnificem Diocletianum, damnatae memoriae Leonem Isauricum, ac eius filium nomine suo dignum Copronymum, ut missos faciam alios eiusdem farinae complures, Deo & hominibus exosos & funestos iconoclastas, qui sicut immortalem sibi nominis ignominiam furenti immanitate crearunt, ita etiam multos Ecclesiae verae Martyres nobis effecerunt: tanta illis fuit rabies & in res & in personas Ecclesiasticas hostili barbarie debacchadi. Praetereo Pseudoapostolicos tam improbos, ut clamitare non dubitarint, consecratam Ecclesiam non plus ad praecadum valere quam porcorum stabulum, & aras ab haris non discerni, neque Christum in templis melius quam in silvis adorari oportere. Eodem ferè fermèto corrupti Massiliani, VValdenses, Hussitae, Thaboritae, & plures eiusdem classis insani superioribus saeculis extiterunt Turcis nefarijs immaniores. Mihi verò illi maxime sunt deplorandi, qui cum aetate nostra odio Ecclesiae VValtiniano flagrèt, si antehac unquam, nunc suum hereticum spiritum & barbaricum furorem orbi clarissime produnt, quando Catholicis templis nullum concedunt honorem, & omne pretium auferunt, omnemque tollunt ornatum, & spoliandi quidem ac vastandi nullum faciunt finem: veluti rem Euangelio dignam & sanctam peragant, si inter fas & nefas, inter sacrum & profanum nihil discriminis ponant, omnemque cultum Diuinum abrogent ac pessudent. Sunt isti profecto Ecclesiae Catholicae iniquissimi iudices, & sacrorum praeterea contumeliosissimi subuersores, qui sacrum eius cultum omnem ad anilem superstitionem ac meram idololatriam referunt impudenter. Per hos velut Petrus Apostolus fore praedixit, via veritatis blasphematur, & Satanus aperit os suum, ut Iohannes monuit, in blasphemias ad Deum & Sanctos, Deique tabernaculum, quos & Iudas vocat illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Quis verò Dei & Ecclesiae amans non valde doleat ac deploret, his incentoribus tam grauem & immanem

3. Petr. 2.

Apocal. 13.

Iud. 1.

facrorum

sacrorum locorum profanationem, & horrendam abomina-
 tionem in Europa modò grassari, quæ nullis aut verbis aut lac-
 crymis possit exæquari? Quoniam verò sine templis consistere
 nō potest religio, en tibi nouum & pestiferum Satanae stu-
 dium in synagogis nouis excitandis, ne suis officinis & sedi-
 bus noua impietas careat, in quibus tam miseri, deformes, si-
 mulq; diffformes ritus se nobis ridendos magis q̄ cōfutatione
 dignos offerunt, in hoc maximè cōparati, vt veteris nō modò
 fidei, sed etiā Ecclesię facies planè cōuersa & puerfa cernatur.
 Rectè cū Saluiano, qui peruetustus est autor, hīc dixeris: Tem-
 pla atque altaria minoris reuerentię habent, quàm cuiuslibet
 minimi ac municipalis iudicij domum: passim illuc omnes
 sordidi ac flagitiosi sine vlla penitus religione sacri honoris ir-
 rumpunt. Quarè id vnum superesse ducam, vt ego hāc infelis-
 cem ætatem sæpè multumq; deplem, quæ tot sacrilegos
 rerum ac ædium Deo sacratarum demolitores ac spoliatores
 extrudit, vtq; pristina Ieremię Prophetę lamenta ob Dei do-
 mum profanatam mecum renouem, ac verba illa Dauidica
 mœstus repetam, *DEVS venerunt Gentes in hereditatem tuā,
 polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pom-
 rum custodiam. Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsanna-
 tio & illusio his qui in circuitu nostro sunt: quia comederunt Iacob,
 & locum eius desolauerunt.* Verè nunc impletur dictum illud
 Propheticum: *Filie Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad
 solennitatem.* Veniant inquam, sicut nostri venēre maiores, ad
 DEI templa & festa sincerè sanctificanda. Vnum & commu-
 ne studium est nūc omnium Sectariorum, sicut & prauorum
 dæmonum, vt sacrarum ædium & altarium euerfioni passim
 opera detur, nullusq; cum Dauide & Salomone de templis
 condendis & ornandis cogitet amplius, neque ex animo di-
 cere possit: *Introibo ad altare DEI, ad DEVM qui latificat iu-
 ventutem meam. Confitebor tibi in cithara DEVS DEVS meus.
 Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit &
 deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exulta-
 uerunt in DEVM viuum, Domine dilexi decorem domus tuę, &*

Lib. 3. de
 prouiden.

In Threnis.
 Psalm. 79.

Thren. i.

Psalm. 42.
 73. 25.

locum habitationis gloriae tuae. Nihil sanè mirum, si afflictissimus Ecclesiarum status, quo nihil magis miserandum est, pijs omnibus amaras exprimat lacrymas, quando passim in templis nihil ferè integrum, sed contracta, diuisa, exusta, dissipata & profanata penè omnia cernimus, vt quæ ad externum DEI cultum, & templorum ornatum pertinent, ea non solùm à sacrilegis rapiantur, & in vsus planè alienos conuertantur, verùm etiam furenti populo sæpè conspurcanda & deuastanda impunè obtrudantur. Ita enim re ipsa declarant, se nò solùm Iuliani apostatae, & Iustinæ simul Augustæ & Arianæ fidos esse satellites, sed & peruersos Ecclesiæ desertores & hostes, adeoque profanos anteambulones illius execrandi Antichristi. Hoc enim Principe longè omnium impijssimo sauiente, templa Diuina domorum instar erunt, ac locis omnibus euersiones fient Ecclesiarum, quemadmodum insignis ille Christi martyr Hippolytus, quem fortassis & alibi citauimus, luculenter est vaticinatus. Quæ omnia fusiùs à nobis adducuntur, vt qui oculos habent; videant, quantum illis fidei tribuendū sit, qui publicè profitentur, sua operâ Euangelium illustrari, & reformari Ecclesiam, purioremq; doctrinam in orbe vindicari: cum certè ad inuehendum ac stabiliendum Satanismū, omnemq; Atheismum nulla possit via, quàm quæ ab ipsis inuenta & vsurpata est, commodior ac validior excogitari. Verùm his omissis, ad templorum dedicationem redeat oratio.

E G O præcipuè cum anniuersarius dies templi dedicati recurrit, sicut hodie quidem hîc celebratur, eandem sacram ædem libenter inuisam, meaq; vota, & quæ maximè petenda ducam, æterno DE O tunc ardentè offeram atq; commẽdabo. Scio quippe, pios etiam longè diffitos in Christi nomine tûc de more veteri cõuenire, & studiosiùs comprecari, nec modò Salomonem regem æmulari, sed Angelicum quoque munus explere in authore omnium venerando atque laudando. Expendã igitur ea verba, quibus vtitur Ecclesia, multisq; retroactis sæculis vsa est, reuerèter & significãter orans in hûc modum: DE V S qui per singulos annos huius sancti templi

Vide Sozomen. lib. 5. c. 14. & lib. 7. cap. 13.

Oratione de consum. mundi.

3. Reg. 8. Isai 6.

tui consecrationis reparas diem, & sacris semper mysterijs re-
 præsentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præsta: vt
 quisquis hoc templū beneficia petiturus ingreditur, cuncta se
 impetrasse lætetur, per Christum Dominum nostrum. In quo
 precandi studio nihil me sinam impediri ab his, quibus in do-
 mo Dei regnoq; Christi pars nulla debetur, quiq; vt canes, sa-
 cra ferè omnia mordent atq; conuellunt, digni sanè, qui & in-
star canum à sacris locis omuib; arceantur, nisi seipfos vltro
præscinderent ab omni communione Sanctorū. Me sanè nec
 pudebit, nec pigebit cum plerisq; pijs eo modo qui dictus est,
 precari, ac simul præceptum illud obseruare diuinum: *Sic lu-*
ceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona,
& glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Habeo præterea
 quem imiter Christum Dominum perfectionis omnis exem-
 plar, qui cū templi Iudaici vsu & cultu neutiquam indigeret,
 tamen iniussus illud toties inde à prima pueritia libenter inui-
 sit, adeoq; festum Dedicationis, siue vt Iohannes appellat, en-
 caniorum, quod à Machabæis antea institutū fuerat, sua tum
 præsentia, tum cōcione publica Hierosolymis cohonestauit.
 Quod sanè festum etiamsi neque à DE o præceptum haberet,
 neque à Moyse vel Prophetis commendatum esset, tamen ob
 Ecclesiæ Mosaicæ autoritatem ad Christi tempus vsque rece-
 ptum & probatum durauit, immò ad Christianam Ecclesiam
 quoq; transmissum, & haud sine solempni celebritate confir-
 matum hæctenus perseuerat. Etenim simulatq; scelerata per-
 secutionis rabies, qua Iudæi ac Ethnici in Christianos primos
 crudeliter sæuierunt, Dei beneficio conqueuit, sacrilegis ty-
 rannis pij statim successerunt principes, qui diruta & solo æ-
 quata templa repararēt, & maiore quàm antea sumptu ac stu-
 dio in gratiam Fidelium passim restituerēt. Mox accessit cele-
 bre spectaculum, sicut Eusebius vocat, in templis dedicandis
 per vrbes singulas, vt hinc frequenter Episcoporum conuen-
 tus, & remotis è locis populorū cōcurfus incredibili cū Chri-
 stianorū gaudio pagerētur: tanta cunctorū ordinū erat alacri-
 tas in ferijs vbiq; gentiū celebrādis. Quid qđ Cōstantinus Imp.

Matth. 5.

Luc. 2.
Iohan. 2.
& 10.
1. Macch. 4.Lib. 10. Ec-
cles. hist. c.
2. & 3.

Lib. 2. hist.
Ecclef. c. 25.

Euf. lib. 10.
cap. 5.

3. Reg. 8.
2. Paralip. 5.

1. Macch. 4.

qui non temere Magni nomen obtinuit, cum ingens templū Hierosolymis ædificasset, Episcopos in Tyro collectos amanter cōuocauit, sicut Sozomenus est autor, vt ad ædem suam consecrandam properarent, quos & præsentem perquam humaniter in hac ipsa dedicatione tractauit? Et vetus quidē Ecclesia Hierosolymitana eundem retinuit morem, vt certum diem dedicationis templi quotannis recoleret, ac diebus insuper octo pios cōuentus agere gauderet. Neque solum Eusebius ac Sozomenus hac de re meminerūt, sed & sacra narrat historia, primam & secundam Salomonis templi dedicationem nō sine communi ac ingenti gaudio Magnatum, Sacerdotum, ac totius populi transactam fuisse. Ita quippe de Salomone scriptum legimus: *In die octaua dimisit populos: qui benedicentes Regi, profecti sunt in tabernacula sua letantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo.* Tum postea, cum hoc templum impiè dirutum restituisent, iterumq; dedicassent, sic Scriptura loquitur: *Facta est letitia in populo magna valde, & statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa Ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum cum letitia & gaudio.*

QUO C I R C A mihi etiam atq; etiam curæ fuerit, vt piorum maiorum spiritum induam, & exemplum sequar ad spirituale quoddam gaudium assumendum, quod cum hoc ipso festo quotannis cōiungam, velut in Domino sim gloriabundus. Vbi bonorum omnium perenni fonti DE O gratias agere satagam, qui tam præclaram voluntatem, paremq; facultatē, & latum porrò successum illis contulit, qui præsentis templi ædificium extruxerunt, fundarūt, ornarunt atq; cōseruarunt, nō sui quidem, sed publici commodi gratia, & potissimū quidem, vt cultus diuinus in posterum ad sanctissimæ Trinitatis honorem celebraretur ab his, qui salatares religionis actus & cultus vnquam essent illic exercitaturi. Gaudebo insuper, nobis occasionem & cōmoditatem tribui, vt in Christi nomine hoc loco cōueniamus, & eundem Emmanuelem secundum vtramque naturam verè præsentem adoremus, cuius quidem

virtus & gratia partim per mundum & iuge sacrificium Ecclesie, partim per Sacramentorum velut pyxides in nos, quoties volumus, salutariter deriuetur. Non ego lapides, ligna, & reliquam externam templi structuram valde spectabo, sed videre mihi videbor ex viuis veluti lapidibus collectum corpus vniuersae Ecclesie, quod per visibilem cœtum Fidelium hîc cōprecantium, & in vnitatem fidei ac spiritus coadunatorum, pulchrè nobis repræsentatur. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus: ita multi vnū corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus,* vt Paulinis verbis vtar; & præterea conformem vnius religionis speciem ac imaginem externo cultu in templo testamur. Chrysostomus habet in hūc modum: Ideo in mysterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes pro nō initiatis preces effundimus, & pro infirmis, terreq; & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.] Adhæc in Christo gratulabor bonis omnibus siue viuis, siue vita functis, qui in Catholica fide, spe atq; charitate firmissimè conglutinati, eodem loco supremum coluere numen, ac vnū eundemq; creatorem humani generis in spiritu & veritate vnquam adorârunt, suæq; pietatis quaecunq; testimonium inde ab initio illic ediderūt. Rursus delectabor illorū memoria, qui velut viua Christi Ecclesieq; membra, siue sibi, siue alijs bona temporalia, spiritualia ac aterna illic procurarūt atq; impetrârūt, ac etiamnum procurare & impetrare cōtendunt. Cum his ipsis mihi charissimis fratribus & sororibus, sicut & cum Sanctis omnibus, qui sincerè ibidem coluntur, ego mea vota desideriaq; cōiungam, & immortalī DEO per illos ipsos cōmendari ex animo petam, perinde ac si dicerem: *Particeps ego sum, & esse cupio semper, omnium timentium Dominū,* præsertim qui hoc loco latrā DEO, & cultū pium Sanctis exhibuerūt, hodieq; exhibere nō cessant, vt sua vota religiosè depromant. Visita quæsumus Domine hanc domum tuam, in cuius manu sunt omnia, & cunctos in hoc templo te corde & corpore honorantes benedicere, nouisq; gratiæ tuæ præsidijs cumulare perge. Sanctifica magis ac magis hoc templum ma-

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Homel. 77.
in Iohan.

Psalm. 118.

Pfalm. 83.
& 10.

Hom. 4 de
incompr.
Dei natur.

Serm. 1. in
anniu. de.
dic. & serm.
255. de Tēp.

N3

1. Cor. 6. &
2. Cor. 6.

iestati tuæ consecratum, ac diuinum in eo cultum factum ac
tectum cōserua, vt nomini tuo tranquillè & inoffensè seruiat-
tur. Benedictio tua super nos maneat, vt cūcta nobis mala de-
pelli, bonaq; necessaria corpori & animo cōferri sentiamus,
quoad in templo tuo latissimè cōgregemur omnes, & ferias
nunquam desituras alacriter celebremus, tibiq; velut in vno
choro cōiuncti, Angelicū illud alleluia cōsonis vocibus per-
petuò concinamus. *Beati enim qui habitant in domo tua Domi-
ne; in secula seculorum laudabūt. te. Dominus in templo sancto suo,
Dominus in caelo sedes eius.* Psalmographo teste. Atq; huc refer-
ri potest & illud, quod Chrysostomus expressè docuit, quo
tempore diuinum sacrificiū offertur in templo, beatos adesse
Spiritus Angelos & Archangelos, qui genua flectentes nobis-
cum precentur, & sacrosanctam adorent oblationem, quiq;
pro genere humano supplicātes, ita dicere videantur: Pro his
Domine rogamus, quos tu ad eò dilexisti, vt pro eorum salute
mortem obires, & animam in cruce efflares. Pro his supplica-
mus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem; pro his ora-
mus, pro quibus Corpus hoc immolasti.]

EXTANT complures veterū Patrum, vt Chrysostomi,
Augustini, Bernardi homiliæ de tēpli dedicatione, de qua lo-
quūtur etiā Athanasius, Basilius, Ambrosius, Gaudentius, Ge-
lasius, vt recentiores omittā, ac simul Fideles hortantur de tē-
plo spirituali meditando, cuius figura & imago sit templum
materiale, seu domus manufacta, & per Episcopū consecrata.
Vnde scripsit etiā Augustinus, huc nobis esse contendendū,
vt quod in templis & altaribus per Episcopum visibiliter agi-
tur, id in nobis Credentibus spirituali ædificatione inuisibili-
ter compleatur. Immò & Paulus Apostolus nos docet de tē-
plo ita philosophari, vt in externa templi fabrica, quæ muris &
lapidibus constat, non hæreamus, sed ad altiora contemplan-
da progrediamur. Sic enim scribit: *Templum Dei sanctum est,
quod estis vos. Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei ha-
bitat in vobis?* Atq; vt magis probet, Fideles esse templū DEI,
verba citat Prophetica, quibus DEVS ipse sic loquitur:

Quoniam

Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorū DEVS: & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos. Vbi renatis vetat Apostolus immundum attingere, ipso q̄; contactu impuritatem cōtrahere, quia Spiritus sanctus in illis habitat, qui mundum cordis hospitium, templumque nitidum ac sanctum eidem exhibent. Vnde alibi quoque Paulus hortatur: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, quod nempe per carnem admittitur, vel saltem corde & cogitatione cōsatur, sicut locum illum Sedulius interpretatur. Nec solūm Apostolus animas, verum & corpora Fidelium tanti facit, vt ea vocet templa Spiritus sancti, qui nempe in illis ipsis habitat, ac suam vim ad sanctificandum in vasis electis continenter exercet, eorumque adiuuat infirmitatem. Quæ templa in his, qui sacro baptismo initiantur, Deo primū dedicantur, ac deinde continuam exposcunt sanctitatem siue munditiā, ne semel abluti ac sanctificati, grauiorē labē peccādo cōtrahant, atq; ita Spiritum diuinū è suo veluti templo & hospitio immaniter exturbēt atq; profligēt: *Qui enim templū Dei violauerit, vt idem Paulus affirmat, disperdet illū Deus. Quæ etenim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial?* Certè sicut DEVS secundū naturā suam inde ab æterno sanctus, mundus ac purus existit, ita illis germanis filiis gaudet ac delectatur maximè, qui ab omni sorde criminis repurgati & alieni, corporis animique puritatem diligūt, & sicut pater Iohannis Baptistæ loquitur, coram ipso diebus vitæ suæ omnibus seruiunt in sanctitate atq; iustitia. Vnde vox illa principis Apostolorū: *Secundum eum qui vocauit vos Sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis: quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Nam & *peruersa cogitationes*, si Sipienti credimus, *separant à Deo, & in matenolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis.* Qui verò templum hoc spirituale crimine quodam polluunt, violant aut profanant, hi dulcissimum hospitem Spiritum sanctum prius acce-

2. Cor. 6.
Leuit. 26.
Hai. 52.

2. Cor. 7.

In hanc
locum.

1. Cor. 6. 3.

2. Cor. 6.

Luc. 1.

1 Petr. 1.
Leuit. 11.
& 19.
Sapi. 1.

2. Reg. 12.

Ezech. 18.

Psal. 50.
& 33.

Ecclef. 15.

Psal. 5.

Apocal. 4.

Ierem. 11.

ptum amittunt, quemadmodum Dauid post adulterium patratum amisit. His remedium atq; solatium hoc utiq; superest, vt per nouam templi dedicationē purgentur, ac offenso DE O reconcilientur. Is enim velut Episcopi munere fungatur, suum in conuerso libenter explet. *Conuertimini, inquit, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prauaricationes vestras in quibus prauaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum. Nolo mortem morientis, dicit Dominus DEVS: reuertimini & viuite.* Adeò verum est, cor contritum & humiliatum à DE O non despici, vt *qui iuxta est his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritum saluabit.* Alioqui nisi hæc spiritualis templi repurgatio, ac iterata veluti dedicatio & sanctificatio peragatur, nullus vnquam patebit aditus ad supremum illud, cœleste æternumq; templum, quod nemo nisi iustus & sanctus, ingredi potest. Sic enim sacra Scriptura loquitur: *Cæcus & claudus nō intrabunt in templū. Non est speciosa laus in ore peccatoris. DEVS non est volens iniquitatem, neq; habitabit iuxta illum malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos eius. Non intrabit in eam* (cœlestem Ierusalem) *aliquid coinquinatum.*

V B I ego mentem quoq; meliorem precabor illis Catholicis, qui ne sint DE O parum ingrati, sicut alibi passim, sic etiā, pro pudor & dolor, in sacris templis irreligiosè, leuiter, vanè ac infructuosè versantur. Etenim quod huius temeritatis est caput, crebrò illi nec temporum, nec locorum sacrorum religione vlla tanguntur, atq; idcirco nō magis quàm Iudæi vel Ethnici, Diuinam maiestatem in templo vsq; præsentem suspiciunt atque venerantur. In hos ipsos iusta irati Dei querela competit, vt meritò audiant Propheticum illud: *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* An' non scelus est, in domum Dei sanctam illotis velut pedibus irrumpere, & canum instar nullo Diuini numinis metu affici atq; terreri, quātumuis DE VM offensum, & conscientiam malè constitutam agnoscas? Scelus est à Turcis etiam nefarijs reprehensum, nostros per sacras ædes, veluti per forū vel porticum obambula-

re, &

re, & de rebus forensibus, impuris, indecentibus confabulari, sanctumq; locum & tempus corde & ore polluto conspurcare. Scelus est, oculos in contemlandis mulierum formis pascere, & cum DE I verbum prædicatur, Satanicis inspirationibus præbere locum, nullus vt fructus ex bono semine iacto colligatur. Scelus est, ministros Ecclesiæ siue orantes, siue cantantes, siue sacrificantes nullo habere in pretio, sed perturbare potius ac impedire. Scelus est, corpore tantum, non corde illic præsto esse, vbi sacra mysteria non modò meditanda, sed etiam Sacramenta percipienda nobis proponuntur, ac DEVS ipse totum requirit hominem; à quo in spiritu & veritate honoretur. Auertatur enim ille hypocritas, qui cultum externum labijs & cæremonijs simulat magis, quàm quòd ex animo suum colant, & ament, & laudent autorem. Peccant & illi, non correptione minùs quàm commiseratione digni, qui solennes ferias, & præsens hoc festum dedicationis tam præposterè celebrant, vt Baccho & Satanæ magis, quàm DEO & Ecclesiæ sacrum tempus impendant, illis persæpè rebus intenti, quæ animum nò solum à diuino cultu auocant, verùm etiam à pio & sacro rerum sacrarum studio & amore omninò seiungunt, atq; ad effrenè vitæ licentiam ac vètris ingluuiem pertrahunt. Ex quibus omnibus acerbum ego mœrorum capiam, quòd nefaria Satanæ in Sectarijs & pseudocatholicis operantis consilia huc tendant maximè, vt ingens Diuini honoris passim fiat imminutio, & Catholica pietas planè labefactetur, DEVS verò & Sancti eius cum certa tot mille animarum pernicie insigniter offendantur. Quare cum Chryso-stomo meritò conquerar: Quo tempore maximè orandum est, vt Deum nobis reconciliemus, hoc ipso ita discedimus à templo, vt iram Diuinam in nos concitemus.] Atq; hoc est, quod iratus DEVS & olim per Prophetam irreligioso populo est interminatus, & nos hodie plus satis experimur. *Cum veniretis ante conspectum meum, inquit, quis quaesuit hæc (quæ in templo committitis) de manibus vestris, vt ambularetis in arijs meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio*

Homil. 2.
in 2. ep. ad
Corinth.

Isai. 1.

Jerem. 7.

est mihi. Neq; multò post: Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam. Manus enim vestrae sanguine plene sunt. Tum per Ieremiam sic loquitur: Bonas facite vias vestras & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto.

Luc. 18.
& 24.
Actor 2.
Psalm. 137.
& 91.
Genes. 28.
& 35.

Hom. 1 super illud Isaie Vidit Dominus fudent.

P O S T R E M O ne longiùs euchar, mihi magnoperè curandum est, vt multo cautiùs & accuratiùs templum adeam, & in eo verfer, quàm plerique seculi huius filij in domo, mensa, curia aut apud viros honestos morari consueuerūt. Deum imprimis in templo religiosiùs quàm vsquam alibi, mihi colendum proponam, illumq; mirabiliter in domo sua præsentem, & paternè operantem puris fidei oculis aspicere, & submissè reuereri consuefcam. Meminero, quem in modum publicanus ille pœnitens, & Apostoli primiq; Fideles comprecantes, vt diximus, in tēplo DE I se gesserint, & quibus oculis DE V M purè spectarint, perinde ac si dicerent: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Vix credi potest, quàm sedulò ac religiosè rem instituerit Iacob Patriarcha, vir DE O deuotissimus, cùm visionem in somno sibi oblatam considerasset, ac eodem in loco futuri templi Iudaici dedicationem ac sanctitatem per spiritum cognouisset, vt hinc totus ad timorem ac reuerentiam cōuersus exclamaret: *Verè Dominus est in loco isto.* Quanta igitur apud me debet esse religio, quàmq; fidelis reuerentia, cùm venerādā DE I adē accedo, & in ea verfor, nō meo tantum, sed & aliorum nomine vota facturum, immò & aeternæ salutis negotium in DE I & Angelorū conspectu tractaturus: Nihil enim dubitabo, multas beatorum Angelorum myriades illic turmatim assistere, & piorum obseruare preces, gemitus & lacrymas, vt hinc velut fragrans & odoriferum sacrificium coram summo summi DE I throno latissimis animis offerant ac representent. Vnde Chryostomus testari nō dubitat, mētam seu altare in Ecclesijs vallari multitudo Angelorū, sicut alibi quoque confirmauimus. Iam verò quid sublimius, sanctius, ac venerabilius tribus personis Diuinis,

quæ

quæ se nobis in consecratis templis ad summum cultum & perfectam adorationem exhibent, ac suam laudem & gloriam nulli creaturæ communicabilem, ab homine celebrari in primis promerentur ac flagitant? Illic sacrosancta tremendaque Corporis & Sanguinis Christi mysteria, quibus nihil in terris præstantius vel augustius esse potest, consecrantur, offeruntur, percipiuntur, vt verum & efficax illud DE I sit vaticinium atq; promissum, sicut Patres interpretantur: *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco,* (in templis videlicet consecratis tanquam proprijs sacrificij sedibus) *sacrificatur & offertur Nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Illic asseruantur atque operantur nunquam satis laudata, & humanæ infirmitati necessaria, & à Christo ipso instituta Sacramenta, vt sint armariola quædam Diuinæ gratiæ in homines defluentis. Illic suum exercent officium animarum medici, Christiq; ministri, & diuinorū mysteriorum dispensatores, quos Christus tanquã seipsum iussit audiri, consuli atque præ ceteris magistratibus honorari. Illic salutare DE I verbum per Ecclesiasten, veluti per destinatum è coelis Angelum, sicut illum & Malachias appellat, publicè denuntiatur, eoq; grex Dominicus velut mannâ cœlesti in deserto pascitur. Illic sanctorum Martyrum ac Diuorum reliquiæ conduntur, sæpè & patrocinia percipiuntur, testante nobis Augustino, Christianum populum memorias Martyrum religiosa solennitate cõcelebrare, & Ambrosio confirmante, se in more habuisse, vt quotidie Martyres, siue eorum basilicas orationis gratia visitaret. Illic demùm quæcunque ad religionem diuinumq; cultum spectant, tum à Sacerdotibus & Ministris alijs, tum à populo cuiusuis ordinis deceter & ex professo instituuntur atque peraguntur: vt hinc etiam veteres nõ temerè illud vsurparint: *In templo tanquam in cœlo versare; & Augustinus rectè monuerit: In Oratorio nemo aliud agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit.]*

C V R verò mirer, nunc pretia rerum in immensum augeri,

nouasq;

Malach. 1.

Luc. 10.

& 17.

Matth. 10.

& 28.

Malach. 2.

Lib. 20. cõt.

Fauf. c. 21.

In Orat. de

tradend.

basilicis.

In epist.

109.

Aggæi.

nouasq; clades & miserandas calamitates in regiones nostras inuehi, vt cuncti de difficili ananæ caritate conquerantur, ac certa iræ diuinæ flagella vel inuiti cogantur agnoscere? Idē quippe maledictum iam nobis obtingit, quod olim iratus DEVS ingratis, auaris, & à templi cultu alienis Iudæis intulit, cum eos domestica & urbana paupertate, rerumq; omnium indigentia tantò magis afflixit, exhaustit & oppressit, quanto minorem illi curam suscipere de templo ædificando, Diuinoq; cultu restituendo. Sic enim loquitur per Prophetam Aggæum: *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflaui illud. Quam ob causam dicit Dominus exercituum: Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocaui siccitatem super terram.* His alijsq; verbis adiunctis edocemur, quòd singularem ac diligentem templorum suorum rationem habeat, & à Fidelibus haberi velit DEVS, quando quidem ædes sacræ ad Diuinam ipsius laudem & gloriam, & ob sua beneficia in nos conferenda extruuntur ac seruiunt. Quæ si benè ac decenter cultæ fuerint, fructum multiplicem afferunt, vt etiam homines & iumenta maiorem & meliorem nobis vsu præbeant, vtq; vberius lucrum ac emolumentum ad mechanicos redeat, & elementa demum ipsa sint passim salubriora. Si verò malè templa coluntur, DEI benedictionem in maledictionem facillè conuertimus, communeque detrimentum & periculum, immò & exitium in his, quæ ad cōseruationem & incolumitatem hominis pertinent, experimur, adeoq; nobis elementa ipsa quodammodò infausta & aduersa reddimus. Qua dere nouerūt iam pridem Ethnici ferre iudicium, sicut illa indicant prouerbia vulgò celebrata de equo Seiano, & de auro Tolofano. Neq; vanè prorsus dicitur: *Quod nō habet Christus, rapit fiscus*] sæpeq; dissipant immanes & crudeles Harpyiæ, quæ neglectam ac pessundatam religionem & olim vindicarunt, & nunc etiam passim vindicant. Videmus igitur nostros magnates ac diuites, vt de populari-

bus

bus taceam, licet priuatis commodis atque lucris supra modum incumbant, tamē sæpè in summas angustias redigi, vt rerum, laborum & consiliorum suorum successum nullum sentiant, seque & familiam ægrè sustentent, quoniam cùm Diuini honoris & cultus conseruandi ac promouendi sint negligentissimi, præsentī pœna & maledictione diuina plectuntur. Etenim quod maiorum pietas laboriosè simul & sumptuosè in templis extruxit atque fundauit, illud nos turpiter obsolescere, collabi & perire sinimus, vt ne factum quidem ac tectū tueri dignemur. Quid verò Apostolus Paulus: *DEVS*, inquit, *non irridetur. Que semina uerit homo, hac & metes.* sicut etiam autor Ethnicus dixit: *Vt sementem feceris, ita & metes.* Quare in nos quoque competit, quod Augustinus in Iudæos inueniens dixit: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, atque sic vtrumque amiserunt.* De nostris verè pijs maioribus dici nō temerè potest, quod scriptum legimus: *In omnibus magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti in omni tempore, & in omnibus locis assistens eis.* Cæterum in sæculi nostri homines, qui ab omni ferè pietate alieni sunt, illud competit, quod eodem ferè loco scribitur: *Impijs vsq; in nouissimum sine misericordia ira superuenit.* Eius rei clarissimum cernimus exemplum in Aegyptijs, qui capitales erant hostes Israëlitarum, & de quibus hoc affirmat Sapiens, sicut & Moyse fusiùs explicat: *Negantes te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluujs persecutionem passi, & per ignem consumpti.*

Galat. 6.

Tract. 49.
in Euang.
Iohann.

Sapient. 19.

Sapient. 16.
Exod. 9.



DE PRECIBVS CVM HOC EVANGELIO & Festo coniungendis.

PRECANDVS est mihi Christus Dominus, vt sicut ipse olim Iericho, Ierusalem, & alias vrbes Iudaicas libenter inuissit, ita

nunc etiam Christianas ciuitates uisitare dignetur, multosq; illic verbo & spiritu suo Zachaeos lucrifaciat, praesertim ex illis ciuibus, qui suis diuitijs cum aliorum iniuria & damno abusuntur, & publice sunt criminosi, iniusti ac usurarij.

ORABO itidem eam mihi dari gratiam, ut ad meliora uocatus, diuina uoci & gratia cito & alacriter paream, sicut Zachaeus paruit, utq; Christum ipsum in pauperibus usq; praesentem libenter agnoscam, & amanter amplectar, uerè hospitalis erga peregrinos ac pauperes: ita enim & ipse Abrahae filius effici, ac domui meae salutem in utroq; saeculo consequi potero.

PRAETEREA Dominum rogabo, ut probe intelligam, an propter apertam uel occultam iniustitiam ac fraudem aliquid proximo debeam, utq; rem alienam, quam primum fieri potest, exemplo Zachaei restituam, ueraq; charitatis & misericordiae opera non nisi de bonis legitime partis exercere procurem.

AD HAEC quia dedicati tēpli uel altaris dies anniuersarius celebratur, à summo DEO petam singularem benedictionē & gratiam, ut noua & spiritalis templi dedicatio in me quoq; peragatur, qui totus & corpore & animo purus ac sanctus iterum Deo cōsecrer, meumq; templum à peccatorum sordibus tuear immaculau.

DE MV'M templa omnia, qua Catholicè ab Episcopis sacrata cognouero, haud secus quàm Dei uiui sanctaeq; orationis domos uenerabor, saepè precaturus, me bonorum omnium, qua illic fiunt, participem effici, & cultum Diuinum à me in Ecclesijs religiose persolui. Non enim est hic aliud nisi domus Dei, & porta caeli: sicut & Paulus Apostolus se quibusdam Fidelibus adiungens, uota sua in templo publicè reddenda censuit.

Genes. 28.
Actor. 21.



IN DIE SOLEN-
NIS VEL PVBLICÆ PRO-
CESSIONIS, VTI VOCARE SOLE-
MVS, NOTAE SEV DOCTRINAE
capita pro concione tractanda, quale-
cunque demùm EVANGELIUM
adiungatur.

NOTA I.

PROBANDAM ET RETINENDAM ESSE

*Orationem non modo secretam seu priuatam, sed
communem etiam & publicam.*

MEMINERO cum primis, rem esse summo
DEO gratam (actum nempe patriæ ac religio-
nis proprium) ipsisq; Fidelibus vtilem ac ne-
cessariam, immò vniuersæ Ecclesiæ salutarē,
quando complures in Christi nomine con-
gregati, tum ad mala & flagella quælibet iræ
diuinæ depellenda, tum ad beneficia siue corporalia siue spiri-
tualia impetranda piè conueniunt & comprecantur. Quocir-
ca Redemptor noster Christus pro se & alijs libenter orauit,
atque commune hoc orationis exercitium, quod in Prophe-
ticis & Apostolicis literis valde commēdatur, ijs verbis lucu-
lenter comprobauit: *Dico vobis: si duo ex vobis consenserint su-
per terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo
qui in cælis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine*

Luc. 9.
& 23.
Iohan. 17.
& 11.

Matth. 18.

Homil. 79.
ad popul.
Antioch.
Ephes. 2.

De incom-
prehensib.
Dei natura.
Luc. 8.
Matth. 26.

Marc. 14.
Matth. 6.

Matth. 21.
Iohan. 2.

Luc 18. & 2.
Luc. 24.

A&. 3. & 10.

meo, ibi sum in medio eorum, nempe tum ad audiendum, tum ad assistendum promptissimus. Quæ verba Chrysoſtomus tractans prudenter admonet, Christum concordie principem & amatorem (ipse enim est pax nostra) de duobus aut tribus consentienter orantibus meminisse, qui nihil non essent imperaturi: ac idcirco quod quisquã apud semetipsum precatus accipere non potest, hoc eum cum multitudine aliorum precando accipere, & quod propria virtus non efficit, per concordiam ipsam obtineri. Et domi quidem orari potest inquit, non autem sicut in Ecclesia, ubi tanta patrum (& aliorum precantium) multitudo, ubi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audieris, ut cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta vnanimitas & consonantia, charitatisque vinculum (quo nihil DEO est antiquius, & Christianis hominibus dignius) & Sacerdotum orationes. Cum his conuenit, quod idem Chrysoſtomus alibi docet, fieri non posse, ut domi quisquam tam bene oret quam in Ecclesia. Priuatim quidem & solus orauit Christus in monte pernoctans, & in horto seiunctus à tribus discipulis charissimis, quum calicem à se transferri peteret: sed idem hos discipulos secum orare iussit, inquit, *Sustinete mecum, vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*; tum & oraturis claudendum precepit cubiculum, ut omnem iactantiam, ostentationem ac tumultum in orando vetaret atque submoueret. Nihil verò dubium, quin communis oratio quæ in templo instituitur, à Christo probeatur, ut qui templum domum Patris, & orandi domum siue sedem appellat, ac publicanum in templo precantem extollit. Vnde Lucas etiam tantoperè laudat Annam viduam quæ de templo non recessit, sed preces in illo die noctuque persoluit Deo seruicens. De Apostolis ab eodem Luca scribitur: *Erant semper in templo laudantes & benedicentes DEVM*, nimirum post Christum in cœlos assumptum. Ac peculiariter Petrus & Iohannes commendantur, quod preces domesticæ & clanculariæ non contenti, in templum ascenderint ad horam orationis nonam, sicut & idem Petrus in superiora loca domus se contulit, ut circa horam

sextam


sextam oraret. Adhæc primi Fideles Apostolorum discipuli *perseuerantes erant in oratione*, vt idē Lucas exponit, non quidē priuata duntaxat & occulta: quandoquidē quotidie vnanimiter, vt idē asserit, in tēplo perdurabāt. Et certē Paulus Apostolus de cōmuni hac oratione verba facit, cū Fideles hortatur, pro suis magistratibus siue pijs siue impijs orationes, obsecrationes, postulationes & gratiarum actiones facere: cū præterea se suumq; munus Euangelicū, vt maiorem Dei gratiā sentiat, illorū precibus sæpè & accuratè cōmendat. Quapropter ego permagni faciam, semperq; faciendū putabo communem & publicū precandi morē, sicut & stata orandi loca & tēpora, quę inde ab initio nascētis Ecclesię veluti per manus tradita, & à maioribus nostris obseruata perseuerāt, nec minùs à probatissimis autoribus quàm ab antiquissimis annalibus passim cōfirmantur. Vnde quod Christus mandat, *Oportet semper orare & nō deficere*, quodq; Paulus exigit, *Orate sine intermissione*, ^a Hieronymus & ^b Augustinus sic accipiendū docent, vt certa orandi tēpora & diuisę horę, quas etiā ^c Cyprianus & ^d Athanasius Ecclesiastico more cōmemorant, nullo die intermittātur. Neē mihi solūm, sed & pijs omnibus conuenire censebo, vt cū Propheta regio dicamus: ^e *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio iustorum & congregatione. Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo graui laudabo te. Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesię laudabo te. Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

A Cor. 2.

1. Timoth. 2.
Vide Augustin. epi. 59.
ad Paulin.
Rom. 16.
Ephes. 6.
Coloss. 4.
1. Theff. 5.

Luc. 18.
1. Theff. 5.

^a Ad Eustochi. de custodia virg.
^b De hæresib. hæ. 57.
^c De orat. Dominica.
^d de Virgin.
^e Psalm. 110.
& 34.
Psalm. 21.



EIVSMODI COMMVNIS ET PVBLICA oratio multas & eximias affert utilitates.



AE C precatio non potest non magni esse momenti, quæ præclaris Scripturę testimonijs commendatur, ac DE VM ipsum habet autorem, eiusq; orna-

Matth. 7.

Luc. 11.

Iohan. 16.
& 15.

Ioël. 2.

Actor. 20.

Iudith. 4.

a. Paral. 20.

Hebr. 13.

Luc. 10.

1. Reg. 15.

Roman. 10.

tur præceptis, promissionibus ac præmijs in hac futuraq; vita reddendis. Non enim mentiri potest Veritas, quæ luce clariùs docet, *Petite & dabitur vobis: querite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui querit, inuenit: & pulsanti aperietur. Petite & accipietis: ut gaudium vestrum sit plenum. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumq; volueritis petetis, & fiet vobis. Quid autem eo luculentius, quam quod summus Deus per suum Prophetam populum excitat fidelem ad cœtus pios cogēdos, & ad communes preces publicè instituendas? Canite, inquit, *tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & iugentes vbera.* Tam grauitè & seriò mandat **DEVS**, nō minùs quidem Christianorum quàm Iudæorum Ecclesiam compellans, ac postulās, vt ex omni ætate atq; conditione Fideles ad cultum sui nominis externum simul & internum celebrandum colligantur, suamq; obedientiam publica oratione testentur, quam & ieiunio & pijs alijs operibus deceat exornare. Et sicut Sacerdotibus ac Episcopis, quorū est regere Ecclesiam Dei, vt Paulus affirmat, propriè cōpetit, populū ad supplicationes publicas cōgregare, quo modo Eliachim Pōtifex, aliq; Sacerdotes magni tempore Iosaphat & Ezechix Regum Iudæ fecerunt: ita vicissim ad populum spectat, se tanquam oues in ea re subditas & morigeras, suis præbere pastoribus, & ad indictas supplicationes libenter accedere. Habent enim præceptum Apostolicum, quod sine scelere non potest violari: *Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis.* Qui cū Pastorum vocem audiunt, Christum principem Pastorū audiunt, & sanctæ obedientiæ, quæ magnam habet remunerationem, nunquam satis laudatum officium præstant. *Melior est enim obedientia quàm vi-* *ctima,* vt Samuel affirmauit. Deinde illustre fidei suæ testimonium exhibent, cū ea quæ corde credunt ad iustitiam, ore simul & corpore ad salutem profitentur, optima maximaq; de summo **DEO** testantes, quod nempè sit idem potentissi-*

mus,

mus, qui solus in rebus quantumvis afflictis & desperatis, possit miseris opitulari: tum sapientissimus, qui etsi queat absolute omnibus dare omnia, non tamen soleat id facere citra medium orationis: sed & iustissimus, quem sciunt ac timent iustum vindicem iniquitatis, fortemq; zeloten, qui patrum iniquitatem in tertiam & quartam generationem filiorum sæpè persequitur; ac demum clementissimus, cum sit pater misericordiarum, ac totius consolationis dominus, diues in omnes qui inuocant illum, cuius quidem misericordia super omnia eius opera sæculis omnibus perseuerat. Hæc aliaq; plura veræ fidei testimonia orantes præbent ijs, qui ad communes preces ac processiones se rectè componunt, suum cultum conditori atque saluatori Deo congruentem tribuentes. Etsi enim nouit **DEVS** omnia, quibus homines in animo & corpore habeant opus, & bonorum nostrorum ille prorsus non egeat: tamen rogari vult à Fidelibus & secretò & publicè, vt oratione ipsa commonstrent, autorem & principium esse ipsum rerum omnium, cuius & potentiâ cuncti subsistant, & sapientia gubernentur, & bonitate iuuentur ac protegantur in omnibus. Vnde Mardochæus quoque dixit, in Dei ditione cuncta esse posita, eiusq; voluntati neminem resistere posse. Tum Psalmodigraphus apertè cantat: *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem. Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus*: immò de se **DEVS** ipse testatur, *Inuocame in die tribulationis. & eruam te, & honorificabis me.*

R V R S V S quotquot indictæ supplicationi qua de agimus, piam dant operam, illustre illud Christi præceptum explent, quo sancitum est, *Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Lucet enim eorum fides, ac splendet obedientia, nec minus præsentibus ac spectantibus alij ad Dei cultum excitantur, & ad orandi studium vehementius inflammantur. Qui verò communi orationi se subtrahunt, non Deum modò, sed etiam superiores suos, æquales ac inferiores facillè offendunt, seque Christianæ vnitatis & concordie spiritu destitutos, atq;

Psal. 5.
& 93.
Exod. 20.

2. Cor. 1.
Rom. 10.
Psal. 144.

Matth. 6.
Psal. 15.

Ester. 13.

Psal. 89.
& 45.

Psal. 49.

Matth. 5.

Hebr. 10.

Roman. 15.

Roman. 12.

1. Cor. 10.

Psal. 133.

Plalm. 101.
& 33.

1. Petr. 4.

Matth. 8.
Luc. 7.Iacob 5.
Num. 12. &
Exod. 32.
1. Reg. 7.
3. Reg. 17.
& 18.
4. Reg. 4.
5. 6.

vt Paulus loquitur, subtractionis filios re ipsa declarant. Præterea peccant in regulam illam Apostolicam: *Vnanimis vno ore honorificetis DEVM & Patrem Domini nostri IESV Christi.* Violant & illum canonem: *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Sed neq; illud obseruant: *Sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei.* Nec leuis est sanè iactura, qd̄ se ipsum quisq; horū fraudat amplissimo fructu, quē ex tali oratione propter obedientiam factā probi colligunt & reportant, vt multiplicatis intercessoribus, optatam multisq; necessariam gratiam facilius assequantur, & velut fratres in vna domo, ac sub eadem disciplina commorantes, cum Propheta lætius atque suauius cantent, *Ecce quàm bonum, & quàm iucundū habitare fratres in vnū: quia illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsq; in seculum.*

ACCEDIT, hanc orantium submissionem DE O summo valdè placere, vt qui respicit cum primis in orationem humilium, & non spernit preces eorum atque desideria, quando nimirum indignitatis & improbitatis suæ conscius animus, qui primus est gradus orationis, sub potenti manu Dei, vt Petrus exigit, sese humiliat, ac insuper ab alijs velut melioribus qui comprecantur, se cupit adiuuari, quoniam plus illorum quàm proprijs meritis ac precibus tribuit. Ac mulatur enim Euangelici Centurionis exemplum, qui tametsi eximiam in Christum fidem adferret, tamen adeò sese deiecit, vt è Iudæis quosdam deligeret, eosq; veluti legatos se iustiores ad Dominum submitteret, confidens causam suam, & serui moribundi sanitatem illorum intercessione posse fulciri atque promoveri: nec se fellit illum sanè opinio ex insigni humilitate simul & fide profecta. Vnde nō temerè Iacobus Apostolus tradidit, *Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Quod si multum valet iusti vnus deprecatio, quē admodum euctus ipse docuit in Moyse, Samuele, Elia, Eliseo, alijsq; plurimis, qui Deū sibi propitium, & dona eius maxima precibus impetrarunt, quid non obtinebit multorum piè cōprecantium instantia deuotioq; in communi fide, obedientia

& humili

& humilitate fundata: quomodo in illis non implebitur dictum illud Propheticum consolationis plenum, *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Apostolica certe manet sententia: *Hæc est fiducia quam habemus ad DEVM. quia quodcumq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Igitur exaudita sunt vota Israëlitarum, qui cum Samuele Propheta, cum Regibus Ezechia & Iosaphat, nec non cum Ducibus Macchabæis difficillimo tempore, coniunctis animis Deum inuocarunt, suisque precibus tantum effecerunt, vt non modò calamitates acerbissimas depellerent, verùm etiam de barbaris & immanibus hostibus triumphos amplissimos reportarent.

DE MV' quidquid de orationis laude in Scriptura sacra dicitur, quæ sanè latissimè patet, id omne de huiusmodi publicis supplicationibus haud paulò etiam certius atq; plenius potest intelligi. His tum ^a animi noxæ, tum ^b corporis languores curantur, ^c dæmones fugantur, ^d fluxa & caduca hæc vita prorogatur, ^e pax & tranquillitas instauratur, ^f de hostibus reportatur victoria, ^g animi tritistia pellitur, ^h libertas & ⁱ pluuia obtinentur, ^k sapientia comparatur, ^l sterilibus fœcunditas impetratur, ^m probrum & mors ipsa deuitantur, ⁿ cœlum denique & paradus recluduntur. Quid autem eo Christi dicto fortius ac efficacius? *o Si vos cum sitis mali, noſtis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* *p Quodcumq; petieritis in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Nec obscura Iohannis vox est: *q Scimus quia audit nos quicquid petierimus: scimus quoniã habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita.* Adeo nullum nõ malũ profligari, nullum non bonum obtineri potest, si consentienter oremus, iunctisque precibus Deo quasi vim faciamus. Nam ^r hîc quoq; regnum Dei vim patitur.

Pſalm. 144.

1. Iohan. 5.

1. Reg. 7.
4. Reg. 20.
2. Paral. 20.
1. Macch. 3.

a Matth. 18.

b Iacob. 5.

c Matth. 17.

Luc. 18.

d Esai. 38.

e 1. Tim. 2.

f Baruch 4.

g Isai. 38.

h Iacob 5.

i 3. Reg. 19.

k Iacob. 1.

l Genes. 25.

m Reg. 1.

n Daniel. 13.

o Luc. 3.


p & 23.

q Luc. 11.

r Iohan. 14.

s Iohan. 5.

r Matth. 11.



DE VARIIS PIORVM VETERVM GE-
 stibus & ritibus in orando, ac peculiariter de
 Processionum nomine.



ON satis Ecclesiæ visum est, sacrum orandi institutū toties à Deo præceptum amplecti, omnibusq; Fidelibus, vt priuatim ac publicè id obseruent, constituere, sed varios etiam orandi modos introduxit, atque sæculis omnibus retinendos putauit. Nam & sacris literis admonemur de diuersis orantium ritibus, quos in veteri simul & nouo Testamento Patres à suis acceptos maioribus non solū obseruarunt, sed etiam sibi ac alijs familiares admodum effecerunt. Studium Prophetæ Moyse fuit, vt publicè & priuatim orans leuaret manus, corrueret pronus in terram, & clamaret ad Dominum. Nec dissimilem orandi modum Daniel Propheeta & Scriba Esdras tenuerunt, ac plus etiam Iudith vidua præstitit cum Bethuliensibus, qui suas animas, vt Scriptura loquitur, in ieiunijs & orationibus humiliârunt. Iudith certè cū cilicium induisset, & cinerem capiti imposuisset, corā Domino se prosternens orauit. An' non Dauid eleuationem manū vocat sacrificium vespertinum & cunctos exhortans in hunc modum: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Laudatur & Salomon, quod publicè orans in templo, vtrumq; genu fleteret, & palmas in cælum leuaret, siue manus expanderet. Quid quod Christus Dominus, cū oratione & gestibus corporis neutiquam indigeret, iam subleuatis oculis, iam positis genibus, iam in faciem procidens, sed & semel ac iterum clamans, quid pios inter orandum facere deceat, satis indicauit: De summis Apostolis Petro & Paulo legimus, eos ad orandum sua flexisse genua, sicut & populus apud Ephesum fecit, eidem Apostolo valedicturus. Nihil ergo mirum à Tertulliano asseri, qui temporum Apostolicorū fuit vicinus, Christianos etiam tum in more habuisse, vt orantes

Exod. 17.
Num. 20.

Daniel. 6.
1. Eld. 9.

Iudith 4.
& 9.

Psal. 140.
& 134.
3. Reg. 8.

Iohan. 17.
& 11.
Matth. 26.

Luc. 23.
Act. 9.
Ephes. 3.
Act. 20.

In Apolo-
get. c. 30.

in cælum

in cœlum suspicerent, manus expanderent, capite nudo, sicut & Paulus exigit, precarentur omnes pro omnibus, licet impijs etiam Imperatoribus. De his varijs orandi gestibus ac ritibus causam hanc adfert Augustinus, vt se Fideles ad orandum gemendumq; humilius ac feruentius exercitent.

QUA PROPTER contra Christi & Sanctorũ eius exemplum me perperam facere putabo, si animo & voluntate tantum, nec simul corpore & cærimonijs Deum colam, & in oratione cultum externum negligam planè. Inprimis enim cauebo, ne aures præbeam nouis impostoribus, qui cultum internum sic vrgent ac prædicant, vt externũ auferant, velut signis & sacramentis externis pro humana imbecillitate non indigeamus. Etsi enim externi ritus quos diximus, & cærimoniae per se nullum Deo commendent, & ab hypocritis etiam ac impijs adhiberi queant, sicut Pharisæi Iudæi nobis exemplo esse possunt: tamen aliquando sine peccato, & citra proximi offensionem illa omitti est culpabile, cum receptus nempe ac probatus vsus accedit Ecclesiæ, & contra hæreticos aperta fidei Catholicæ confessio postulatur. Qui ritus & piè corpus exercent, & ad religionem excitant animum, nec parùm faciunt ad alendam concordiam publicam, quando sine cærimonijs externoque cultu nec fuit, nec esse potest religio. Veruntamen eiusmodi externa pietatis Catholicæ signa, de quibus aliàs plura diximus, tantò magis DEO placent, quãtò ex corde puriore procedunt ad interni cultus testificationem, & argumẽta sinceriora sunt fidei, humilitatis & obedientiæ, magisq; ob exemplum proximos iuuant, ac ædificant intuẽtes. Igitur & Paulo Apostolo curæ fuit, vt moneret viros de aperiendo, & mulieres de velando capite in publica oratione. Accessit postea & cantus, erecta sunt altaria, institutus modus ministrandi Sacramenta, templis ornamenta subministrata. Quæ omnia cum nascente Ecclesia succreuerunt, & viuis adhuc Apostolis in vsu esse cœperunt, satis ab ipso Paulo corroborata, quando ille consensum & ordinem in doctrina simul & cærimonijs exigit, tantique facit Ecclesiæ consuetudinem, vt ab eius autori-

Lib. de cura
pro mort.
geren. c. 5.

Matth. 6.
& 23.

1. Cor. 11.

1. Cor. 1.
& 14.

I. Cor. II.

late ratiocinetur, & contra illam excipientes, uti contentiosos omnes illa confuret sententia: *Si quis videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.*

Basil. lib. de Spiritus. cap. 27.
Iustin. lib. quæst. 118.
Lib. 4. Fidei c. 13.

Lib. quæst. 117.
Lib. de oratione.

Homil. 3. in epist. ad Philippen.
August. lib. Confess. 9. cap. 11.
Epist. 107. ad Vital. & Cælest. itē lib. 2. de be. no perseveran.

Lib. de Eccl. dogm. cap. 28.

Epist. 118. & epist. 159. ad Paulin.
I. Cor. 11.

SED ad exempla veniendum est, ut citra usum orandi, quæ Fidei nostræ duces Apostoli docuerint atque tradiderint, certius cognoscatur. Refert Basilius Magnus, & confirmat Iustinus, Christianos ab Apostolis institutos, ad Orientem se convertere, cum orationem fundunt: est Apostolorum hoc institutum, ut Damasceni verbis utar, literis sacris haudquaquam proditum: complura enim illi nulla Scripturarum autoritate nixa nobis tradiderunt. Tum à temporibus Apostolorum accepit initium consuetudo, quod iam stantes, iam genibus flexis Deum adoramus, quemadmodum Ireneus in libro de pascate, & post illum Iustinus affirmat. Ex eodem fonte manat quod profert Tertullianus, ad sui, id est, Apostolici ferè sæculi morem alludens: Nos non attollimus tantum manus, sed etiam expandimus, & Dominica passione modulantes & orantes confitemur Christo.] Nec dubitat Chrysostomus asserere, ab Apostolis esse sancitum, ut in venerandis mysterijs (de altaris Sacrificio loquitur) memoria fiat Fidelium defunctorum. Proinde moritura Monica verè sancta dixit presentibus Presbyteris: Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare mei meminertis, ubi fueritis. Sed & Augustinus, testis ubique probatissimus, docet, ab Apostolis proficisci morem in precibus ac votis Deo faciendis, non solum pro Fidelibus, ut acceptum Fidei donum tueantur, sed etiam pro idololatriis, Iudæis, hæreticis, ut isti ab impietatis ac erroris nota liberati, ad viam redeant veritatis. Tum eiusdem Doctoris verba sunt perspicua: Obsecrationum quoque Sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, ac in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Eodē spectat quod Ianuario scribens, Apostolica illa verba ponderat, quibus dicitur, *Cetera cum venero disponam* seu ordinabo; docetque hic insinuari, cum agendi, orandi & sacrificandi ordinem, qui ab Apostolis dispositus ac or-

dinatus

dinatus est, obseruari debere, eumque ab vniuersa per orbem Ecclesia custodiri. Nihil ergò mirum, quod Patres etiam Augustino vetustiores, sicut Clemens, Dionysius, Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, frequenter de his faciant mentionem, quæ ad orandi ritus, præsertim in Liturgia receptos, totq; seculis probatos pertinent.

VERVM inter alia quæ publicæ orationi sacra vetustas attribuit, sunt & comprecationes, quæ non solùm flexis genibus, & sicut Tertullianus loquitur, de geniculis adorâdo, sed etiam stando fiebant in sacris conuentibus: vnde stationum nomen vetustissimum dimanauit, quarum sæpè meminit idẽ Tertullianus. Et Cypriani vox est: *Stamus ad orationem.* Accedebant & processiones exeunte Clero, & magna Fidelium turba comitante, & procedente ad Martyria siue Martyrum sepulcra, templa & festa, præsertim si vel ira DEI sæuiens auertenda, vel singularis aliqua gratia obtinenda calitùs videretur. Hoc procedendi nomine non solùm Hieronymus, sed & longè vetustior Tertullianus est vsus. Et quoniam illa Fidelium pietas in procedendo ante mille & ducentos annos in Ecclesia viguit, damnatus etiam est Eustathius, vtpote ab hoc processionum genere & cõuentu piorum publico alienus, vt vnà cum suis discipulis planè contempserit hanc vsitatam orationem, in qua Martyres ad ferendum auxilium & patrocinium inuocabantur. Quem seditiosum errorem damnauit Concilium Gangrense à Sexta Synodo in Trullo approbatum, ac cœtus piorum ad loca sacra sic procedentium, tanquam sanctos vtilesq; defendit. Tum ex Concilio Laodicensi facilè cõuinci potest, eiusmodi processiones etiam litanias esse dictas, quæ nomen hoc accipiunt, svt quibusdã doctis videtur, quasi *τὸ λῆτρον* siue *τὸ δῶρον ἡμεῶν λῆτρον*, perinde ac si dicas, populi orationes, seu publicas & communas omnium deprecationes. Quas litanias non primùm instituit, sed potius restituit Gregorius Magnus, cùm stationes & processiones ad certum numerum & ordinẽ concinniozem reduxit, vt illæ per totùm annum suis temporibus ac locis per basilicas & beatorum Martyrum cœmeteria

De corona militis, & lib. de oration.
In Apologet. & ad Scapulam.
Lib. de Dominica orat.

Hier. Epist. 7. 12. & 22.
Tert. lib. 2. ad vxor.


Cap. 17:

Lib. 2. de vita
Gregor.
Lib. de ita-
tionibus.

Epist. 63. ad
Neocasa-
rien.

Syn. c. 17.

celebrarentur. Quae de re notat Iohannes Diaconus, & Onuphrius tractat, & nos quoque de Litanij alibi copiosius. Nec est infrequens, ut vetusti autores has Processiones Rogationes appellent, quae aliquando ad vesperam usque producebantur, & ferè ieiunationes annexas habebant. Satis ex Basilio magno liquet, suo etiam saeculo, & sub Decio Imperatore cum viveret Gregorius Thaumaturgus, id est, multò ante Gregorium magnum, litanias in Orientali Ecclesia fuisse peractas, sicut etiam Honoratus Episcopus Marsiliensis, & Synodus Laodicensis nobis ostendunt.



DVPLEX GENVS PROCESSION-
um in Ecclesia obseruari.



X veterum scriptis non obscure constat, varium fuisse morem Processionum in Ecclesia receptum atque probatum, ut aliæ essent solennes, aliæ vel priuatæ, vel votiuae, sicut vulgo dicuntur. Erat praeterea latum vnum genus, & luctuosum alterum, prout rerum emergentium occasio exigebat. Huc Fidelis populus confluebat, ut suas DEO preces publicè funderet, Deumque sibi & suis magis propitiaret, diuinis nempe promissis confidens, multorum concorditer orantium preces nunquam irritas fore. Ac lateque quidam processiois figuram & specimen exhibent veteres Israelitæ, qui ab Aegyptiaca seruitute liberati, cum Pharaonem tyrannum ac totum eius exercitum marinis fluctibus obrutum perijisse, seque saluos per mare rubrum & incolumes transijisse cernerent, ingenti gaudio perfusi, victori DEO gratias seorsim viri ac seorsim mulieres egerunt, chorosque duxerunt, & publicè ita non sine tympanis concinuerunt: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.* Nec dispar erat Processio in illis Israelitis, qui post accepta Christi redem-

Matth. 7.
& 18.
Iohan. 16.

Exod. 14.
& 15.

Matth. 21.

ptoris

ptoris beneficia, Regi & Messia suo Hierosolymis se cateruatim effuderunt, seque gratulabundos exhibentes, cum ramis & palmis iuerunt illi obuiam, que & ad templum usque deducetes, magnificis titulis, & apertis canticis publice predicarunt. Est & Dominicalis iam pridem usitata ut vocant, processio, sua Fidelibus lætitiā afferens, ut per quam gloriosa verè que Augusta Domini resurrectio singulis Dominicis in mentem nobis reuocatur. Ea nos admonet, ut in Galilæam, id est, in transmigrationem ad videndum Dominum cum Apostolis eius exire debeamus, in nouitate vite, sicut Paulus exigit, ambulantes. Nec est obscura processio, multumque sancti gaudij parit pijs, quæ ferijs purificatæ Virginis, & Dominicæ Ascensionis ex more Ecclesiæ vetustissimo instituitur. Vbi Euangelicæ historiæ memoria utiliter nobis refricatur, ut gaudeamus in Domino, & noua illius beneficia gratis animis recolamus. Sed inter alias omnes Processiones, nulla illustrior, spectabilior, venerabiliorque celebratur, quam ea est, in qua sanctissimum & dignissimum Eucharistiæ Sacramentum à Sacerdote publice circumfertur, & Christiano populo adorandum exhibetur. Hæc enim vera est arca, per veterem typicam Synagogæ arcam præfigurata, in qua panis ille Angelicus de cælo descendens, & manna vitam mundo largiens certissime continetur, cuius præsentia partim ad mala depellenda, partim ad bona impetranda plurimum potest. Fatemur interim, commemoracionem & annuntiationem mortis Christi cum hoc Sacramēto altaris sic esse coniunctam, ut ab eo diuelli & separari nunquam debeat: sed simul asserimus cum Catholicis omnibus, Dominicæ mortis memoriā non solum ex ipsa sacrificij publica celebratione pendere, verum etiam in ipsa processione locum habere, & insigniter annuntiarī atque glorificari, cum sacra Eucharistia circumgestatur. Illic enim præsens est utique monumētum, & quasi trophæum Dominicæ passionis, quod cum hominū oculis subiicitur, gloriari sanè nos docet de cruce & in cruce, morteque Saluatoris de suis ac nostris hostibus augustissime triumphantis, qui se totum nobis

Marc. 11.
Luc. 19.
Ioan. 12.

Roman. 6.

2. Reg. 6.
Iohan. 6.

Session. 13.
cap. 5.

Lib. 9. de
rebus Eu-
charist.

1. Reg. 6.

Judith. 16.
Esth. 10.
1. Macch. 4.

Luc. 22.

redimendis, ne perpetuò periremus, impendit: qui præterea simul ad sui recordationē, venerationē & innitationē potēter eos excitat, qui ad gloriā eius amplificandā & exprimenda vestigia se totos cōsecrārunt. Laudabo igitur Synodū Tridentinam, quæ magno fidei zelo incesa, eiusmodi processionem cōfirmavit, vt cōtra Sacramentarios impios nūc latē grassantes, velut præsens esset antidotum: idemq; religiosum institutum doctē defendit Claudus de Saintes Episcopus Ebroicēsis. Illos autem risu potiùs quàm refutatione dignos existimabo, qui vt cōtra dictam Processionem excipiant, ad Scripturas nos prouocant, simulq; iudicum ac testium sibi partes vendicant. Quibus verò Scripturis impulsus Dauid Propheta tanti habuit arcam illā veterem, vt nouam institueret velut processionem, & ingentem colligeret populi conuentum, vtq; cum triumpho, iubilo, citharis atque alijs instrumētis musicis eandem arcam solenniter, sumptuosè & pomposè circumduceret, sed & ipse saltaret publicè, factumq; suū defenderet, certò credens, huius arca præsentiam, sicut Obed-edom, ita & sibi prosperam fore, vt hinc rem familiarem auget, ac nouā suæ domus benedictionem à Deo cōsequeretur: Certè sine verbo Dei expresso licuit ludæis noua festa introducere, & publicè celebrare, quoties nouo aliquo beneficio diuinitus afficiebātur, quemadmodum ob partam victoriam contra Holofernē, & propter liberationem populi per Esther & Mardocheum obtētam, & ratione templi sub Macchabæis repurgati. Vt autem missas faciam graues & rationabiles causas, quæ ad hanc Processionem instituendam ab alijs adferuntur, certè non solum in templo, cū res Diuina peragitur, sed etiam in præsentī circumgestatione exequimur luculentum illud Christi mādatum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Colimus enim vtrobique memoriam eorum iustissimā, quæ nobis à tanto Redemptore potissimùm per crucem, mortem & sanguinē donata sunt, ac præterea suspicimus incredibilem eius amorem, qui licet Patri ad dexterā in cœlis assistat, nihilominus in suo naturali corpore miseris mortalibus ineffabili modo adesse

non modò spiritualiter, sed etiam corporaliter se totum im-
 perit, vt promissionem illam dulcissimam compleat, *Ecce ego*
vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem saculi.
 Proinde siue Christi in Sacramento præsentis honorem, siue
 nostram vtilitatem & cõsolationem perpendimus, æquū, iu-
 stum, laudabile & salutare est prorsus, hoc ipsum Sacramen-
 tum, vbicunq; ostenditur & circumfertur, religiosè comple-
 cti, peculiari graditudine prosequi, hymnis & canticis venerari,
 Christumq; ipsum vnà cùm sapientissimis Magis, & religios-
 sissimis Apostolis suppliciter adorare, vt in huius I E S V nomi-
 ne genu omne flectatur: qui cùm sit rex regū & dominus do-
 minantium, adeò nos dilexit, vt etiam lauare velit dilectos à
 peccatis, eosque Patri suo regnum facere & Sacerdotes. Et si
 verò extra omnem est cõtrouersiam, nō modò Patrem, sed &
 Filium Deum vbiq; in spiritu & veritate adorādum esse, tamē
 constat & illud inter Theologos, latriæ actum qui adoratio
 dicitur, Diuinæ naturæ magis illic deberi, vbi ille præsentia
 suæ illustriora & certiora edit testimonia, quemadmodū ma-
 ximè facit in sancta carne suscepta, & cruentè pro nobis obla-
 ta, pijsq; per hoc Sacramētum exhibita. Etenim nullibi nobis
 est præsentior, nullibi maiorem nobis declarat beneuolentiā,
 nullibi abundantius bona sua Fidelibus effundit, & pretiosio-
 rem thesaurum elargitur: ac idcirco eandem cum Diuinitate
 adorationem in Eucharistia consecrata vbique locorum pro-
 meretur. Nec desunt nobis loca Scripture, quæ hanc ipsam
 adorationem stabiliant, cùm diuinus ille vates ita decantet:
Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorare scabellum pedum
eius, quoniam sanctum est. Vbi per scabellum, Christi humani-
 tatem accipere par est, sicut Ambrosius, Augustinus, alijq; Pa-
 tres locū interpretatur. Eodem spectat illud quoq; dictū Psal-
 mographi: *Edem pauperes & saturabuntur; & laudabunt Domi-*
uum qui requirunt eum; viuent corda eorum in seculum seculi. Et
 paulò post: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues ter-*
ra, veluti, Arnobius, Hieronymus & Basilius præter Augusti-
 num ea verba ritè declarant.

Matth. 28.

Matth. 2.
& 28.
Philip. 2.Apocal. 19.
& 1.

Psal. 98.

Ambros. lib.
3. de Spiri-
tu sancto
cap. 12.
Aug. ep. 120.
cap. 24.
Psal. 21.

Daniel. 9.

CAETERVM vt ad luctuosas processiones veniamus, quæ magis ad planctum, quàm ad exultationem Fidelium excitandum faciunt, illæ tunc maximè instituuntur, cùm præsentés vel imminentes calamitates vrgent ac premunt, vt populus ad iram Dei placandam, eius quæ gratiam requirendâ sese conuertat, & quasi cum Daniele Propheta precetur: *Tibi Domine iustitia: nobis autem confusio faciei. Neg, enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus iuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac: ne moreris, propter te ipsum DEVS meus: quia nomen tuû innocatum est super ciuitatem, & super populum tuum.* Eiusmodi processiones, vt & antea meminimus, litaniarum nomine cõplecti solemus, quæ potissimùm in S. Marci ferijs, & circa hebdomadam Rogationum multis abhinc sæculis per Ecclesiã celebrantur, eoque referuntur, vt peccata nostra illorumque pœnas meritas humiliter agnoscamus, atq; iusta Dei flagella nobis inflicta, cum singulari demissione deprecemur, & quoad licet, oratione ac pœnitentia profligemus. Maior autem Litania, quæ Gregorio magno auctori assignatur, ad distinctionem dicitur minoris illius, quæ à viro sancto Mamerto Viennensi Episcopo originem trahit, & à Concilijs sacris recepta, totique Ecclesiæ commendata est. De vtraq; scribit hoc modo Rubertus Tuitiensis: Cùm Christianus populus longa & graui afflictione vrgeretur, ausis etiam diuino iudicio lupis cum confertis configere hominibus, rabidamque cædem nō solùm villis, sed & plenis inferre mœnibus: sanctus Mamertus Viennensis Episcopus rogationes fieri solennes ante diem Dominicæ ascensionis instituit, vt tanquam abeunti in cœlũ Domino, ac dicenti, *Petite & accipietis*, humanæ miseriæ; commemoratio triduanis supplicationibus ambitiosius ingere retur: & vt rememoratâ sponisoris potentiã fida potentium spes roboretur, in iisdem processionibus Triumphatoris cœlos ascendentis insignia, scilicet cruces ac vexilla præferuntur. Et paulò post adiungit: Sciendum, Rogationes triduanas Litaniam maiore quàm B. Gregorius instituit, esse antiquior

Lib. 9. de diuin. offi. cap. 5.

Iohan. i. 6.

res, cum nempe Romanus populus inguinaria peste penè deleteretur, & Pelagius Papa itidem extingueretur. J Ruberto antiquior est Alcimus Auitus, nō ignobilis autor, qui dictā processionem ita commendat: Talis nimirum est hæc festiuitas (Rogationum) cuius iucunditas tota est seria grauitas, cuius epulæ lacrymæ sunt, cuius passus esuries est, cuius sumptus amor pauperum est, manuumque largitas, cuius principium ex necessitate est, perseuerantia in dilectione, actus in requie, requies in labore. J Vbi pulchrè quidem ille ad veteris Ecclesiæ morem alludit, quo nostri maiores eiusmodi processiones non oratione tantum publica, sed etiam singulari ieiunio, & pijs misericordiæ operibus decorabant atque sanctificabant, vt Diuinum illud præceptum implerent: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu*, ac iterum: *Sanctificate ieiunium, vocate cælum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam*. Atque huius quidem processionis imaginem quasi tenet, quod hortatore Samuele Propheta populus Israëliticus aduersus Philistæos feroces hostes pugnaturus, communem precationem & ieiunationem in Masphat instituit, illic enim locus erat orationis, & egregiam sanè victoriam, impetrauit. Celebrarunt & Betulienses suam, vt ita dicam, processionem, summo Sacerdoti suo Eliachim obtemperantes, vt qui illos hoc pacto adhortabatur: *Sciote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini*. Nec sefellit illos pia expectatio, sed quantò submissiùs sese orando & ieiunando gesserunt, tantò potentiùs illis Diuina virtus adfuit, totumque populum ab immani hoste Holoferne & Assyriorum copijs per Iudith viduam religiosissimam liberauit. Notum est præterea Regis edictum, quòd Niniuitas ad communem conuentum vel processionem adegit, in quo ieiunijs & precationibus, omni que humilitate seipsos superarunt, ac imminens ipsis exitium laudabiliter depulerunt.

Homil. de die rogat.

Ioël. 2.


1. Reg. 7.

1. Mach. 3.

Iudith. 4.

Ionx 3.

Ionx 1.



*QVAENAM IN PROCESSIONIBVS
Ecclesiasticis fieri ex veteri more soleant.*



DVERSARIORVM sacra nunc ferè omnia calumniantium improbitas, & multorum in Ecclesia simplicitas ac ignorantia nos permouent, vt in medium afferamus nonnulla, quæ circa Processiones generales obseruari & peragi publicè solent, ne illa temerè fieri existimentur. Primum ex veteri more constat Crucè præferri, (quidam Crucis vexilla nuncupant,) vt sciât omnes, nos religione nec Iudæos, nec Paganos, nec Hæreticos esse, qui Crucis aspectum ferre tam agrè possunt, eiusque memoriam prorsus abolere contendunt, ac idcirco huic laudatissimo signo nō minus barbaricè quā hostiliter cōtradicunt. Nō enim capiunt, proh nefas, mysterium, verbum & signū & signū crucis, quod nostræ salutis & humanæ redemptionis per Christū factæ insigne proprium est, sicuti Chrysostronus loquitur, quodque maximum ac memorabile signum à Lactantio appellatur. Quanto, inquit, terrori sit Dæmonibus signum Crucis, sciet qui voluerit, quatenus adiurati per Christum è corporibus quæ possederint, fugiant. Et Christus ipse hoc fore promittit, vt signum Crucis orbi appareat vniuerso, in hunc modum loquens, *Tunc parebit signum Filij hominis in cælo*, sicut ea verba Origenes, Hilarius, Chrysostronus, Euthymius ac Theophylactus interpretantur. De quo signo tam fusè superius tractauimus, vt ea nunc repetere sit superuacaneum. Cur ergo vexillum hoc sanctæ Crucis, quod singulari venerationi semper fuit Ecclesiæ, in Processione non præferamus, cū sit prænobile illud Christi trophæum, in quo Constantinus Magnus vicit, & nos vincere oportet vires aduersarias, siue ille sint visibiles, siue inuisibiles, vbiq; gentium. Hoc ipso signo nos & alios potenter admonemus, quis sit mediator, redem-

Homil. 55.
in Matth.
Lib. 4. c. 27.
de vera sapien.

Matth. 24.

In festo Inuentio. S.
Crucis.
Euseb. li. 1.
c. 12. de vita
Constant.

ptor ac dux noster optimus max. cum in hac vita semper, tum in orando spectandus, colendus, imitandus, & in cuius cruce, quæ ianua cœli, clavis paradisi, mundi salus, Diaboli deiectio, nostræq; libertatis pretium merito prædicatur, fiduciam & gloriam suam omnem defigere debeant Orthodoxi. Præterea nobis hoc signo insinuatur, frustra nos credere, orare, cantare, & in externo cultu versari, nisi cuius doctrinam & fidem profitemur, eiusdem quoq; vitam & exemplar studiosè sectemur. Stat enim immota sententia: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.*

P R A E T E R Dominicam Crucem, per quam cuncta perfecta reddi monet Chrysostronus, & quæ Sacramentis omnibus secundum ^a Augustinum adhibetur, Sanctorum etiam Reliquiarum in Processione haud rarò deferuntur, ac ^b Augustini & ^c Ambrosij sæculo delatas fuisse constat. Tum ^d Gregorius Turonensis, ut alios præteream, S. Saturnini martyris ossa sacra in Processione deportavit; & in ^e Concilio Niceno secundo legimus, cum Cruce & supplicatione itum esse obviam, magnaq; lætitia Fideles perfusos omnes cum gratiarum actione accurrisse, quoniam in veneranda æde Virginis Deiparæ versabantur, quando præclari Martyris Anastasij reliquiarum sacrarum in civitatem deferbantur. Neq; unquam in Ecclesia dubitatum est, sed semper in confesso fuit, Sanctorum corpora inhabitantis Sancti Spiritus pretiosa & electa esse organa, veraque Christi corporis membra, per quæ summus **D E V S**, sicut olim per Elisæi Prophetæ reliquias, eximia miracula frequenter operetur, & quorum sacra ossa sincerè nobis ac piè honorari cõueniat, cum illa ob oculos proponuntur vel manibus tanguntur, & religiosè servantur, sicut ^a Basilij & ^b Chrysostromi sæculo factum esse deprehendimus. Illa verò nos potèter excitat, ut cogitemus, quàm gloriosus, potèns ac mirabilis **D E V S** in suis Sanctis existat, quàm caram ac pretiosam illorum vitam ac mortem habeat, & à nobis haberi velit, quàm illi præclara certamina cõtra mundum, peccatum, carnem & Satanam in ipso mortali corpore cõfecerint, quibus insuper virtutum luminibus

1. Iohan. 2.

Homil. 13.
in epist. ad
Philipp.^a Augustin.
Sermon. 19.
de Sanctis.^b Lib. 22. de
ciuit. Dei.
cap. 8.^c Serm. 93.^d In vita
eius.^e Act. 4.

4. Reg. 13.

^a In Psalm.

114.

^b Lib. cont.
Gentiles.

Serm. 93.

In historia
duor. Mar-
tyr.Prou. 1.
Isai. 1.

Ierem. 7.

Psal. 83.
Iacob. 1.

Coloſſ. 2.

In carmine
ad SS. Agu-
nenses.
Martt.

atq; splendoribus Ecclesiam illustrarint, digni profectò, quo-
rum celebris hîc agatur memoria. & ad quorum imitanda ve-
stigia nunquam nō incendamur, & quorum deniq; suffragijs
atq; patrocinijs permultùm tribuamus. Hîc orthodoxus quis-
que cum Ambrosio iure sic dixerit: Honoro in carne Martyris
exceptas pro Christi nomine cicatrices. honoro per cōfessio-
nem Domini, sacros cineres. honoro in cineribus semina
æternitatis. honoro corpus, quod mihi Dominū meum ostē-
dit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit nō
timere.] Prætermitto quæ apud Damascenum extant, vt cuidā
Tyranno Indiæ respondeatur, cū is rogaret, cur Christiani
ossa mortuorum circumferrent: nolumus enim in hoc argu-
mento iam antè tractato diutius immorari. Sanctos ipsos, ve-
lint nolint veteres ac noui Vigilantiani, fidēter imploramus,
nō solūm quòd cognoscamus nos ab illorum virtute, iustitia
& felicitate procul abesse, sed etiam quòd vltro fateamur, nos
taliū intercessorū operā indigere, vt ipsorum precibus a-
pud Deum iustissimum adiuuemur, præsertim cum tam mul-
tis literæ sacræ interminētur, ipsorum preces nihil esse impe-
traturas. *Inuocauit, ait DEVS, & non exaudiam, ac iterum: Cū
extenderit manus vestras, auertam oculos meos à vobis. & cum
multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestra
sanguine plene sunt.* Rursus Ieremiæ hoc præcipit Dominus:
*Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem & oratio-
nem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.* Sanctos interim
cum Ecclesia inuocamus, nō vti largitores, (*gratiam enim &
gloriam dabit Dominus*, à quo tanquam à fonte donum omne
descendit;) neque illos æquamus Christo vni & cōmuni om-
nium redemptori & saluatori, in quo omnis plenitudo diui-
nitatis inhabitat corporaliter, sed colimus illos vt intercesso-
res & eximios Dei amicos cœlesti laurea donatos, eorumque
reliquias cum Venantio Fortunato reputamus cœlestia vela-
ti talenta & diuitias Dei, per quas ille largiri gaudet sua mune-
ra. Si enim virgam Aaronis, & nō nihil mannae in arca Domini
tanti habuere Iudæi, vt olim cōtra hostes has quasi reliquias

producerent atq; circumgestarent: cur nobis Christianis infructuosum sit, sanctissimam Eucharistiam, de qua diximus, & sanctas Diuorum reliquias in sacris eiusmodi processionibus proferre atq; circumferre? Quoniã verò diuersi Sanctorũ sunt ordines, & in his alia atque alia Dei dona, sicut in cœlo stellæ differenter effulgent (gratiarum enim diuisiones multæ sunt, & nō omnes gratiam habent sanitatum, nō omnes virtutum;) nihil sanè mirum, si quosdam ex illis peculiariter honoremus, & maiore quadam fiducia inuocemus, vt quos singulares nobis patronos deligimus, & tanquam deuoti clientes veneramur, magisq; propitios ducimus siue propter patriæ ac nationis communionem, siue ob templorum consecrationem, siue ob præsentem sacrorũ ossium asseruationẽ. Verũ de Sanctorum inuocatione multi multa scripserunt, nosq; iam antea disseruimus, vt nunc satis fore videatur, verba illa Ambrosio digna repetere: Meritò istorum peculiarem deprecationẽ facimus, quorum quodam corporis pignore patrociniũ vè dicamus.] ac alibi: Moderante eo qui pensat vota nostra, & dispensat munera sua, intantum profuerit suffragium efficacis aduocati, in quantum fuerit fides deuota inuocantis.]

EST insuper distinctus ordo eorum, qui processionem ornant Ecclesiasticam, quando quidem maiores & minores, viri & mulieres, magistratus & plebeij, Sacerdotes & Laici in procedendo suum tenent locum. Id verò nō malè cum Apostolico illo præcepto cõgruit, *Omnia honestè & secundũ ordinem fiant in vobis.* Principem autem locum Presbyteri & Ecclesiastici, præsertim qui sunt sacrorum antistites, iure sibi vè dicant, qui etiam sub legẽ Moyse, cùm arca publicè deportaretur, & sacra tractarẽtur, reliquos præcedebant. Nam & Ozias Rex lepra à Domino percussus fuit, quòd Sacerdotale munus vsurpasset, vt arrogantiæ & sacrilegij sui pœnas grauissimas daret. Ac sacerdotum munus erat proprium, nō solum ad orationem instituendam & hymnos concinendos, sed etiam ad pœnitentiam agendam duces ac magistros sese alijs exhibere, immò & hominum peccata, vt Prophetã loquitur,

1. Cor. 15.
& 12.

Lib. de vi-
duis.
Serm. 93.

1. Cor. 14.

2. Paral. 26.

Osez 4.
Leuit. 21.

Ioël. 1.

Matth. 23.

1. Tim. 5.

Hebr. 13.

1. Tim. 2.

1. Petr. 3.

Matth. 5.

Ecclef. 9.

1. Tim. 5.

Tit. 1.

comedere, de quibus & Deus ita Moyfi loquitur: *Incensum Domini, & panes DEI sui offerunt, & ideo sancti erunt.* Non enim poenitentiam solum alijs denunciare, sed ipsi etiam omnino præstare debebant, iuxta vocem illam Propheticam: *Accingite vos & plangite, Sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei.* Et postea iubet iterum Deus: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo.* Ac nisi Christus eorū qui sedebant in cathedra Moyfi, rationem peculiarem habuisset, non suis discipulis hoc præcepisset: *Omnia quaecumq; dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.* Hi nempe sunt Seniores, quos, vt patres, non increpare sed obsecrare debemus: hi Præpositi & Pastores, quibus grex Dominicus obedire ac subiacere tenetur, Apostolo teste. Accedit quòd Ecclesiastici vestes ordini suo congruentes, easq; albas ac decentes gestent in Processione. Ita enim non modò à plebeijs Clerus rectius discernitur, sed suam quoq; professionem alijs honestè testatur, seq; commonefacit maioris puritatis ac sanctimonix quàm domi forisq; præsent, vt sicut officij dignitate, ita & morum integritate alijs antecellant. Requirit Apostoli Petrus & Paulus ornatum habitum, què Christianæ mulieres publicè gestent: quantò igitur decentius est, idè à Sacerdotibus & Clericis obseruari, quos honestatis, integritatis ac virtutis omnis non modò testes, sed etiam præcones esse decet atq; exemplaria, qui meritò sal terræ & lumē mundi appellentur, vt salutarī sapore & luce populos condiant ac illustrent. Recteq; candor externus vestimentis additur, vt illorum animi ad nitorem & candorem omnem internum declarandum reuocentur, iuxta illud quod scriptum habemus: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Quòd si vsquam alibi, tum certè in templo cultaq; diuino, qui ex professò Christi Ecclesiæque ministri sunt, vitiorum sordibus carere, & singulari vitæ puritate alijs præstare debent, vt sint, sicut Paulus exigit, sine crimine & irreprehensibiles Dei dispensatores.

EST & illud vsu receptum, vt in Processione bini coniuncti incedant. Nam & Christus cū Apostolos duodecim elegisset, alios Septuaginta duos Discipulos designauit, eosque misit binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quod erat ipse venturus, vt Lucæ verbis vtamur. Monemur hoc symbolo, non modò Sacerdotum, sed & Christianorum omnium esse proprium, vt vbicunque versantur, inter se fraternæ charitatis ac vnitatis nexu coniuncti maneant, & sancta quidē charitate, quæ vinculum est perfectionis, nihil antiquius habeant, illius aurei præcepti semper memores: *Mandatum nouū do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Huius charitatis atque coniunctionis sunt varij & inexplicabiles fructus, quorū vnum adferens Ecclesiastes, *Melius est, inquit, duos esse simul quàm vnum: habēt enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero sustentetur. Vt soli: quia cū ceciderit, non habet subleuantem se.*

R V R S V S adhibentur luminaria seu cerei, pulchrè nobis Sanctos repræsentantes, vt pote qui ob fidei & doctrinæ præstantiam & illustrem vitæ integritatem in Scriptura dicuntur luminaria in mundo lucentia, quosq; Christus mundi lucem appellat, quod bonis operibus ad gloriam Patris populo habeant prælucere. Ad hos in primis illud pertinet, licet alijs etiam renatis congruat: *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus.* Cereos igitur accensos habemus, quando nos vsq; vigilantes, & lumbis præcinctos seruos exhibemus, qui lucernas arden-tes in suis manibus circumferunt præstamus, & Euangelicas virgines, quæ continenter suas lampades habent accensas, easq; nō sinunt extinguī. Etenim Mosaicæ legis, immò noctis vmbra iam cessant ac tenebræ, Christianæ autē gratiæ lux, diu-que optatus dies affulsit, vt ipsam Christi lucem, qui lux est vera illuminans omnem hominem, non modò rectè spectare, sed etiam inoffenso pede sectari possimus. *Ego sum, inquit, lux*

Luc. 10.

Coloss. 3.
Iohan. 13.

Sapien. 4.

Philip. 2.
Matth. 5.Ephes. 5.
Roman. 13.

Luc. 12.

Matth. 25.

Rom. 13.

Iohan. 1.
Iohan. 8.

mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vite.

Libro 9.
confession.
cap. 6. &
Lib. 10. c. 33
Psal. 150.
Coloss. 3.
Isai. 62.
Apocal. 4.

Psal. 83.
& 28.

Actor. 16.

Iohan. 1.

Rom. 10.

Num. 10.
Iosue 6.

NIHIL autem vsitatus in Processione, sicut etiam in tēplis, quàm DEVM laudari hymnis & canticis, quorum suavis modulatio mirum quantoperè Augustinum. ac veteres olim affecerit, ac nunc etiam pios omnes ad amorem diuinum inflammet. Quod cantandi institutum in Prophetis & Apostolicis literis valde cōmendatur, ac præterea triumphantis in cœlo Ecclesiæ insignē præbet imaginē, quoniam cælites tota die nō cessant laudare nomen Domini. Nec modò Dauid, qui in cantandis hymnis fuit exercitatissimus, sed etiam Salomon & Iosaphat Reges magno studio prouidebant, vt Sacerdotes & ministri templi varijs officijs distincti, Deum publicè ac religiosè laudarent, huc musicis etiam adhibitis instrumentis. Tum Scriptura nobis nō temerè proponit Sanctorum cantica, in quibus loquentem Dei spiritum mirabilem experimur, sicut sunt Cantica Moyse, Dauidis, Deiparæ, Zachariæ, Simeonis atq; aliorum verè piorum. Quid in cœlis vsitatus, quàm Sanctos in Dei laudatione versari? vt hinc dictum sit: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. In templo eius omnes dicent gloriam.* Testatur & Lucas, Paulum & Silam orantes media nocte laudasse Dominum. Omitto de campanis dicere, quarum sonitus processioni solet adiungi. Egimus enim vocibus, vt Euāgelium habet, siue tubis in hoc deserto clamantibus seu sonantibus, Diuiniq; verbi prædicatoribus, qui ad pœnitentiam Christumq; ipsum nos euocare contendant. *Quomodo enim credent ei, inquit Paulus, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante?* Israëlita iam olim non nisi tubis clangentibus castrametati sunt, & muros inimicorum suorum Ierichuntinorum perstreptibus buc cinis iubileorum mirabiliter diruerunt. Vt hinc, ne simus longiores, abundè liqueat, ea quorū vsus est in Ecclesiastica processione, & quæ nō minus religiosè quàm prudenter adhiberi solent ab Ecclesia, verbo DEI nihil repugnare, sed maximè congruere, atq; in illo fundari. Ea veram fidem simul in Clero

& popu-

& populo haud parùm confirmant, & in audientium animis illustriorem reddunt, quicquid tandem odio inuidiâq; obcæcati aduersarij obstrepant, quibus hoc est maximè propositum, vt cõstitutos in Clero Catholico ministros, ac pias eiusmodi cõrimonijs in contemptum adducant aboleantq;. Etenim Satana duce huc furenter impelluntur, vt cultus Diuinus tot sæculis probatus, nõ grauitè, nõ honorificè, nõ religiosè, nõ legitimè in Ecclesia celebretur, sed decor domus Dei aboleatur. Catholici verò qui se homines esse, & cõrimonijs sacris etiam indigere confitentur, illud sibi dictum, semper que curandum putabunt quod scriptum est: *Terribilis Dominus, & magnus uehementer, & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcunq; potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum exaliate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. Deo nostro sit incunabula, decoraq; laudatio*, nimirum vt illi seruiatur cum timore, & exultetur cum tremore, sicut monet Psalmographus.

Eccles. 43.

Psalm. 140.
& 2.

VI.

R E S P O N S I O A D C O N V I C I A E T
querelas aduersariorum.

MVLTO S hodie libido exagitat, vt Ecclesiam Catholicam, quam turpiter deseruerunt, ac veteres eius ritus sine omni Christiano candore, & magno cum supercilio cupidè mordeant ac contumeliosè proscindant. Vnde grauitè offenduntur atq; vociferantur, cùm vident vel audiunt ac legunt, ea quæ piè ac sapienter à nostris instituta & seruata sunt maioribus, tum à clero, tum à populo in prauos vsus abripi, & quædam indecorè committi. Peccauit sanè Iudas nefarius Christi proditor, ac eiusdem Domini abnegator Petrus: sed vtriusq; lapsus fidem & autoritatè ordini Apostolico nõ detraxit, Deiq; fidem non euacuauit. Corinthij circa

Matth. 26.

I. Cor. II.

Contra Vi-
gilan. &
Heluid.Iudæ I. & 4.
I. Corin. 10.

Galat. 6.

Matth. 23.

Eucharistiam se irreuerenter ac impurè gesserunt, & idcirco graues à Deo inflictas pœnas subierunt: & tamen medicus illorū Apostolus hoc tantum Sacramentum illis idcirco non prohibuit vel ademit, sed peccantes ad meliorem Eucharistiæ sumendæ modum & vsum reuocauit, ac suum illis promisit aduentum. Proinde Hieronymus in simili argumēto versans, nō temerè dixit: Paucorum culpa nō præiudicat religioni. Apostolorum fidem Iudæ proditio nō destruxit. Nunquid virginitatis culpa est, si simulator virginitatis in crimine est? Atque vt maximè hic à multis Catholicis peccaretur, quos aduersarij nimirum licenter, sæpè & supra modum impudenter accusant: fateamur nō solū Ecclesiæ & Patrum leges bonas, sed præcepta etiam ac instituta diuina seruari nobis perperam, adeòq; cum offendiculo publico, proh dolor ac pudor, violari: homines enim, nō Angeli sumus, quales tamen & ipsis ceciderūt: *Et qui se existimat, stare*, inquit ille, *videat ne cadat*: ergo ne legum abolenda est autoritas, & propter quorundam improbitatem vel abusum, rectus rerum vsus magis magisque labefactari, nec potius cōfirmari debet, vt quod peruersa quorundam consuetudine introductum est, paulatim corrigatur, & ad veram rationem officij reuocetur? Alioqui si rigidi prorsus ac seueri accedant medici, qui ad viuum cuncta rescant, periculum est prorsus, ne illi egrotos grauiter laborantes extinguant potius quàm sanent sua vehementia, si nempe spiritus lenitatis, quem Paulus exigit, semoueatur.

AT verò superuacaneum & inutilem sumptum, adeò que reprehensibilem luxum isti deputant, quicquid ad Sacramentorum ornatum, ad fabricam, vt vocant, Ecclesiæ, ad decorem domus Dei, atque ad Diuini cultus promotionem à nobis piè confertur & impenditur: quicquid demum ipsis nō arridet, id vitiosum ac superstitiosum, risuq; dignum esse vociferantur. Eiusmodi supercilium fuit & veterum Phariseorum, quibus neque Christus, neque Apostoli, quamlibet inculpatis essent moribus præditi, satisfacere potuerunt. adeò ad carpendū & mordendū irruebāt præcipites. Quos tamē Christus optimus

medicus

medicus ita corripit, vt suam illis tribuat ac tribui velit autoritatem, quos præterea in cathedra Moyfi sedentes iubet audiri, ac prudenter illis respondet inter alia: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Peccant isti perinde ferè ac inuidus ac auarus ille Iudas, qui cum alijs quibusdam, vt causè pauperum patrocinari videretur, obtrectauit religiosæ Magdalenz, quòd suam pecuniam non in subleuandos egenos, sed in pretiosum vnguentum comparandum, Christi que capiti & pedibus infundendum vltro conuertisset. Christus autem hoc Magdalenz factum nõ solùm excusauit aduersus murmurantes, verùm etiam vt bonum, sibiq; gratum opus & obsequium, ac perpetua memoria dignum apertè defendit: nec obscurè subindicauit, sibi nõ placere hoc genus hominum sugillantium, atq; aliena vitia sinistrè iudicantium, qui solo iudicandi proximi studio contenti, illorum pietatem obscurant atq; denigrant, qui sicut paupercula vidua & Magi, suos sumptus in res sacras vel ecclesiasticas, piosq; vsus religiosè conuertunt. Sic ergo in hunc Euangelij locum scribit Theophylactus: Quando quis offert Deo donum, ne auerferis illud, neq; confringas alacritatem eius, abducens illum vt det pauperibus: sed sine implere oblationè. Decet enim vt honorem quem Deo debemus, præferamus simpliciter omnibus, etiam misericordiæ. Non est idem misereri pauperum, & colere ac honorare ipsummet Christum.] vt cætera præteream. Nec minùs luculenter dixit Euthymius Zigabonus: Si aliquos construentes Ecclesias aut monasteria, siue sacras imagines videris, ne factũ dirui iubeas, ne animi illorum promptitudinem retundas.] Quare notabo miram & præposteram sæculi nostri sapientiam, qua plerisq; in suis oculis prudētibus, vt Isaias appellat, domi arrident culta vestis, lauta mēsa, & ampla supellex, sola verò arridet simplicitas & paupertas in domo Dei, & in viris Ecclesiasticis. Plena sunt omnia Micholitis, pios homines & sacra vel despicientibus vel irridentibus, quemadmodum superba mulier Michol Dauidem, licet Regem suum & coniugem, eiusq; processionè & cultum irrisit, nescio cui religioni nouæ & mundi studio

Matth. 26.
Iohan. 12.

Luc. 21.
Marc. 2.

In 16 c.
Matthæi.

In Euang.
Matth.

Isai. 5.

2. Reg. 6.

Isai. 49.

prorsus addiſta. Non intelligunt plurimi, quid ſit Dauidem & Salomonem, quid Conſtantinum eiusque matrem Helenam æmulari, quibus sanè libuit, ſuos theſauros in ſacra fundanda & ornanda depromere, & ſicut Iſaias loquitur, Eccleſiæ nutritios & nutrices agere.

1 Tim. 4.

QV I D porrò indignius atq; procacius queſo, quàm quòd nouit Momì ex eodem amarulentix fonte profundant, proceſſionum inſtitutum, & ritus externos ad Montani ſpiritum eſſe relegandos? Sed huius vani commenti neque fundamentum, neque ſpeciem probabilem aſſerre poſſunt; & cõſtat ſatis, Catholicos veteres, ſicut in fide & doctrina, ſic etiam in ritibus à Marcione & Manichæis, nefarijs prorsus hæreticis, plurimùm ſemper abuiſſe. Multa ſcribit in Marcionem Tertullianus, vt reliquos veteres Theologos taceam, qui Paulinum vaticinium aduerſus illum palàm interpretantur, ſed nihil quiſquam illorum de Proceſſionum meminit inſtituto.

Exod. 25.
1. Reg. 4.
2. Reg. 6.
3. Reg. 6.
3. Reg. 8.
2. Macch. 3.

Iohan. 12.
A&or. 3.

RVRSVS dolet iſtis publicas à Catholicis indici ſupplicationes, & ſtationes decerni per Eccleſias in publico luctu ſeu gaudio, quaſi hoc ſit facinus à Chriſtiana fide ac pietate prorsus alienum. Timent enim vbi timendi locus non eſt, & falſò nobis affingunt, veluti DEVM immenſum quibuſdam limitibus circumſcribamus, quem in omni loco eſſe, & vbiq; operari conſtantiffimè proſitemur. Huc autem tendit mens Eccleſiæ, vt ſuperiùs notauimus, vt ſciamus arcano quodam conſilio, quod reipſa magis quàm ratione cognoscimus, Deum in illis locis potiùs quàm in alijs, & quidem in illis ipſis diſpariter pro ſua libera voluntate, quæ cauſam nullam habet, operari ſolere. Ita enim Iudæi apud tabernaculum ſcæderis & arcam Moyſi, ſed & poſtea in templo Hieroſolymitano DEVM orarunt, ſibi que magis propitium, & vota ſua efficaciora eſſe ſenſerunt. Hoc eſt quod DEVS ipſe, qui fallere non poteſt, de Salomonis templo fore promiſerat: adeò vt hanc Diuinã virtutem, ſicut antè monuimus, in eo templo habitantem ipſi quoque Ethnicis, qui ſæpè illuc redibant, haud obſcurè fuerint experti. Credebat igitur & Ionas, Deum non in omni loco ſuam

vim exerere ac operari, & iccirco ad Salomonis templum sese in orando conuertit, quando hæc verba locutus est: *Abiectus sum à cōspectu oculorum tuorum: veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* ac iterum: *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.* ac rursus: *Ego in voce laudis immolabo tibi. quaecunque vovi reddam pro salute Domino.* Nec dispar animus, sed æqualis ad orandum templumq; honorādum fuit affectus Danieli Prophetæ, qui fenestris apertis in cœnaculo suo dilectam Ierusalem propter templum toties respiciebat, tribusq; temporibus in die flectebat genua sua, vt proprium adorationis cultum exhibens, pro sua cōsuetudine Domino confiteretur. Quod ergo templa mutantur à cœtu piorum, & suam habet vtilitatem, & iucundam adfert varietatem, veterumque mori est consentaneum.

EST O autem, in Processionibus nostris quædam inueniri, quæ iam olim Pagani in vsu habuerint, cum in suis conuentibus idola circumducerent, pro frugibus & salute ciuitatis publicè supplicantes. Nos impiam horum superstitionem nihil moramur, nec solum cum Paulo, sed etiam cum Ecclesia Catholica ingenuè profiteamur: *Nolite iugum ducere cum Infidelibus. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars Fidei cum Infidei? quis cōsensus templo Dei cum idolis?* Absit procul, vt pro DEO idolum aut dæmonem ipsum habeamus atq; colamus, cum vtrumque prorsus inde à suscepto baptismo auersemur, nullumq; auxilium vel ab idolo, vel dæmone nobis petendū, nedum in illis confidendum esse planissimè cōfiteamur. Scriptum est enim, *Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli serues.* Falsò igitur notamur & damnamur horrēdæ impietatis, cum citra superstitionē in processione versamur, & ab vno veroq; Deo pendemus, nullumq; præter illum agnoscimus opis & gratiæ necessariæ largitorem. Nihil verò commune habemus in cultu cum antiquo serpente, qui cū Dei sit simia, seq; in lucis Angelum transfigūret, ea quæ Dei sunt propria iam olim

Ionæ 2.


Daniel. 6.

2. Cor. 6.

Deut. 6.
& 10.

2. Cor. 11.

imitari studuit, & multa ad verum Dei veri cultum spectantia, sibi apud cæcos Ethnicos vendicauit, vt sub Diuinitatis nomine & cultu mortalium illuderet simplicitati, & ex lege quidem Moyfi nō pauca mutaretur. Sedenim an idcirco reijcimus omnia, quæ Christiani tot sæculis piè faciunt & obseruat, quoniam cultores idolorum eadem iam antea superstitione impieque fecerunt & obseruarunt? Subuertamus ergo altaria, euertamus templa, aquæ, vini, panis hymnorū & luminarium vsus in sacris nullum relinquamus, quandoquidem Ethnici Dæmonibus seruentes, ab his rebus minimè abstinerūt: sed neq; precemur Deū, neq; cantemus, neq; sacrificemus, sicut iam pridē & hodie Infideles plurimi facitare consueuerunt. Verūm relictis contentiosis, qui cæci ac duces cæcorum gaudent persistere, ad Catholicos porrò veniamus.



*QVOMODO SE QVIS QVE GERERE
debeat in Processionibus Ecclesiasticis.*

RELIQVVM est dispicere, quod ad præsens institutum summoperè spectat, quænam officio congruant Catholico, vt cum fructu quis intersit eiusmodi Processionibus, seq; decenter gerat. Primum est ea submouere ac fugere impedimenta, quæ cultum DEI, & cum priuata tum publicæ orationis studium in plurimis remorari solent, procurante nimirū Satana, qui malorum incentor est omnium, vt in opere tam sancto quàm necessario & DEVS honore suo fraudetur, & salus humana præpediatur. Vnde non temerè scriptum legimus: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & prepara animam tuam ad tentationē.* Tentatio est sanè, leui de causa suam excusare oscitantiam & ignauiam, vt ad indictam processionem accedere aut nolis prorsus, aut nimiū differas. Hoc est nimirum illos ingratos,

Luc. 14.

Ecclef. 2.

morosos,

morosos, ac postea reiectos æmulari hospites, qui ab optimo & liberalissimo hero ad magnam cœnam inuitati; ne suas relinquerent delicias, nescio quas occupationes & curas domesticas excusarūt. Tentatio est, frigidus prorsus adesse animo, & ex mera consuetudine sacro cōuentui sese admiscere, vr̄ neq; Dei timor & amor, neq; maiorum autoritas, neq; charitatis & obedientiæ ratio, neq; propositæ orationis vtilitas & necessitas tuum commoueat animum ad accedendum: atq; vt maximè sis præsens corpore, tamen vago illic animo peregrineris, deq; rebus profanis potiùs, quàm de præsentī instituto, & indictæ processiois sine curam suscipias. Hòc sanè qui faciūt, etiamsi ab homine nullo corripiantur, tamen DEVM ipsum ita increpantem audire debent: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Demùm tentatio est, orandi tēpore vel in procedēdo nescio quibus de rebus ac nēijs cum aliquo colloqui, rebusq; ludicris ac risu & iocis præsentē bonorum cœtū offendere atque dedecorare. Quid hoc quæso est aliud, nisi se illis cōformare pueris otiosè in foro sedētibz atq; nugantibus, quibus collegæ illud impropert: *Cecimus vobis & nō saltastis: lamens auimus & non planxistis?* Bone DEVS, quantum est scelus, si verum fateri volumus, in locis, temporibus & cōuentibus sacris Cātholicum tam irreligiōsè versari, & iram Dei grauiorem sibi alijs que pro quibus supplicandum erat, concitare, & præsentēs pios, ac ipsos beatos Angelos non reuereri, vt meritò Christus illis quoque obijciat quod olim Iudæis obiecit: *Hypocrita faciem cæli & terra nōstis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?* Sentient illi tandem in se compleri, quod terribilis omnium iudex pronuntiauit: *Quia vocaui & renuistis: extendi manum meam & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consiliū meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit.*

ALTERVM hīc obseruandum illud est, vt seriò in animum reuocem, quo consilio, & in quem finem præsens conuentus indicatur, siue pauci, siue multi adiungant sese: pauci

enim,

Matth. 15.
Isai. 29.

Matth. 11.

Luc. 12.

Prou. 1.

enim, proh dolor, meliora sectantur, deteriora multi propensius animis ferè consecrãntur. Certè ad orandum DEVM & orandam processionem rectius excitor, si mecum, vt par est, statuum, vota mea cum voluntate maiorum piè & obedienter cõiungere, siue gratiæ bonorum omnium auctori ob lætũ rerum successum reddendæ, siue magistratus Ecclesiasticus vel politicus eligendus, siue pro communi pace & concordia Principum facienda vota, siue mala & dura quædã incõmoda, vt pestis, bellum, fames, deprecanda proponantur. Quoties obsecro, rex David ad laudandum DEVM, cui gratiæ agatur, & Iudeos & Gentes omnes prouocat, ac velut in vnã Ecclesiam postulat congregari? Non eligitur Matthias in Apostolũ Iudæ proditori subrogãndus, nisi facta prius discipulorum omnium cõgregatione & comprecatione. *Domine, inquit, ostende quem elegeris.* Nec liberatur Petrus ex Herodiano carcere, nisi multorum precibus coadunatis, sicut Lucas illis verbis insinuat: *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEVM pro eo.* Vincunt Israëlita hostes Philistæos, profligantur copiæ Assyriorum, sed pereunte cõuentu piè comprecantium. Quid quòd Christus destinatum sibi à Patre calicem bibere noluit, nisi se & discipulos orando primũ exercuisset? Quocirca nõ solum obedienter, sed ardentè etiam ad processionem velut rem sacram accurrã, multisque religiosè comprecantibus me libenter aggregabo: sed & pro beneficio ducam, me velut à Deo Dei que vicarijs huc inuitari, vt communem Ecclesiæ causam ac vtilitatem pro mea fide ac virili proueam. Meminero sic nos ab Apostolo instrui, vt nõ modò Magistratus & alios in sublimitate cõstitutos Deo quotidie cõmendemus, qd' in Sacrificio publico facit Ecclesia, verũ etiã vt quietam & tranquillam vitã agamus (sub bonis & idoneis nempe Principibus) in omni pietate & castitate, siue, vt alij legunt, honestate. Verũ hic generalis Processionum vsus, fructus & finis non prohibet, quò minùs ob peculiãres causas quæ frequenter emergunt, preces & processionem instituantur.

TERTIO accedat, quoad eius fieri potest, spiritus Christi

Psal. 116.
& 150.
Act. 1.

Act. 12.
1. Reg. 7.
2. Paral. 20.

Marth. 26.
Marc. 15.

1. Tim. 2.

stianæ humilitatis, qui hominem ad processionis institutum vel maximè habilem & idoneum reddit. Ut enim Augustini verbis notatu dignis utamur, Nisi humilitas omnia quæcunq; benè facimus, & præcesserit & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur; iam nobis totum de manu extorquet superbia.] Meminero igitur Apostolici præcepti, quo cautum est, *Omnes inuicem humilitatem insinuare, quia DEVS superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Ad quam humilitatē, virtutum & bonorum omnium fundamentum atq; custodem consequendam atq; conseruandam nihil equè cōfert, ac propriæ indignitatis & miserię meę verax agnitio. Per hanc humilis & submissus animus ita se deprimit ac deicit, ut se inter alios infimo statuatur loco, cunctos q; faciat se vno meliores ac DEO gratiores; perinde ac si cum Dauide omnium aliorum oblitus, cum gemitu dicat: *Ego sum qui peccaui, & ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Ingens itidem humilitas Ionæ Prophetæ fuit de se ipso testantis: *Scio quoniam propter me tempestas hæc grandis est super vos.* Et licet Paulus abundantius omnibus Apostolis in vinea Domini laborarit, tamen se primum & maximum peccatorem esse pronuntiat. Nos ita peruerso sumus animo, ut ad omnem Dei cultum superbiam potiùs quàm humilitatem Christiano dignā adferamus, neque perpendimus, omnium ferè calamitatum, quibus iusto Dei iudicio subinde vexamur, & premimur, causam & cumulos non tam ad hunc illumq; Principem, quàm ad omnes eiusdem prouinciæ homines pertinere, & de seipso quemq; constituere posse, quod ob suam vel ingratitude[m] vel iniquitatem ira Diuina in multos defæuiat, & propter vnū sicut Achan, multos sæpè & acerbè puniri. Ad eò in nos etiam competit illud Prophetæ dictum: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Omne caput languidum, & omne cor mærens: à planta pedis vsque*

Epist. 56.

1. Petr. 5.

2. Reg. 24.

Ionæ 1.

1. Cor. 15.

1. Tim. 1.

Iosue 7.

Ierem. 6.

& 8.

Psalm. 13.

Isai. 1.

ad verti.

Hai. 42.

Ioel. 2.

Genes. 42.

Thren. 3.

Hai. 29.

Ierem. 5.

Ezech. 2.

& 3.

Luc. 18.

ad verticem nō est in eo sanitas. Verūm paucis pro pudor, obtingit hæc rara, Deoq; cum primis chara & preciosa virtus intimæ humilitatis, per quam se quisquam, cuiuscunq; sit ordinis, nulli anteponat, omnibusq; inferiorem ac viliorem faciat, perinde ac si in DEVM & creaturas omnes peccauerit, nō solum Christiano indignus nomine, sed qui præsentis etiam ac futuri sæculi pœnas inexplicabiles promereatur. Et certè ita nunc viuitur, perinde ac si securè in omni vita ludant Christiani, summiq; Dei rationem nullam habeant, dum ille tacere modò videtur, qui breui pōst parturientis instar, cum terrore omnium est locuturus, cū nempe dies ille iudicij magnus & horribilis, sicut à Ioële dicitur, mirum in modum apparebit. Pulchra interim & humilis illorum est confessio, qui velut cū filijs Iacob factę proditiōis cōscij & vincti, vno quasi ore fatentur: *Merito hæc patimur, quia peccauimus.* Nec dissimilis fuit vox Ieremiæ Prophetæ, cū diceret: *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es, opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Quamobrem mihi simul mirandum ac dolendum putabo, tam multos tūm Catholicos, tum Sectarios perfrictæ fontis, ac veluti emotæ mentis esse, qui cū videant patriam ac vicinos horrendis pœnis, ærumnis insolitis, nec satis deplorandis cladibus passim subiacere, tamen ex tot tantisq; afflictionibus fructum nullum capiunt, sed Iudæorum peruicaciam & lapideam ferè obstinationem retinent, ac se ipsis etiam indies fiunt deteriores: tantum abest, vt vexatio det illis intellectum, & ad internam vel externam humilitatem hoc infelici sæculo permoueantur. Completur in illis planè dictum Propheticum: *Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisisti eos, & reuerūt accipere disciplinam: indurauerunt facies supra petram. & noluerunt reueri.* Hos homines dura facie & indomabili corde, stomum exasperantem, incredulos & subuersores, lapides & scorpiones, sed & attritæ frontis mulieres apud Ezechielem legimus appellari. Quis pius obsecro non doleat, tam paucos hodie publicanos apparere, qui peccatorum suorū conscij, Deiq; iustitiam metuen-

tes, in templo se se humiliant, verèq; pectus noxium tundant, & instar Esdræ lugentis, coram Ecclesia vel confessionis, vel pœnitentiæ apertum præbeant argumentum. Non illi è templo, & ex ipsa processione iustificati cum publicano redeunt domum, sed potiùs, sicut impij solent, sine sensu vllò pietatis in circuitu ambulant, suasq; nugas tractant vanè confabulando, vt eorum synagoga illud oraculum meritò audiat: *Existimasti inique, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quid verò humilius quæso Niniuitis à Christo laudatis, qui non minùs cum Christianorum quàm Iudæorum generatione in extremo contendunt iudicio, & condemnabunt eam, quando quidem vnica concione Ionæ cõtenti, vnũ sui Regis edictum & exemplum tantifecerunt, vt non modò crederent DEVM suis peccatis iratum, toti ipsorum reipublicæ extrema minari, verùm etiam ad communem precationem & ingētem luctum sese cõuerterent, suaq; opera ex imo corde profecta Deo comprobarent, ac insuper pristinam superbiam cū interna simul & externa humilitate integrè commutarent. Adeò verè scriptum est, DEVM in altis habitare, ac Deum Deorum esse: & tamen humilia respicere in cœlo & in terra, qui suscitatur à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus, cū principibus populi sui. Breuiter, *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua.*

POSTREMO singularis ex Processione fructus colligetur, si nobis ob oculos ponamus, seduloq; contemplemur illustriissimam fœminam Iudith, ac totum eius populum Bethuliensem. Illa cū nobilissima, formosissima & ditissima vidua inflorenti ætate viueret, summamq; pietatis & integritatis laudem apud omnes obtinere, in precando Deo se multū exercuit, & adeò sibi suoq; corpori delicato nō indulgit, vt à publico abstinens, in secrèto domus suæ cubiculo vnà cū puellis quibusdam clausa modestissimè demoraretur, quin etiam cilicio carnem suam affligeret, & quotidie, festis diebus duntaxat exceptis, supra vulgi morem ieiunaret. Quæ cū accepisset, Holofernem principem, & cum illo præpotentem exer-

Luc. 18.

Psal. 11.
Psal. 49.

Matth. 12.

Ionæ 3.

Psal. 49.
& 112.

Eccles. 17.

Iudth. 8.
& 9.

citum Assyriorum imminere, & extremum Iudæis exitium interminari, suum ingressa est oratorium, induensque se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se, clamabat ad Dominum. Ita demum illa nos docuit, quæ ratione Dei iram placare, & graues horrendosque motus auertere deceat, nimirum ut non solum communem orationem, sed domesticam quoque disciplinam, ac integros pœnitentiæ fructus adhibeamus. Hoc enim est quod insignis pœnitentiæ doctor & amator Ieremias aiebat, *Scrutemur vias nostras, & queramus, & reuertamur ad Dominum; leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in caelos. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco tu inexorabilis es.* Iudith verò simul Clerum & populum præclare instruit de his, quæ cum flagella Dei cõtra nos sæuiunt, præcipuè nobis cogitanda & agenda sunt. Confirmat ergo Betuliensem populum, cum is præsentis hostis metu ac terrore concussus, in supplicationem publicam incumberet; atque hoc modo illi affatur: *Humiliemus DEO animas nostras, & in spiritu cõstituti humiliato, seruientes illi dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobis cum cito misericordiam suam.* Et rursus, *Expectemus,* inquit, *humiles consolationem Dei.* Multa sunt eodem in libro præclare scripta, quæ ad processiones verè pias, Deoque gratas instituendas mirificè valent, ac nos hodie stertentes meritò pudefaciunt. Nam de populo illo Betuliensi sic legimus: *Clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiunij & orationibus ipsi & mulieres eorum.* tum rursus: *Factus est fletus & ululatus magnus in ecclesiis omnibus, & per multa: hoc una voce clamauerunt ad Deum.* Tantus erat ardor Betuliensium, qui cõmuni supplicatione facta Deo, ingentes sudere copias, & orationibus magis quàm armis de hostibus & plurimis & maximis triumpharunt. Nec dissimilis apparuit pietas in Daniele Propheta, qui non de suis commodis & cura domestica, sed de vniuersa populi Ecclesiæque salute nunquam non sollicitus fuit; & laudem inde perpetuam obtinet, quòd vir esset desideriorum, qui sua & populi peccata confiteretur, ac seipsum ob

Thren. 3.

Iudith. 8.

Daniel. 6.
& 9.

afflictum

afflictum Ecclesiæ statum pergrauiter discredere, suas q̄; preces pro Ecclesia & republica die noctuq̄; profundere non cessaret. Quid verò Michæas Propheta? quàm acerbum illi luctum attulit, cum ætatis suæ populum à DEO videret afflictū, & extremæ ruinæ propinquum? *Super hoc, inquit, plangam & ululabo: vadam spoliatus & nudus, faciam planctum veluti draconum, & luctū quasi struthionum.* Tum Ieremias Propheta totū se tribuit lamentationibus, & causam intimi mœroris & angoris hanc explicat: *Super contritione filia populi mei contritus sum & contristatus: stupor obtinuit me, ac iterū: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte.*

VB I me ipsum reprehendam, qui ab ingenti veterum piorum luctu, & à communi iuuandę Ecclesię studio ac zelo tam procul absum, & idcirco in priuata & communi precatione, simul & intima compassione sum frigidus ac torpidus. Quare illud testari nō possum, quod ardenti charitate flagrans Martyr Cyprianus bona fide testatus est: Ingemiscere vos & dolere ruinas fratrum nostrorum ex me scio fratres charissimi, qui & ipse vobiscum pro singulis ingemisco pariter & doleo; & patior ac sentio, quod beatus Apostolus Paulus dixit, *Quis infirmatur, & ego non infirmor: quis scandalizatur, & ego nō vror?* & iterum posuit in epistola sua dicens: *Si patitur membrum vnum, compatiuntur & cetera membra, & si latatur membrum vnum, collatantur & cetera membra.* Compatior ego & cōdoleo de fratribus nostris, qui lapsi, acrem dolorem nouis suis vulneribus intulerunt. Ivt alia præteream. Sed & complures tum Ecclesiasticos, tum populares accusandos putabo, quibus calamitas publica vix hodie cordi est, immò qui rident potiùs quàm dolent de ardenti domo ac pereunte patria, nostriq̄; temporis Ecclesia, si vnquam aliàs, nunc exitialibus mōtibus quos Christus prædixit, exposita, iamq̄; vix retinente vmbra veteris aut pacis, aut religionis, aut integritatis. Quid quod pleriq̄; funestissimas clades & pestes, quas tot annis pace belloq̄; sustinemus, fato & naturalibus causis, non secus quā

Michæ. 1.

Ierem. 8.

Ierem. 9.

Lib. 3. epist. 10.

2. Cor. 11.

1. Cor. 12.

Matth. 24.

si Ethnici forent, adscribunt? Per pauci reuera cogitant, hæc
 iusta & seuera Dei iudicia nostris peccatis infligi, & simul ama-
 ra quidem, sed salutaria esse antidota, quibus morbi animo-
 rum nostrorum, si vellemus, purgari atque curari possent: si
 autem nolimus, maximū illud supplicij genus existere, quod
 prauè agentes, nullo supplicio afficiamur, & quasi cæcitate
 mentis percussi, malorū sensu destituamur, ita vt sicut quon-
 dam Hierosolymis factum est, de temporali tantū pace &
 prosperitate cogitemus, secura nobis omnia pollicentes.
 Quod cum sit, euanescit omnis orandi & plorandi prompti-
 tudo atque sedulitas, ipsaque Dei verba complentur, quibus
 per Prophetam dicitur: *Non audiuit populus meus vocem meā,
 & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundum desideria cor-
 dis eorū, ibunt in adinventionibus suis.* Nec illud est absimile: *Non
 uisitabo super filias vestras, cū fuerint fornicatae, neq; super sponsas
 vestras cū adulterauerint.* Nihil autem infelicius, vt Augustini
 verbis utar, felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impu-
 nitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Vbi
 committere non possum, quin ex Cypriano paulò antè citato
 quædam adscribam, quibus vir tantus Clerum & plebem de
 precando DEO pro peccatis præclare adhortatur, satis q; de-
 monstrat, non solis precibus nos DEO reconciliari. sic enim
 habet: *Quanquam scio fratres carissimi, pro timore quem sin-
 gull debemus Deo, vos quoque illi assiduis orationibus &
 enixis precibus instanter incumbere: admonéo tamen etiam
 ipse religiosam sollicitudinem vestram, vt ad placandum atq;
 exorandū Dominum nō voce sola, sed & ieiunijs & lacrymis,
 & omni genere deprecationis ingemiscamus.* Intelligendum
 est enim & confitendū, pressuræ itius tam turbidam vastitatē,
 quæ gregem nostrū maxima ex parte populata est, & adhuc vs-
 que populatur, secundū peccata nostrā venisse, dum viam Do-
 mini nō tenemus, nec data nobis ad salutē cœlestia mandata
 seruamus. Fecit Dominus noster voluntatē Patris, & nos non
 facimus Domini voluntatē, patrimonio & lucro studētes, su-
 per biam sectantes, æmulationi & dissensionī vacantes, simpli-

citatis & fidei negligentes, feculo verbis solis, & non factis renunciantes, vnusquisq; sibi placētes, & omnibus displicentes. Vapulamus itaq; vt meremur, cū scriptum sit: *Seruus ille qui cognoscit voluntatē Domini sui, & non paruērit voluntati eius, vapulabit multis.* Virgas igitur & flagella sentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis satisfacimus.] ac postea: Vnusquisq; oret Deum non pro se tantū sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit, vbi nō singulis priuatam precem mandauit, sed oratione cōmuni, & concordī prece pro omnibus iussit orare. Si nos Dominus humiles & quietos, si nobis inuicē copulatos, si circa iram suam timidus, si prēsenti tribulatione correctos emendatosque conspexerit, tutos ab inimici infestationibus exhibebit. Præcessit disciplina, sequetur & venia: nos tantū sine cessatione poscendi, & cum fide accipiendi simplices & vnanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, sicut deprecari oportet eos, qui sint positi inter plangentium ruinas, & timentium reliquias, inter numerosam languentium stragem, & exiguam stantium paucitatem.]

Luc. 12.

Matth. 6.

QVAPROPTER, vt semel hic locus absoluatur, insanos Ecclesiæ veterisq; pietatis contemptores hodie missos faciamus, qui neq; suas, neq; aliorum in cœlis terrisq; iustorū preces magnoperè curāt, ac temerè prorsus abrogāt per antiquū & solenne, vti diximus, sacrorū conuentuum & processionū institutū, in quo certē cōplures boni, simplices & innocētes, castæq; virgines ac sincerę mētes in Christi nomine solent cōgregari, suumq; cultū non ore solū, sed & corde & opere fideliter expediūt, vt Pater glorificetur, & iuuetur Ecclesiā, plus quā pleriq; morosi & iniqui iudices arbitrentur. Illorū porrò vitam ex animo deploremus, qui Diuini timoris ac amoris expertes, nō secūs ac præsci feri q; gigātes, atq; Epicurēi & Athei, omnē pænē orationis vsū abiecerūt. Ita enim scriptū habemus: *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt cōfidentes suæ virtuti: & nō pepercit peregrinationi illorū, & execratus est eos præ superbia verbi illorū. Nō misertus est*

Matth. 18.
& 5.

Ecclef. 16.

Matth. 15.

7. & 25.

Num. 16.

Deut. 11.

Psal. 105.

Philip. 3.

Hebr. 6.

& 10.

Isai. 59.


2. Tim. 1.

Psal. 9.

Rom. 10.

Zachar. 12.

illis, gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis. Miserranda insuper illorum est cōditio, qui aut precari omninò nesciunt, sicut in plurimis etiam adultis experimur, aut sine præparatione vlla, sine spiritu, sine fide & charitate suas DE O preces fundunt, vix vnquã de sua & aliorũ salute solliciti vt oportebat. *Populus enim hic labijs DEVM honorat: Domine, Domine, aiunt, aperi nobis.* vt nihil dicam de Core, Dathan & Abiron, quorũ precatio & cultus apud Deũ fuit execrabilis, quòd sese à suis magistratibus Ecclesiasticis segregantes, Schismaticam orandi & sacrificandi licentiam sibi nefariè vendicarent. Deflet Paulus etiam inimicos crucis, *quorum finis interitus, & quorum Deus venter est,* suo nimirũ exemplo nos docens eos deflere, qui in suis obdurati sceleribus, tum internũ, tum externũ cultum relinquũt, & Christum quodammodò iterum crucifigunt, voluntariè & malignè peccãtes post acceptam notitiã veritatis. Hoc profanũ hominum genus, quod latissimè patet, vox diuina corripit, ac verbis illis coarguit: *Iniquitates vestrae diuiserũt inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret: manus enim vestrae polluta sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.* O nefandum facinus, innumeros passim Christianos reperiri, qui sola cõsuetudine ducti, nescio quid ore obmurmurant, ac interim velut cõmunem ferè sensum amiserint, nec mala timere, neq; bonis oblati frui, neq; gratiã necessariam sibi ac alijs domi & in templo petere à summo Deo dignantur. Quò magis nobis orandus est pater misericordiarum, qui desiderium pauperum libenter exaudit, diues in omnes qui inuocant illum, vt effundat in nos eum spiritum, quem per suum vatem Zachariam iam olim promisit, spiritum inquam gratiæ & precum. Vt enim nobis perniciosissimum, ita per se turpissimum est, filios ab optimis degenerare maioribus, quos constat ad præsentem ac imminentes ærunas amoliendas tam in processionibus publicis, quàm in priuato precandi studio paratissimos, ac simul religiosissimos extitisse.



DE SACRIS IN-
DVLGENTIIS NOTÆ, SEV
DOCTRINÆ CAPITA, PRO CON-
CIONE TRADENDA ET MEDI-
tanda, quando illæ in Ecclesia
promulgantur.

NOTA I.

*QVAMVIS INSTITVTVM INDVLGEN-
tiarum hodie multis ingratum & exosum sit, tamen quoniam
in Scripturis fundatur, & ab Ecclesia probatur Ca-
tholica, honorificè de illo sentiendum ac lo-
quendum esse.*



Nihil me commouebunt illorum homi-
num sinistra iudicia falsaq; cōmenta, qui siue
aperti, siue clancularij sint hostes Ecclesiæ,
Indulgentiarum nomen ac institutū pro ni-
hilo ferè ducunt, ac de illo inuidiosè loquun-
tur. Etenim certò mihi persuasum habeo,
nomen illarum & rem leuiter haberi & contemni non posse,
quàm Catholicæ veritatis mater & magistra Ecclesia iam pri-
dem approbavit, & sacrae synodi, ^a Lateranensis, ^b Viennensis,
^c Lugdunensis, ^d Constantiensis & ^e Tridentina suis calculis
cōfirmarunt. Proinde nihil dubitabo, Indulgentiarum vsum,

^a Sub Inno-
cent. III.
ad finem.

^b In Clemē-
tina de reli-
quijs & ven-
ner. Sancti.

^c Sub Inno-
centio IV.

^d Sessio. 15.
^e Sess. 25.

Matth. 18.

In symbo.
Apostol.

si rectus exerceatur, Christiano populo valde vtilem ac salutarem esse; quas tollere non sit aliud, quàm Ecclesiam ipsam cōtemnere, nec Christianorum, sed Ethnicorum atq; Infidelium insistere vestigijs, illumq; nostræ fidei articulum maximè consolatorium obscurare atq; labefactare, in quo Christiani omnes vno velut ore profitentur peccatorum in Ecclesia remissionem. Pro hoc autem veteres Germani, cū Apostolicum symbolum recitarent, iam pridem ita dixerūt: *Ich glaub ablas; der Sünden.* Præterea qui negant Indulgentias, præclaram illam auferunt partem Euangelij, in qua Christus Dominus & Redemptor noster fundauit Ecclesiasticam potestatem, si vlli alij, certè Petro eiusq; successoribus disertè promissam, ac pro summo in terris thesauro traditam & relictā. Cū enim Dominus Petrum præ discipulis omnibus elegisset, eumq; suarū ouium pastorem & vicarium supremū instituere decreuisset, hoc illi peculiariter dixit atque promisit: *Tibi dabo clauēs regni cælorum: & quodcūq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcūq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quid verò est obsecro, Ecclesiasticam conferre indulgētiam, sicut in Ecclesia fieri solet, nisi velut mysticis clauibus, regni cœlestis occlusum reis ostium aperire? dum scilicet communis infinitus que thesaurus meritorum Christi atque Sanctorum his distribuitur & applicatur, qui oblatum à summo sacerdote beneficium gratis & obsequentibus animis amplectuntur? Qua quidem ratione impetrant, vt quæ temporalis pœna, post remissam eorum culpam Diuino restabat iudicio persoluenda, prorsus amoueatur atq; tollatur. Quodcūque solueris ait Petro, siue pœnitentes in Sacramento Pœnitentiæ à peccatis absoluas, siue pro solutione pœnarum Indulgentiā Fidelibus cōcedas, rata & firma erit in cœlis ea sententia, quā vice mea super terram tuleris, quemadmodum ^a Cyprianus, ^b Hilarius & ^c Augustinus locum explanant. Habent igitur quo sese consolentur, qui temporalis pœnæ reatu ob sua vitia tenentur obstricti, vtpote per indulgentiam liberandi, ne iudicio Dei debitam pœnā siue in hac vita, siue in purgatorio ex-

^a Libro 1.
epist. 2.
^b In 16. cap.
Matth.
^c Homil. 50.

piare-

piare cogantur. Ac nusquam alibi sanè legimus, talem tãtamque potestatem clauium, sicut & Origenes annotauit, cuiquã sicut Petro, à Christo promitti atque tradi: vt hinc etiam Leo magnus dixerit: Petro præ cæteris est tradita soluendi atq; ligandi potestas; & Optatus affirmat: Solus Petrus clauis accepit, sicut & Epiphanius uocat: Solus Petrus accepit, modo videlicet excellentiore.

DEINDE alius est Euangelij locus, qui Apostolis omnibus hanc Christi promissionem assignat: *Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Id quod luculentius etiam redditur, si hæc verba Christi post resurrectionẽ eisdem Apostolis dicta coniungantur, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Habent igitur Apostoli, & cum his Episcopi, sublimiorem quàm legis Moisaicæ antistites vel sacerdotes, potestatem in remittendis peccatis, vt de causâ peccantium cognoscere, eorumque vitia in Dei tanquam foro cõdonare, atq; sic indulgentiam dare possint, quemadmodũ ea verba ^a Hilarius, ^b Hieronymus, ^c Chrysostomus & ^d Augustinus interpretantur. Manet interim Petro, utpote Apostolorum principi, ea prerogatiua, vt indulgentiam plenariam conferat, & communem Ecclesiæ thesaurum absolutè dispenset, quando sic illi ob causam rationabilem visum fuerit, vt pœnæ in hoc futuroque seculo debitæ Fidelibus omninò relaxentur. Etenim Ecclesiæ salus, sicut Hieronymus asserit, in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui exors quædam & eminens, atque vt sic loquar, independens potestas tribuenda est tum in foro Ecclesiastico & interiore, tum in alijs ad absolutam Fidelium gubernationem pertinentibus, ac præcipuè quidem in principatu Ecclesiasticæ iurisdictionis, quæ circa iudicandas Fidelium conscientias in dimittendis peccatis, eorumque pœnis plenè ac perfectè versatur.

ET verò quamuis Paulus Apostolus Indulgentiæ nomen non exprimat, tamen rem ipsam satis ostendit, quando scribit

Traçt. 6 in
Matth.

Epist. 89.

Lib. cont.
Parmeniã.
In Ancorat

Matth. 18.

Iohan. 20.

^a Cano. 18.
in Matth.
^b In cap. 18.
Matth.

^c Homil. 16.
in Matth.

^d Traçt. 22.
& 49. in Iohann.

Contr. Luciferianos.

*Echiel
in quo per
D. d. f.*

1. Cor. 5. &
2. Cor. 2.

Iohan. 20.

Galat. 6.

a Canon. 11.
b Canon. 2.
c Cap. 2. & 5.
d Actiōe 1.
e Lib. 1 ep. 3.
& li. 4 ep. 2.
f Apud Euf.
lib. 6. eccl.
hist. cap. 32.
g In Canon.
can. 73.

de Corinthio incestuoso ad tempus Satanæ tradito & excō-
municato, cui deinde ex animo pœnitenti nomine & loco
Christi pœnam omnem patrato crimini debitam gratiosè
condonat, sicut illa eiusdem verba commonstrât: *Cui aliquid
donastis: & ego. nam & ego quod donauī, si quid donauī, propter
vos in persona Christi.* Perinde ac si dicat: Quandoquidem pro
hoc impuro & à me punito ciue interceditis, & venia dignum
cum iudicatis, ego vobis assentior, & huic homini flagitioso
indulgentiam confero, vt nō tantum causa disciplinæ, secun-
dum Ecclesiæ iudicium, sed etiam in foro iudicioq; Dei remis-
sionem peccatorum integram assequatur, & ego illi veniam
tribuam vice Christi, qui suis dixit Apostolis: *Quorum remise-
ritis peccata, remittuntur eis,* sicut eundem Pauli locum præter
alios Antelmus exponit. Huc insuper applicari potest eiusdem
Apostoli præceptum indulgentiæ plenum, quo sancitum est,
*Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales
estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Etenim quemadmo-
dum Apostolus se dicto Corinthio clemētem indulgētemq;
medicum ac iudicem præbuit, cum is punitus nō obscurum
ederet specimen pœnitentiæ: ita voluit etiam ab alijs fieri mi-
nistris Ecclesiarum, ac iudicibus conscientiarum, vt cum pec-
cantibus qui resipiscunt, humaniùs agerent, ac de rigore ca-
nonum, quos vocant, pœnitentialium aliquid remitterent, &
per indulgentiam pœnas debitas, ac seuerè olim exactas, eisdē
relaxarent. Constat enim, Indulgentiarum autoritatem tam
olim fuisse receptam & probatam, quàm frequens & vetus e-
rat dispensatio Pontificum & Episcoporum in lapsis Fidelibus
benignè fouendis, & gratiosè cum Ecclesia reconciliandis, at-
que ad communionem Sacramentorum admittendis. De re-
missis huiusmodi Canonicis pœnitentijs, & sicut vocabant,
satisfactionibus siue pœnis satisfactorijs, quæ Sacerdotum ar-
bitrio tandem relictae fuerunt, non obscure loquuntur anti-
que Synodi, *a* Nicena, *b* Laodicensa, *c* Ancyrana, *d* Chalcedonē-
sis: scribunt & Patres, *e* Cyprianus, *f* Dionysius *g* Basilius aliq;
complures. Proinde potestas à Christo tradita, Præpositis Ec-

clesiæ

clesiæ congruit, vt non modò peccata remittant, sed etiam Indulgentias conferant, licet pœnitentiæ Sacramētum etiam aliquando non adhibeatur.

QVÆ cùm ita sint, si profana & inaniloquia deuitare, & sanorum verborum formam retinere debemus, quomodo ^b doctor Gentiū à nobis exigit: ac idcirco missum planè faciã contētiosum ineptèq; fastidiosum hominum genus, quod de nomine Indulgentiæ, hoc enim in malam partē Latinæ linguę scriptores veteres accipere solent, litigat, cùm tamen & sacræ literæ, & Ecclesiastici Patres, nimirum ^a Cyprianus, ^b Hieronymus & ^c Augustinus hac voce pro benigna debiti alicuius cōdonatione seu venia frequēter vtantur. Cæterum habent hoc sibi proprium Ecclesiæ insectatores, vt gaudeant captatores esse vocabulorum, facilèq; offendantur vocibus, quæ suæ doctrinæ placitis & dogmatibus aduersantur. Ringuntur ergo cùm audiunt, aliquid à nobis depromi de indulgentijs, satisfactionibus, transsubstantiatione, purgatorio, ac alijs id genus in Ecclesiæ vsu receptis, & iam pridem tritis in schola nominibus: quæ tamē tantò rectiùs ac tenaciùs à Catholicis retinētur, quantò maiorem lucem & vim ad Ecclesiæ sententiam contra hæreticos tuendam adferūt stabiliuntq;. Atque huc sanè spectat prudens Pauli præmonitio & vaticinium: *Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auerterent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò,* inquit, *permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi,* nimirum à columna veritatis Ecclesia. Sed ad istorum proteruiam cōprimendam, qui religionis nouandæ studiosi, in sacris nihil non arrogat sibi, haud parum valet quod scitè Augustinus tradidit inquiring: Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarū aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentiã etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignat opinionem.]

OBIECTANT interim, & supra modum exaggerant no-

b 2. Tim. 2.

Isai. 61.

& 63.

a Epist. ad

Iulian.

b In 4 cap.

Daniel.

c In Psalm

110.

2. Tim. 4.

2. Tim. 3.

1. Tim. 3.

Lib. 10 de

ciuit. Dei

cap. 23.

In Clem.
Religiosi,
de priuile-
gijs.
Ephes. 5.

Iohan. 6.
Matth. 26.
Apocal. 2.
Matth. 23.

Iohan. 11.

Matth. 20.
& 22.
Marc. 10.
Luc. 13.
Matth. 18.

bis abusus eorum, qui siue per inscitiam, siue per cupiditatem circa Indulgentias aliquando deliquerunt. Quasi verò quæcunq; perperam agunt liberi, semper parentibus iure adscribantur, cum Ecclesia quidem non suadeat, nec probet, immò eiusmodi corruptelas iam pridem disertè prohibuerit, & expressè damnarit. Est manetque sua laus coniugio Christiano, quod Apostolus magnū nominat Sacramentū, quamuis cōplures ex eo adulterātes quotidie prodeant, illudq; sceleratè corrumpant. Excellit in Ecclesia ordo Apostolorū ac Diaconorum nihil autem huius ordinis dignitati derogat aut Iudas inter Apostolos fur & proditor, aut Nicolaus inter primos Diaconos hæresiarcha. Grauius Christus taxat Phariseorum vitia, uti merebantur; sed illorum potestatem, quia sedebāt in cathedra Moyse, manere vult integram, ac discipulis mandat: *Omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite.* Impius & sacrilegus erat Caiphās, sed ab Euāgelista honoratur, quod quia Pontifex esset anni illius, donum acceperit Prophetiæ. Quando autem, obsecro, verum nō fuit illud Christi verbum, quod sepe repetitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi?* immò ut idē affirmat: *Neceesse est vt veniant scandala: veruntamen va hominū illi per quem scandalum venit.* Quocirca, vt triticum à paleis legitime discernatur, relictis abusus, de salutari vsu indulgentiarum præstando curā suscipere & officium exhibere debemus.

II.

GENERALIA QVAEDAM IN DIPLOMATIBUS Indulgentiarum vtiliter animaduertenda esse, præsertim de Summo Pontifice Indulgentias conferente, & alijs ministris illas exequentibus.

N

ON idem prorsus tenor, nec eadem forma est, quæ se auditoribus aut lectoribus offert, quum Indulgentiæ decernuntur, & siue scripto, siue viua voce in templis promulgantur. Vt enim res ipsa docet, eiusmodi

promul-

promulgationis causæ variæ adferuntur, prout aliæ atq; aliæ occasiones & calamitates emergunt. Aliquando summi Pontificis aut alicuius Regis electio & gubernatio Diuinæ gratiæ ab omnibus commendanda proponitur: nonnunquam regni vel prouinciæ præsens aut imminens periculum & malum publicum designatur. Sæpenumerò fit illic mentio de bello contra Infideles vel Hæreticos à Catholicis gerendo, de peste sæuiente, de fame dira inualecente, de mutua Principum inter se contententium pacificatione, de gliscentium hæresum & schismatum extirpatione, de communi religionis & publicæ pacis defensione siue restitutione: demum quot ferè grauium flagellorū nos vrget acerbitas, quibus iram suā DEVS offensus ostendit & affligit Ecclesiam, tot Indulgentiarum causæ possunt adferri. Quis verò prudens ambigat quæso, ob has aliasq; rationes Pontificem Maximum iure commoueri, vt exemplo Christi Domini, qui magnus, fidelis & æternus est Pontifex, super turbam sibi commissam, & in graue discrimen adductam, in hoc mundi deserto misereatur, suasq; oues vndique collectas singulari amore & beneficio subinde prosequatur: Decernit igitur ille & promulgat Indulgentias, non suo sed Fidelium communi commodo prospiciens, & quantum in ipso est, periclitantibus cœlesti data benedictione paternè succurrit. Ac magni profectò refert ante omnia perpendere, & seriò ponderare piam & rationabilem causam, quæ autorem Indulgentiarum ad euulgandas eas impellat, quæque ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem promouendam imprimis dirigatur. Nec est quod offendat quenquam, eiusmodi diplomata nunc frequentius quàm olim prodire atque spargi per Ecclesias. Etenim sicut ex malis moribus leges bonæ nasci solent, ita propter publicas & miserandas temporum calamitates hoc excellens medium atque remedium, quod Indulgentiarum nomine continetur, à prudentibus pijsq; Petri successoribus in vsum reuocatur. Fatendum est enim, hunc mundum seipso indies fieri deteriorem, nefandas hæreses & sectas agminatim inualecere, rapaces lupos in Christi ouile furiosè

gratulari,

causæ qz quæ Indulgentiæ commendanda sunt

- 1.
- 2.
- 3.

Hebr. 4.
2. 11.
Marc 3.
Matth. 15.

Cum enim supra Indulgentiæ quæ dicitur publicas ac commendanda.

gratulari, integras Ecclesias ab impijs deuastari, sacra misceri profanis, pacem perturbari publicam, Antichristi præcursores vbique gentium irruere, & partim à Catholicis, partim ab Hæreticis Dei timorem, virtutum studium & subditorum obedientiam in postremis haberi. Quantò igitur impuriùs & sceleratiùs sine fide, sine charitate viuunt homines, vt iam omnis iniquitas impunè abundare videatur, tantò magis peccatorũ nostrorum pœnæ, & omnis generis calamitates nos inuoluunt & obruunt, sicut Euangelica & Apostolica scripta Fideles liquidò præmonuerunt. Eòque minùs admirandum venit, primarios Ecclesiæ pastores seu rectores ferre grauiter, publicèq; testari de his pereūtis Reipub. funestis & exitalibus motibus, & quoniam humana præsidia non suppetunt, frequenter alios commonefacere, vt si benè sibi & Ecclesiæ consultum velint, tanquam in communi naufragio positi, ad cœlestem opem implorandum confugiant, Deumque iudicem multis modis offensum sibi placandum, magno que studio reconciliandum proponant. Atque huc sanè spectat communis oratio & processio, quæ in ipsis etiam Indulgentijs plerunque postulatur, & quæ, sicut iam antè diximus, supremo iudici tãtò acceptior, & vniuersæ Ecclesiæ utilior esse consuevit, quantò maior piõrum comprecantium numerus in Christi nomine congregatur, & ex vera fide obediẽtiaque collectus, velut in aciem prodit, illis armis depugnans, quibus iam olim ^a Moyses, ^b Samuel, ^c Iudith & ^d Esther gratiam populo necessariam à Domino impetrarunt, cùm extrema ferè perniciës Reipublicæ imminere videretur. Accedit & illa nunquam satis deploranda communis vitæ licentia, quæ cunctos ferè hominum ordines nunc adeò deprauauit, vt si vnquam antea, nunc maximè quidem à veterum canonum custodia & rigore prorsus abhorreamus, & quæcunq; ad sinceram maiorum pietatem æmulandam faciunt, tanquam aspera peccatorum remedia, ac superuacanea melioris vitæ instituta, præfractis animis refutemus, lenibus tantum satisfactionibus & pœnis, quantumuis extra viam curramus, assuefacti. Præteritorum scelerum com-

penfatio-

Matth. 24.
1. Tim. 4.
2. Tim. 3.
A. Cor. 20.
Iud. 2. 1.
2. Pet. 2.

^a Exod. 17.
& 32.
^b 1. Reg. 7.
^c Iudith. 8.
^d Esther. 4.

*113 q. ca. ut tam
frequenter hoc
vultu dicit Indulgenti*

penfationes, atque vt Martyr Cyprianus ait, redemptrices peccatorum, nec fufcipiuntur, nec imponuntur amplius. Quotifquisque obfecro Theodofius nunc effe dignatur? qui cum eximius princeps, adeoq; Cæfar potentiffimus imperium gubernaret, & ab Ambrofio Epifcopo iuffus effet expiare culpã, quod ciues quofdam Theffalonicae temere interfici præcepiffet, haud fine magno mœrore & luctu folemnem & publicam exegit pœnitentiam, & tanquã priuatus homuncio, fe à templi ingreffu, & Sacramentorum vfu paffus, effet remoueri. Quis præfenti ferret fœculo, vt propter vnum crimen, ficut effet adulterium vel vſura, pane & aqua contentus, & à bonorum confortio alienus viueret, fed & nocturnas vigilias orando tranfigeret, ac præfcripta publicæ pœnitentiæ cunctis ederet documenta? Notabantur olim, & à fano corpore velut putida mēbra reſecabantur, qui Eccleſiaſticae diſciplinæ limites tranſgreſſi, ſuæ vitæ licentia offenderant fratres, de quibus etiam caſtigandis Paulus ita præcepit: *Scripti vobis, non commiferi. ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator aut auarus, aut idolis ſeruiciens, aut maledicus, aut ebriofus, aut rapax: cum eiufmodi nec cibum ſumere. N. ſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum: auferte malum ex vobis iſtis.* ac iterum: *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri I E S V Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Vnum è iam citato Cypriano adſcribam locũ, qui clarè doceat, quàm ſeuere olim ageretur, cum lapſis Chriſtianis, priuſquam in ſuum locum, vnde peccando exciderant, reſtituerentur. Orare oportet impenſius, inquit, & rogare, diem luctu tranſigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari. Nos verò ab his rebus planè abhorremus, & ingrati ſingularẽ Dei bonitatem ac prouidentiam nõ agnoſcimus, quæ nobis Põtifices tam faciles & benignos tribuit, vt leuiſſimũ hoc medicamento genus, quod Indulgentia dicitur, nobis grauiffimè laborantibus vt libera-

liter,

Sermon. de
lapſis.
Vide Theo-
doret. lib. 5.
cap. 17. & 18.
hiſt. eccleſ.

1. Cor. 5.

2. Theſſ. 3.

Sermon. 5. de
lapſis.

liter, ita & frequenter offeratur atq; dispenseretur. Quid clementius queſo deſideremus, quàm vt ſummus animarū iudex ſua potestatem ampliffimam noſtris Paſtoribus atq; Confeſſarijs impertiat, qui graues pœnas ſceleribus noſtris debitas infligere poterāt, & nunc meri Samaritani, vt ſic loquar, efficiuntur, hoc eſt, qui in tractandis curandisq; noſtris vlceribus per indulgentiam planè ſunt propitij, ac proſus fiunt indulgentes? Quid iſtud eſt aliud queſo, ſi verum fatebimur, niſi quòd Pontifices ſe miſerrimorum hominū attemperant imbecillitati, ac cœleſtem illū imitātur medicum, qui arundinem quaſſatā non confringit, & linum fumigans nō extinguit, cū ſit verè Samaritanus, & per ſuū Prophetam luculenter affirmet: *Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur à via ſua & viuat.* Perinde ac ſi Pontifex Indulgentias largiens cum Apoſtolo dicat: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtū: & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquā Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.*

SUPEREST in diplomatis Indulgentiarum illud attendere, quòd Apoſtolicus ille Canon obſeruetur: *Omnia honeſtè & ſcundum ordinem fiant in vobis.* Decens autē ordo exigit, aliquos velut ordinarios theſauri huius diſpenſatores & executores cōſtitui, qui hoc ſummi Paſtoris edictū ſibi tranſmiſſum & acceptum promulgent, atq; ad cōmunem populorum ſibi ſubiectorū notitiā & praxin deducant. Hi verò ſunt Archiepiſcopi, Epīſcopi, alijq; ſtatus eccleſiaſtici antiſtites ac paſtores, ex quorum præſcripto & autoritate grex Dominicus pendet, ac legitimè inſtruūtur oues, vbi, quādo, & quomodo hoc recenti theſauro ſit cōuenienter vtendū, vt ſuum quiſq; fructum ex illo ad Dei ſummi gloriam, & Eccleſiæ catholice vtilitatem colligere poſſit. Vt enim Paulus quoque teſtatur, *Quæ ſunt à Deo, ordinata ſunt.* Saturauit quidem Chriſtus ingentem hominū turbam, cū in deſerto paucos panes & piſces ſemel ac iterum benedixit: ſed ſuos delegit Apoſtolos velut miniſtros domeſticos ad præſens beneficium omnibus & ſingulis qui aderant, diſtribuendū. *Dedit enim diſcipulis panes,*

diſcipuli

Matth. 12.

Luc. 10.
Ezech. 33.

2. Cor. 5.

1. Cor. 14.

Rom. 13.


Matth. 14.
Luc 9.
Iohan. 6.

discipuli autem turbis: & manducauerunt omnes & saturati sunt, sicut ex Matthæo discimus. Addit Iohannes dixisse Dominum Apostolis: *Facite homines discumbere.* Soli igitur discumbentes ac obedientes ex plebeis diuinū beneficium perceperunt: soli verò Apostoli illorum gessere typum, quorum est proprium oues Dominicas pascere & regere, quos & Spiritus sanctus ad regendam Ecclesiam Dei constituit, quibus præterea Christus non temerè dixit: *Soluite eum* (Lazarum mortuum ac ligatum) *& sinite abire.* Eisdem competit iure suo testari: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Atque huc spectat, quod legitimi Christi Ecclesiæ que ministri leges sibi præfixas habent quas exequantur, cum vel ex officio, vel ex priuilegio, vel ex commissione dispensant sacra, aut Indulgentias elargiuntur.


Act or. 20.

Iohan. 11.

1. Cor. 4.



DE SVSCIPIENTIBVS INDVL
gentias, ac officio eorundem.

 I vnquam aliàs, nunc certè plurimi de Indulgentijs perversè sentiunt, nouis nempe ac falsis imbuti opinionibus, quibus hanc doctrinæ Catholicæ partem impugnant magis quàm probant. Nec enim expendunt ab Augustino verissimè tradi, quod quisquis in Ecclesia dimitti sibi peccata non credit, non ei illa dimitti: quisquis autem credit, seque ab illis correctus auertit, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eum fide vera atq; correctione sanari: tum eos qui extra Ecclesiam vel contra Ecclesiam sedes sibi constituunt, cathedram pestilentiæ occupare. Igitur ab Ecclesiæ fide alieni, & Indulgētias reiicientes, in petram ipsam impingunt, quā non vincunt superbæ inferorum portæ, vt ab eodem Augustino dicitur. Et quoniam Petri clauas aspernantur, se prorsus indignos reddunt, quibus Petri clauas à Christo traditæ, ad

De doctrina
Christi. l. 1.
c. 18. & in
Questionib.
vet. & nou.
Testam. q.
10.

In Psalm.
cont. partē
Donati.

Rom. 13.

Matth. 25.

Iudæ 1.

In fest. S. S.
Pet. & Pau.Psal. 93. &
140.

Isai. 27.

Ioan. 1.

peccatorum veniam, & regni cœlestis gloriam assequendam conducant. Resistunt potestati, & quidem primariæ, donatæ vnquam mortalibus: igitur, si Paulum audimus, & Dei ordinationi resistunt, & certam sibi damnationem acquirunt. Demum Christum illi in Petro & eius successore, summo que pastore contemnunt: ac eo ipso declarant, se non ex benedictis Christi esse ouibus, sed qui cum hædis illis maledictis nullam in Christi regno partem habituri sint. Quid istis impudentius, ac damnabilius, quos tam ardens Pontificis maximi odium occupauit, vt ex illo execrandum faciant Antichristum? quod est sanè vt quidam ex Apostolis dixit, blasphemare Maiestatem, eamque sicut à Christo ipso institutam, sic etiam à venerandis synodis & laudatissimis principibus tot sæculis agnitam, & per orbem Christianum vbique gentium honoratam superbe & contumeliosè insectari: sicut à nobis alibi fusiùs est explicatum.

VERVM ad Catholicos veniamus, qui de Indulgentijs non quidem malè sentiunt, & summum earum uti par est, reuerentur autorem, sed nullum tamen ex illis capiunt emolumentum. Segnes enim & delicati homines cum vident officium ac onus, quod cum illarum beneficio coniunctum est, aliquid ab illis postulare, se facile deterreri ac prorsus impediri patiuntur. Vnde piget eos ac tædet pœnitentium augere numerum, ac eas exercere virtutes quæ requiruntur, præsertim vt in ieiunatione triduana, simul quæ in sacra confessione & communionem versentur. Ita fingunt laborem in præcepto, & excusationes in peccatis, sicut Psalmographus loquitur, nimirum vt segnitia prætexant patrocina difficultatis. Sedenim quantulum est quæso quod hoc loco exigitur, & à pijs de more præstatur, modò illud cum inæstimabili fructu, qui per Ecclesiæ clauis & Indulgentiam accipitur, aliqua ex parte conferatur? An temerè dixit Isaias: *Iste omnis est fructus, vt auferatur peccatum?* Quod Euangelium dulcius annuntiari & percipi potest, quàm de Agno mundi peccata tollente, & suam ingentem hinc prodente virtutem? quid pace conscientia deli-

derabilius

derabilius atque iucundius, cum de plena peccatorum remissione is redditur certior, qui pœnas debebat perpetuas apud inferos expiare? Quæ maior & optabilior animi cōsolatio fingi potest, nisi cum Christū ipsum vides & audis per suum Vicarium hoc tibi sordido affirmantem: *Confide fili. Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace?*

Matth. 9.
Luc. 7.

QVOCIRCA non leuiter sanè peccat, quisquis oblatū & promulgatum Indulgentiarum munus, cum illud suscipere potest, prompto gratoq; animo non amplectitur, sed mera desidia & ignauia impeditus, hortanti Pontifici quodammo do contradicit, Diuino cultui se subtrahit, imitandum bonorum exemplum negligit, ac demum tam malè meretur de Ecclesia, cuius vtilitati, ne dicā necessitati, si vel micam verè charitatis obtineret, eo loco ac tempore nō frigidè subuenire debebat. Habet hic quoq; locum, quod Naaman Syrus, vir prænobilis ac princeps, sed leprosus, à suis ministris sibi obiectum audiuit, cum obedientiam Eliseo Prophetæ debitam stultè ac inaniter detrectaret *Pater, aiebant illi, etsi rem grandem dixisset tibi Prophetæ, certè facere debueras. quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare & mundaberis?* Etsi ergo frequēs & commune, nō leue tamē hoc vitium est filiorū Adæ, vt ad præclara & sancta vitæ officia, velut ad magnam & opiparam cœnā inuitati, tam tardè & grauatè accedāt, suasq; villas, boues, coniuges, & nescio quas alias terrenas curas obtendant, seq; carnales potiùs quā spirituales esse declarent, quemadmodū Christus in Euāgelica parabola subindicauit. Certè nō solum Deo, sed etiam Præpositis Ecclesiæ obedire & subiacere monemur, si oues morigeras præstare velimus: nec temerè Paulus inter cætera Christianum docuit populum: *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsumt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum: pacem habete cum eis.* Qua igitur venia dignus est seruus tam focors & piger, qui cognitā Domini sui voluntarè sciens ac volens prætergreditur, nec se tantū, sed etiam Ecclesiam, cū ingens causa vrget vel calamitas, publico bono defraudat? Nō

4. Reg. 4.

Luc. 14.

Hebr. 13.

1. Thess. 5.

Luc. 12.

hîc agitur, vt propositam Indulgentiam pecunia redimas, & vel Pontificem vel Pastorem facias ditiozem. Non longa indicitur peregrinatio, quæ magno tibi labore constet, ac rem impediatur familiarē. Non ad expeditionē militarē extruderis, aut priuatis domesticisq; cōmodis aliqua ex parte priuaris. Pia, vilitata & salutaria studia proponuntur at cōmendantur, nullū vt iustā excusationē queas prætendere in sancto studio defugiēdo.

QV I D igitur factū est opus, inquires, vt nōrim quomodo mihi vsum & fructū huius Indulgentiæ, seu vt ex veteri lege dici cœptum est, Iubilæi mihi meæq; cōscientiæ vtilem reddat. Vt enim Christianæ indulgentiæ typum præcessisse agnoscas, omnia quippe Iudæis veteribus in figura cōtingebāt, habebāt illi propriū per amplē libertatis & liberalis remissionis annū: quo vendita, distracta & amissa bona omnia recuperabantur.

S E D nos quæ per Indulgentiarum diplomata exigantur, hîc breuiter attingamus. Opus est cum primis animi, qui adhuc in luto peccati mortalis heret, sincera conuersione, iuxta illud Diuinum oraculū, *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominū, & miserebitur eius. Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Opus pœnitentiæ tum interiore, tum exteriori, vt concioni Baptistiæ satisfiat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ. Si enim nosmet ipsos diiudicauerimus, nō vrig, iudicauerimur,* Apostolo teste. Opus humili & ardētī precatione. *Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, in spiritu scilicet ac veritate, saluus erit,* Ioëlis testimonio. Opus ieiunio, vt conuertaris ad Dominum in toto corde, quin etiam vt Propheta dixit, in ieiunio, fletu & planctu, licet hoc ipsum ieiunium nō tam rigidū exigatur, quale in Niniuitis & Israëlitis cū Mardocheo & Esther admirari magis possumus quā imitari. Opus benignitate & officio misericordiæ in egenos miserosq; collato, Christo ipso testate: *Quid superest, date elemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis:* sicut & Daniel Propheta monuit: *Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Opus purgata per confessionē conscientia, qualem & Iacobus Apostolus à Christianis requirit, & Lucas

ab illis

1 Cor. 10.
Leuit. 25.

Isai. 55.

Ioël. 2.

Luc. 3.

1 Cor. 11.

Ioël. 2.

Iohan. 4.

Ioël. 2.

Ionæ 3.

Esther 4.

Luc. 11.

Daniel. 4.

Iacob. 5.



Act. 19.

quid aliud de parte
legit Indulgentiam
peccato possit.

ab illis habitam esse confirmat. Opus demum & sacra communione, quā apud primos Christianos frequentē, immò & quotidianā fuisse legimus. Atq; hæc præcipua sunt capita, quæ in omnibus ferè Indulgentijs proponuntur, & à pijs haud difficulter impetrantur. Quid autē Pontifex, si sincerè quod res est fatebimur, in his exigit aliud, nisi quod pium & laudabile, bonisq; omnibus cū DEO reconciliandis consentaneum videatur? immò quod & æternus Pōtifex Christus in verbo suo luculenter exigit, & promissis amplissimis passim illustrat. An non reddet Pater cuiq; sincerè ieiunanti, citra hypocrisin orāti, misericordiæq; & pietatis opera fideliter exercenti? vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum. Firma certè stat sentētia: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futura.* Quapropter siue sacre Scripturæ, siue humane rationis, siue salutis æternæ rationem habere velimus, non est sanè, cur queratur quisquam de hoc indulgentiarum instituto difficiliore, quo nobis velut arduum & intolerabile onus imponatur, sed eo potius contentur, quæ ad benè beatè que viuendum Christiano pulchrè conferūt, & præclaris Sanctorū exemplis facilè cōprobantur, à quibus tamen explicandis breuitatis studio superfedemus.

A.ctor. 2.

Matth. 6.

2. Cor. 5.
1. Tim. 4.

 IIII.
 

VARIAS ESSE CAVSAS, OB QVAS
hodie multi circa doctrinam de Indulgentijs hallucinentur.



V O' maior & melior est fructus Indulgentiarum, si legitimus illarum vsus accedat, quemadmodū verè humiles & obedientes Ecclesiæ Catholicæ filij experiuntur, eò vehemētius malorum omnium sator & incensor Satan adlaborat, vt zizania tritico interferat, bonumq; semen hoc aut vitiet, aut infirugiferum reddat. Certè à

Matth. 13.

1. Iohan. 2.

Iohan. 16.

Galat. 5.

a Marc. 7.

b Matth. 4.

c 1. Petr. 4.

d 1. Cor. 13.

e 1. Petr. 3.

f Iohan. 30.

Matth. 19.

Luc. 10.

Iohan. 14.

Iacob. 2.

serpentis antiqui technis & fraudibus male sibi cauent, quos falsa tenet persuasio, Romani Pontificis Indulgentias nihil sibi prodesse, quia Christum habent indulgentissimum mediatorem ac propitiatorem unicum: per quem sibi constet peccatorum omnium remissio & perfecta indulgentia, cum ipse sit *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, Iohanne Apostolo teste. Ac recte quidem isti sentiunt de Christo mediatore atque propitiatore, in quem omnium fidem ac fiduciam excitari ac dirigi deceat, ut peccatorum indulgentiam assequantur. *Hac locutus sum vobis, inquit, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici mundum.* Illud verò non recte, quòd ex fide faciant vanam præsumptionem, & fictitiam certitudinem de accepta remissione atque iustitia, quasi nihil sit hinc fides aliud, quàm diuinæ erga nos benevolentie firma certaque cognitio & apprehensio. Aliam certè fidem docet Paulus, cum de illa loquitur, quæ per charitatem operatur: & falsò fidem extollunt, ut unicum sit medium, per quod sanguis meritumque passionis Christi ad nos defluens, peccata post baptismum commissa cuncta eluat. Etenim præter fidem Catholicam & orthodoxam quam isti deseruerunt, multa sunt media, per quæ remissio peccatorum lapsis ac relapsis Fidelibus potest ac debet applicari. Huc enim spectat ordinaria peccatorum medela pœnitentia, Christo ipso testate: *a Pœnitentiam & b credite Euangelio. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Necessaria est charitas, quæ vniuersa delicta, c Petro teste operit, sine qua charitate nec fidem quæ montes transfert, nec misericordiã, nec martyrium homini prodesse d Paulus affirmat, Requiritur & Sacramentum, cum saluos nos facere e baptisma scribatur, & Apostolis apertè promittatur: *f Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Tum obedientiã adiungi necesse est iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi: serua mandata. Hoc fac & vines. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Quid multis? Fides sine operibus mortua est.* Sunt & plures modi, quibus hominũ peccata purgari e Scri-

ptura colligunt & probant Patres, maxime Origines, ^a Augustinus, & ^b Chrysostomus. Nunc verò vt cum ^c Cypriano loquamur, post culpam criminis tollitur pœnitentia: nec per Episcopos & Sacerdotes, Domini satisfit, sed relictis Domini Sacerdotibus, contra Euangelicam disciplinam noua inducitur traditio sacrilegę institutionis, neque curatur quod verissimè scripsit ^d Theodoretus: Sunt medicabilia etiam quæ post baptismum sunt vulnera: medicabilia autem non vt olim, per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas & fletus & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati contemperatum.] Nisi Paulus fidem à fiducia distingueret, non ita loqueretur: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius.*

ALIOS torquet ea futilis cogitatio, quoties peccata illis remittuntur, pœnam simul temporalem aboleri, vt idcirco Indulgentiâ Pontificiâ non egeant ad reatum pœnæ solendum. Nec enim intelligunt, Christum Dominum qui pro offensa Diuina cumulatè satisfecit, iustè à peccatoribus ipsis pœnam aliquam repetere, & ab his qui grauius peccarunt, grauiorem exigere pœnitentiam, quæ in præsentī vita, vel in futura diuinæ iustitiæ persoluatur. Videmus igitur ^a Adâ, ^b Moyse, Aaron, huiusque sororem ^c Mariam, ^d David & alios post peccati condonationem ita punitos, vt pœnas luerint graues, à Deo ipsis iniunctas. Vnde scripsit & Augustinus: Temporaliter hominē detinet pœna, etiã quæ ad damnationē sempiternā non detinent culpa.] Nec obscura Pauli est sententiã: *Si nosmetipsos diiudicauerimus, dignos nempe pœnitentiæ fructus faciendo, sicut Baptista exigit, nõ utiq; iudicauerimur.* In quem sensum dixit etiam Augustinus: Pœnitentia maiorem in se seueritatem debet exercere, vt à seipso quis iudicatus, non iudicetur à DEO.] ac iterum: Productior est pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.] Quid autem est Indulgētia, nisi gratiosa pœnarum iudicio diuino debitarum relaxatio seu absolutio, quam secūdam suam supremam potestatem ex meritis Christi atque Sanctorum ille no-

Homil. 2. in
Leuitic.

^a Lib. 2. cõt.
Crescon.
cap. 12.

^b Homil. 6.
in Iohann.

^c Epist. 40.
ad plebem.

^d Epitomes
cap. de pœ-
nitentia.

Ephes. 3.

2. *Indulgentia*

*remisso peccato non
statim si pœna
temporalis remittitur*

^a Genes. 3.

^b Exod. 32.
& 34.

^c Num. 12.

^d 2. Reg. 12.
& vlt.

Tract. 124.

in Iohann.

1. Cor. 11.

Luc. 3.

Homil. 50.

de pœni-
tentia.

Tract. 124.

in Iohann.

Indulgentia

Matth. 16.

bis impendit, cui à Christo ipso dictum est: *Tibi dabo claves regni caelorum: quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in caelis.* O' me insanum, si tantum summo sacerdoti nō tribuam, quantum nostri Sectarij odio Pontificis obcæcati, suæ farinae ministris tribuere solent, qui tamen nec ordinis, nec iurisdictionis potestatem vel ordinariam habeant vel subdelegatā, tamen nunquam nō audent pro concione suis auditoribus culpam & pœnam omnem condonare, quantumuis qui eos audiunt, pœnitentiam omnem defugiant, & à confitēdi proposito sint alieni. Ita demū Scriptura Diuina completur, quæ Pseudopphetas falsam pacem promittentes illis verbis coarguit: *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.* Tantòq; magis meminero, nō temerè à Sapiente illud præcipi: *De propitiato peccato noli esse sine metu;* & cū Propheta lapsō precabor: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.*

Isai. 3. & 48.

Thren. 2.

Ecclef. 5.

Psalm. 50.

3

VANVS præterea fucus & prætextus est, quo simplicium oculi sæpè fascinantur, vt credant Indulgentias minùs esse salutares, immò quædam peccandi, aut certè liberius viuendi laxamenta & fomites. Sed res ipsa docet, & nos antea mōstrauimus, ad rectè operandum pièq; viuendum in huiusmodi diplomatibus multa præscribi & exigi luculēter. Eiusmodi enim generis sunt, quæ ad pœnitentiæ interioris & exterioris officium spectant, communis & priuata precatio, misericordiæ & charitatis exercitium, visitatio templorum, Eucharistiæ sacrae perceptio, & reliqua iam antè nobis enumerata. Hominū sanè vitio sit vel renitente Ecclesia, vt illi propositis Indulgentijs, tanquam oppiparis epulis, indigitè abutantur, & sicut Paulus loquitur, Dei vocantis & miserentis benignitate adeò ad pœnitentiam nō adducantur, vt etiam ob cordis sui duritiam iram sibi thesaurizent & augeant in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Vbi Pontifex Deum clementissimum

Rom. 2.

æmulatur,

æmulatur, quoniam is patienter expectat propter nos, vti Petrus affirmat, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, Deoq̄ue conuersos viuere. Ea pœnitentia vitiosos habitus, quos malè viuendo comparauimus, cōtrarijs virtutum actionibus profligat, omnemq̄ue satisfactionis vim & vs̄um nobis commendat, vt quæramus sanitatis patientiam, & veram de satisfactione medicinam, sicut loquitur Cyprianus. Vbi peccant dispensatores Indulgentiarum, si nimium aliorum peccatis conniueant, & cum illis agant indulgentius, leuissima quædam opera pro peccatis grauissimis iniungentes. Hoc verò ne fiat, in ipsis diplomatibus, & in Concilio Tridentino videmus expressum, satisq̄ue verbis illis Paulinis admonentur Confessarij: *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. Manus citò nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis.* Quarè Christus clauis instituit & commisit Sacerdotibus, quæ nō ad soluendum tantummodò, sed ad ligandū etiam valerent, & cum iudicio exercerentur. Et quamuis pro peccatis nostris, vt in confessio est, Christus cumulatè satisfecit, probat tamen eos, qui sibi in carne passo eadem cogitatione armātur, carnē suam cū vitijs & cōcupiscentijs crucifigunt, regno cœlorū vim faciunt, ac seip̄os castrāt, pœnas pro vindicandis in se peccatis sponte suscipientes, ac temporalibus flagellis ad patientiam & satisfactionem, vti veteres loqui solent, humiliter ac feruenter vtentes. Huc quippe spectant Apostolicæ sententiæ: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV. Heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Si commortui sumus: & conuermemur, si sustinebimus: & coregnabimus.* Gloriosum quidē est in cruce Domini nostri gloriarī, sed instar illius, qui stigmata Christi portans in corpore suo, bona fide dicebat: *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea qua desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Vbi subindicat Paulus, iustorum afflictiones tāti valere, vt etiam Christi afflictiones dici haberiq; possint, easq; nō ipsis tantūm afflictis, sed alijs etiam sæpè in Christo opitulari. Et si enim Christus vnica

2. Petr. 3.
Ezech. 33.

Serm. de
lapsis.

Sess. 14. c. 8.

1. Tim. 4.

Iohan. 20.

1. Petr. 4.
Galat. 5.

Matth. 11.
& 19.
Matth. 16.

Philip. 2.
Rom. 8.

2. Tim. 2.
Galat. 6.

Coloss. 1.

Hebr. 10.

Ephes. 1.

Iohan. 16.

1. Petr. 1.

1. Cor. 12.

Iohan. 15.

Iohan. 15.

Ierem. 31.

Actor. 5.

Matth. 10.

Luc. 10.

corporis sui oblatione cunctos in se credentes sanctificauit, sicut idem Paulus adstruit: tamen quando quidem vnam quasi personam cū Ecclesia sua efficit (vt hinc etiam corpus & plenitudo Christi vocetur Ecclesia:) oportet ex diuina prædestinatione eandē Ecclesiam vsq; ad consummationē seculi persuram in hoc mundo habere, & in varijs tentationibus contristari. Ita nempe Christus in suis, Ecclesiæq; suæ membris affligi, & suas in eis passiones implere dicitur: quatenus videlicet tanquam caput in membra, & vitis in palmites virtutem suam diffundens, sicut in electis & iustificatis verè viuit: ita in ijsdem etiam patitur, & meretur, & satisfacit. Quæ omnia si ritè spectentur, perfectissimā & cumulatiſsimam Christi Domini satisfactionem adeò nō obscurant & extenuāt, vt multò clariorem & illustriorem illā efficiant, eiusq; incredibilem erga pios munificentiam in honestis eorum actionibus (Christi nempe spiritu factis) apertè confirmet & comprobent. Alioquin in confessō est, omnem fidelium iustitiam & satisfactionē Christi meritis, eiusq; spiritu, quem in suos ille electos effundit, acceptam ferri oportere; nec dubium, sine Christo ipso neque nos, neq; opera piorum Deo placere posse, iuxta illud: *Sine me nihil potestis facere.* Tum per Prophetam affirmat: *In charitate perpetua dilexi te: ideo attraxi te miserans tui.*

E G O verò vt maiorem fructum ex Indulgentijs capiam, pro singulari etiam Dei munere illud reputabo, mihi cū summo Pastore huius temporis Ecclesiam gubernante benè conuenire, (malè autem cū illo Ananiæ & Saphiræ cōiugibus punitis conueniebat) meq; lætus inter illos statuam, qui volentes ac libentes Apostolica illius benedictione vtī ac frui ex animo petunt. In hoc ipso Petri successore Christum Pontificem æternum loquentem, admonentem, consolantem, perfectèq; absoluentem audiam, & viuā fidē apprehendā. *Qui enim recipit vos, inquit Dominus, me recipit. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* An non ingens & certa est conscientia: meæ consolatio, in apertis Euāgelij sacri verbis fundata, quòd sentiam, aureas regni cœlestis clauēs per illum velut ~~clauiculus~~

ad me quoq; deriuari, vt contractis pœnarum vinculis absoluar, & perfectè cum offenso DEO in gratiam redeam? Cur grauatè illi me subijciam atq; conformem, quo maior, excellentior, & vtilior in terris magister, iudex ac medicus frustra desideratur, si venerandæ credam antiquitati? Non hoc tantū agitur, vt congruus inter pastorem & ouem ordo seruetur, illius enim est imperare & regere, huius autem subesse & obsequi, verū etiam vt præcellenti Pontificis potestate, & singulari liberalitate cunctis pœnitentibus exposita, mea cōfirmetur imbecillitas, & inopia suppleatur, veraq; libertas per veterem vitam amissa, misero & panè perditō restituatur. An non meritō gaudeam, quòd immundus peccatorum pœnis ac reliquijs iam pridem contractis expurger, totusque spiritu renouer, & relicto velut habitu sordido, vestem induam nuptialē, summo DEO atque Sanctis eius propter Christum acceptus? Quòd si ter sancti Apostoli Moyse Prophetæ cathedram tanti habuerunt, vt Pharisæis ac Scribis in illa præsentibus, eorumq; legibus ad vnguem obtemperarent, quemadmodum Christus illis disertè mandauit: quantum ego tum obedientiæ tum reuerentiæ illi præstare debeo, quem in Ephesina synodo Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus, totius orbis Patrem & Patriarcham appellauit, & Ecclesia Catholica super Episcopos omnes semper venerata est? Paulus quidem Apostolus Legis veteris Pontificem vt iniquum Christianorum iudicem, semel durius increpauit, sed admonitus eum Pontificem esse, velut palinodiam canens, hoc modo sese purgauit: *Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum? scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Idem verò Paulus erga Petrum, quem primum Christianorum Pontificem ignorare non potuit, suum studium & amorem nō vulgarem satis hoc ipso prodidit, quòd illius videndi causa sit profectus Hierosolymam, vbi & quatuordecim dies cum illo transegit.

Quo magis ab illorum consuetudine me prorsus diuellam, qui etiam si Catholici videantur, tamen parū aut nihil expendant, qua se ratione componant, vt Indulgentiarum

Matth. 22.

Matth. 23.

Vide & Concilium Florentinū in literis vnion.

Actor. 23.

Exodi 22.

Galat. 2.

Lib. 4. de in-
stituto re-
nunciant.
cap. 39.

Exod. 20.
Isai 35.
Sapient. 12.
& 16.
Matth. 22.
8. 13. 23.
Marc. 9.
Luc. 12.

Matth 10.
Luc. 12.

Prou. 1. &
Ecclef. 1.
Psal 18. 21.
Isai 11.
Aug. lib. 1.
de serm. Do-
mini in mō.
ca 9. Greg.
Homil. 19.
in Ezech.
Epist 31. ad
Presbyteros
& Diacon.
Roman.
Matth. 22.
Serm. de
lapis.
Ad virginē
lapsam. c. 3.
& lib. 2. de
pœnitent.

participes fiant, quoniam necessario Diuini timoris fundamē-
to sunt destituti. Verissimè scripsit Cassianus: Principium no-
stræ salutis, eiusdemq; custodia timor Domini est: per hunc
& initium conuersionis, & purgatio vitiorum, & virtutum ac-
quiritar custodia.] Ad eundē timorem & infigēdum & cōser-
uandum Scriptura sæpè nos excitat, vbi Deum grauius mina-
ri peccantibus, & pœnis illos ingentibus in animo & corpore
persequi, verèq; terribilem esse docet, qui propterea fortis ze-
lotes, Deus vltionum & vindex iniquitatum appelletur. Eius-
modi minas & pœnas legimus Deuteronom. 32. Psalmo 7. Isai.
1. & 33. Matth. 3. & 22. Roman. 2. Quin & Christus ipse nō solū
nos blandè in Euangelio cōsolatur, sed & sæpè terret eos gra-
uiter, qui non faciunt pœnitentiam, prædicens fore tempus,
vt qui veste carent nuptiali, manibus pedibusq; ligentur, & in
tenebras exteriores projiciantur, vbi & ignem gehennæ, siue
caminum ignis, & stridorem dentium, & vermem nunquam
morientem experiantur. Quid autē eo Christi dicto luculen-
tius? *Ostendam vobis quem timeatis. Timeate eum, qui postquam oc-
ciderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc
timeate.* Loquor interim de timore nō planè seruili, sed quem
Scriptura initium sapientiæ, peccatorum expulsores, castum
& sanctum, atq; vnum è Spiritu sancti donis facit, sicut Augu-
stinus & Gregorius explicant, quiq; cum filiali quadam reuer-
rentia ac timore offensionis Diuinæ coniunctus est. Vt enim
Cyprianus præclarè scripsit: Deus vt est indulgens, ita est præ-
ceptorum suorum exactor, & quidem diligens: & sicut ad cō-
uictum vocat, sic habitum nuptiarum non habentem, ligatis
manibus & pedibus, extra Sanctorum chorū foris iactat.
Parauit cœlū, sed parauit & Tartarum: parauit refrigeria, sed
parabit etiam æterna supplicia: ac alibi rursus: Deus quātum
pietate patris indulgens semper & bonus est, tantū iudicis
maiestate metuēdus. Quām magna deliquimus, tam grauius
defleamus. Alto vulnere diligens & longa medicina non desit:
pœnitentia crimine minor non sit.] His cōsonans Ambrosius
dixit: Grandi plagæ alta & proluxa opus est medicina: grande

scelus necessariam habet satisfactionē.] Præterco quæ in eundē sensum adfert Basilius, & monet Gregorius Nazianzenus.

QV ID ergo mirum, permultos Indulgentiarum fructu quamlibet pretioso frustrari, cū non sint sicut Simeon ille, iusti ac timorati, sed seruum pigrum, inutilem ac malum illū imitentur, timore Diuino vacui, qui crebrò in illam prælabuntur impunitatem, vt Bernardus appellat, incuriæ sobolem, insolentiæ matrem, impudentiæ radicem & nutricem trantgressionum? Hinc tam multi sues in suorum vitiorum sordibus volutantur, qui hoc Indulgentiarum margaritum conspurcant magis quàm ornant, aut sibi frugiferum reddunt; quia nihil minùs quàm illam Cypriani sententiam ex Prophetiis contextam vocibus ponderant: Conuertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosterнат, illi mœstitia satisfaciāt, illi spes omnis incumbat.] Vbi multorum ego vicem dolebo, quibus omnis de pœnitentiæ medela, mentio ac memoria peracerba est, quasi temerè dixerit æterna sapientia: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Oportet prædicari in Christi nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Si pœnitentiam nō egerimus, incidemus in manus Domini.* Eam pœnitentiam Chrysostomus, medelam & consumptionem delictorum, misericordiæ matrem, magistram virtutum, & aduersus diabolum armaturam eleganter appellat. Quàm pauci nunc, proh dolor, prodeunt publicani, qui peccatus malè sibi conscium ingenti dolore tundant, & ob sua scelera erubescant. Quàm raræ peccatrices lacrymarum imbres effundant, seque abijciunt ad pedes Dominicos lauandos atque abstergendos? Permulti cum offenso Deo se cupiunt reconciliare, sed pudet morbos occultos medico detegere, cū sint alieni a cōfessione sacra, cuius necessariū vsum ^a Hieronymus, ^b Basilius & ^c Cyrillus luculenter ostendunt. Nonnulli cœcos quærunt duces, & imperitos planè confessarios petunt, qui ^d inter lepram & lepram non possint discer-

In Psal. 29.
Oration. de
pauperum
amore.
Luc. 2.
Matth. 25.

Lib. 3. de
considerat.

Serm. de
lapsis.

Matth. 5.
Luc. 13.
& 24.

Ecclef. 2.
Sermon. de
pœnitent.
& lib. 3. de
prouident.

Luc. 18.
Luc. 7.

^a In caput 1.
Ecclef.
^b In quæst.
compend.
cap. 26.
^c Lib. 3. in
Leuit. c. 5.
^d Leuit. 13.

In epist. ad
Macedon.

Pfal. 52.

2. Cor. 6.

2. Cor. 7.

Hebr. 4.

nere. Nolunt moneri de casibus conscientiae, praesertim qui reſeruati & excommunicationis dicuntur, ſæpèque potenti-
tibus & magiſtratibus vſuuenit, vt ſe iudicandos permittant
indignis, qui carent clauē, vt iocant, ſcientiae ac diſcretionis.
Hærent ergo complures in vſurario lucro, turpem concubi-
natum exercent, non diligunt, ſed odio perſequuntur inimi-
cos, per furtum vel fraudem ablata reſtituendi propoſito nul-
lo tenentur, perinde ac ſi ab Auguſtino fruſtra dictum ſit: Non
reſtituitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Alios demum
inutilis pudor auertit ac impedit, quò minùs curent adire
templa, peccata ſua confiteri, Sacramentum Eucharistiæ ſu-
mere, & piorum exemplo ſe conformare in cultu Diuino.
Mundum enim, non Deum timent, & humana potiùs quàm
diuina cenſura mouentur, homines præpoſterè formidoloſi,
de quibus ita ſcriptum eſt: *Diſſipauit DEVS oſſa eorum qui ho-
minibus placent: confuſi ſunt, quoniam DEVS ſpreuit eos.* Ex qui-
bus omnibus conſequitur, non modò diſpares, ſed etiam exi-
les effectus Indulgentiarum plerunq; percipi, quando pauci,
proh pudor, ad huiuſmodi prægrandem theſaurum ample-
ctendum ſe accuratè componunt, ſuasque vias dirigunt, plu-
rimi verò frigidam & exiguam adferunt præparationem. Le-
gunt quidem, & audiunt, ſed parum ponderant, ſibi que non
applicat ſententias illas Apoſtolicas, quibus peccatores hoc
modo admonet Spiritus ſanctus: *Aduuantes exhortamur, ne
in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc tempus acceptabile:
ecce nunc dies ſalutis. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut
Dei miniſtros. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis &
ſpiritus, perſicientes ſanctificationem in timore Dei. Appropin-
quate Deo: & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores:
& purificate corda duplices animo. Adeamus cum fiducia ad
thronum gratiae: vt miſericordiam conſequamur, &
gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

DEO LAVS ET GLORIA
SEMPITERNA.



DE VITA ET OFFICIO SACER.
DOTVM SENTENTIAE
Hieronymianæ obiter adiunctæ.

Vide D. Hieronymi Epistolâ ad Nepotianum.

DIVINAS Scripturas sapius lege, immò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Discite quod doceas: obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere. Permante in his quæ didicisti, & credita sunt tibi.

NON confundant opera tua sermonem tuum: ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Accusare avaritiam & latro potest: Sacerdotus Christi os, mens, manusq; concordent.

ESTO subiectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe. Recordemur semper, quid Apostolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: Pascite eum qui in vobis est gregem Domini providentes non coacte, sed spontaneè secundum Deum.

CONVIVIA tibi vitanda sunt secularium, & maxime eorum qui honoribus tument. Facile contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, non recusat. Vinolentos Sacerdotes & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet.

PINGVIS venter non gignit mentem tenuem. Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes. Fortissimum ieiunium est aqua & panis.

CAVE ne hominum rumusculos aucuperis: ne offensam Dei, populorum laude commutes. Si adhuc, inquit Apostolus, hominibus placerem, Christi servus non essem.

VIS scire, quales Dominus quærat ornatus? Habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem. His cæli plagis includere: hæc te quadriga velut aurigam Christi ad metam concitata ferat: nihil hoc monili pretiosius, nihil hæc gemmarum varietate distinctius.

CAVE quoque, ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse alijs detrahas, aut alios audias detrahentes. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. Cum detractoribus, ait Salomon, ne miscearis.

NUNQUAM de formis mulierum disputes, nec quid agatur in alia, domus alia per te nouerit. Omnes puellas & virgines Christi aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.

AMICO quippiam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare sacrilegium est: accepisse quod pauperibus erogandum sit & esurientibus plurimis, omnium praeconum crudelitatem superat. Optimus dispensator est, qui sibi nihil reseruat. Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conuiuia nouerit. Ignominia Sacerdotis est proprijs studere diuitijs.

NUNQUAM petentes, raro accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare quam accipere. Melius est non habere quod tribuam, quam impudenter petere quod recondam.

TALES habeto socios, quorum contubernio non infamèris. Caueto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuota.

DOCENTE te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacryma auditorum laudes tuae sint: sermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus sit. Nuldo melius est è duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem.

COGITEMVS crucem Domini, & diuitias lutum putabimus. Quid n. iramur quod Christus vocat iniquum mammonam? quid suspicimus & amamus quod Petrus se non habere gloriosè testatur?

DIFFICILE, immò impossibile est, ut & praesentibus quis & futuris fruatur bonis: ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de delicijs transeat ad delicias, ut in viroq; seculo primus sit, ut & in caelo & in terra appareat gloriosus.

Epistol. ad
Iulianum.

INDEX RERUM IN HOC OPERE
magis memorabilium.

A

ABVSVS in facris non spectandi, sed veri vsus 530. 642. 828
Afflicti nobis consolandi 752 afflictionum causæ ac vtilitates 219 421 668
Ambitionis vitium fugiendum 414 422 & seq. 571 574 maxime à Magistratib. 500
Andræ Apostolipatria & genus 14 qui primum Iohannis discipulus 14 15 16 est exemplar obedientiæ 9 Petrum fratrem Christo lucrificat 16 sacrificat ad altare 19 vbi concionetur 17 liber est in dicendo 18 constans in martyrio 19 eiusdem de cruce glorientis exemplum 20
Angeli boni & mali 589 in angelis bonis multa notanda 590. &c. in quibus Angeli boni nobis imitandi 595 de angelo cuiusque proprio 593 angelorum erga nos studia & præsidia 598
Antistites Ecclesiastici ob sua vitia nõ spernendi 499
Apostata à fide deficientes notantur 221 222 227
Apostolorum dignitas & prærogatiua 129 eorum officium 359 quomodo Christum secuti sint 12 de illorum paupertate ex voto 10 & cælibatu 427 & charitate 608 alijsque virtutibus imãitdis 492 Apostolos esse primos pastores & antistites Dominici gregis, & quasi patriarchas Christianorum 5 8 & 492 Apostolorum & præsentium in Ecclesia Præpositorum collatio 6 & 7 Apostolorum successores habere possunt prouentus Ecclesiasticos ac dignitates 497 Apostolis cur nos deceat gratulari 129.

B

Baptismus ad salutem paruulis necessarius 368
Bartholomæi Apostoli genus, vitæ, mores, & quæ virtutes eius nobis imitandæ 301 & seq.

Beatitudines octo Euangelij explicatae 630 & seq.
 Beatitudinis cœlestis gradus multi pro diueritate meritorum 244 301 634 ad eãdem inuitatio 245
 Benedicendi facultates esse penes Sacerdotes 155 & c. 758
 Bona opera Deus remuneratur 127 663.

C

Carnalis & obscœnæ vitæ detestatio 744 & seq.
Castitas nobis commendatur 26
Catharinæ Virginis & Martyr. laus, virtutesque eius imitandæ 738 & seq.
Cathedræ seruandus honos, etiam nõ optimo in ea sedente præside 352
Cerimoniarum vsus quomodo Catholicè probetur ac defendatur 156 præsertim quæ sunt festi Purificationis 154 cærimoniarum quomodo apud Fideles & Infideles in Processione similes sint 811
Cerei cur Processioni adiungantur 155 805
Charitas Dei in nobis nutrienda 175 & quæ necessaria 221 pœna carentis charitate 223
Christus nasciturus in veteri Testamento prædicatur & præfiguratur 198 Christi generatio triplex 45 eiusdem genealogia 43 in qua boni & mali præcedunt 46 & nobilitas secundum carnem 42 Christi aduentus & ortus quomodo celebrandus 116 Christus cur vocatus sit Iesus 46 Christus nostra causa seruus est factus 29 Christi infantis exempla nos docent virtutes 109 quo tempore & à quibus Christus voluerit nasci 508 Christus via, veritas & vita 243 cur idem vitis dicatur 212 Christi iugum quàm suauē 160 173 Christi doctrinam mundus nequit percipere 260 Christus curam gerit peculiarium pauperum, ac eos exaltat 3 Christus se imitandum nobis proponit 13 Quo-

GENERALIS INDEX

modo perfecte ille sectandus 8 fidelem
 animam ad se excitat & impellit 11 ipse
 est sponsus animæ 726 & doctor noster
 623 Christus etiam sua decreta mutat
 499 Christi gratia quibus communice-
 tur 22 Christi caritas in Thoma & di-
 scipulis alijs nos consolatur & docet 62
 236 Christi regnum etiam hodie trans-
 fertur 69 In Christi vulneribus se ab-
 scondere quid sit 63 Christi passio quo-
 modo sit nobis meritoria 444 405 &
 fructus passionis eiusdē 439 669 Chri-
 sti amor erga Apostolos 608 & clemen-
 tia erga peccatores 540 547 751 Chri-
 sti iudicium generale & particulare 682
 Christus est vindex malorum 730 Chri-
 stus cur nullam habuerit externam mū-
 di curam & administrationem 495 idem
 secundum humanam naturam nobis est
 adorandus 797
 Christiani ad plura & maiora quam Iudæi
 obligantur 121
 Claves regni cælorum in Euangelio quid
 sint 334
 Cogitationes bonæ in nobis fouendæ 438
 cogitandum de proximo candidē 391
 Cognitio sui quomodo acquirēda 390 &c.
 Conciones quomodo audiendæ 126
 Concionatorem quid agere deceat
 429
 Conuersari cum probis valde confert
 583
 Conuersionis veræ initium & progressus
 134 135
 Crux Domini multis modis ac typis o-
 lim præfigurata 272 & nobis commē-
 data, præsertim ab Helena, Constantino
 & Heraclio 20 merito veneranda 277
 eius præconia 274 & seq. De S. Cru-
 cis inuentione & exaltatione historia 265
 & huius historia vsu 268, &c. Crucis v-
 sus & consignatio antiquissima 156 157
 de virtute Crucis contra dæmones 278
 &c. de Crucis inimicis hodie grassanti-
 bus 281

D

Defunctorum Fidelium animas precibus
 & sacrificijs commendare nolunt ve-

teres & noui Aëriani 679 pro defun-
 ctis & Iudæi & Christiani olim orantur
 seduld 664 eosdem lugere licitum ser-
 uato modo debito 661 665 defunctos
 sepelire & eorum seruare exequias de-
 cet 662

Desperandum cur nulli viuentium 122
 Dei prouidentia in singulis 95 97 prou-
 dentia circa Principes & Magnates 268
 Deus vindex malorum 96 in Deum
 nulla vitij labes vel contagio, vel suspi-
 cio cadere potest 91 Dei ira quomodo
 placetur 818 844 Dei sapientia & in-
 stitia sæpè nobis est occulta 166 Dei be-
 nignitas magna 167 229 Deus custos
 Ecclesiæ 214 215 omnia intuetur 288
 quomodo colendus 287 vocat hominē
 ad sibi seruiendum 545
 Diaboli insidiæ contra Christum 108 con-
 tra homines 110 contra cultum Deiparæ
 526
 Dilectionis fraternæ mandatum 602
 754 dilectio eadem quam necessaria
 263
 Diuitum miseria atque periculum 119 125
 Diuitijs quomodo vtendum 119
 Dormire spiritualiter quid sit 33

E

Ecclesia in Fide quidem constans, sed in
 ritibus & legibus mutationem admit-
 tit 499 Ecclesiasticus Magistratus de-
 fenditur 498 Proceres Ecclesiastici bo-
 na temporalia habere possunt 495 & se-
 quentib. ab ijs obseruanda 619 Eccle-
 siæ doctrina lumini comparatur 701 Ec-
 lesia vineæ assimilata 217 & seq. Eccle-
 siæ regimen monarchicum competit 341
 & seq. eiusdem stabilitas 346
 Ecclesiastes sit lucerna ardens 703
 Eleemosynæ commendatio 718
 Episcopi sunt Apostolorum successores 713
 illis obediendum 6 713 ij honorandi 711
 & seq. eorum officium, potestas, autori-
 tas, ordo 39 Episcopatus officium an a-
 licui liceat desiderare 501
 Euangelij fideique Christianæ primordia
 vnde 1

Eucharistia nostrarum mentium est refe-
ctio 170 angelorum efca 208 ad eam
præparatio adhibenda 203 370 quis eius-
dem minister 205 & seq. eiusdem sum-
ptæ fructus 208

F

Festi Sanctorum dies cur seruandi 114 eo-
runden antiquitas & celebritas 634 De
Festis variè & insulsè noui Sectarij, Ca-
tholici autem rectè & constanter sentiūt.
Vide Epistolam Dedicator.

Fides informis quequam sit, & quæ eius ma-
la 223 240 573 de fide formata 217 fi-
des formata seu charitas quàm necessa-
ria 263 573 677 fides sola non sufficit
ad iustificandum 58 263 394 fides quæ
optanda 58 in fide dubijs in quanto pe-
riculo versetur 59 de fide non curiosè
disputandum 60 Fidei ratio & excellen-
tia 60 fides quàm necessaria 216 fides
cui à Deo reueletur 61 ad veram fidem
quæ necessaria 60 61

Fiducia vana quæ sit hodie in multis 171
240 263 394 401

G

GLoria Deo vbique ab homine tribuenda
163

Gratiæ diuinæ diuisio 545 quid gratia Dei
efficiat in homine 491 quæ ad eam con-
sequendam media sint adhibenda 749
gratia diuina abuti quàm sit pericu-
losum 285 gratiæ Dei homo debet coo-
perari 542 & sequentib. gratia peculiaris
Paulo Apostolo à Deo data 133

Gaudium quale Christi Natiuitas adfer-
rat 511 & quale ob natiuitatem Matris
Domini 513 tum ob Iohannis Baptiste
ortum proueniat 725

H

HAeretici hodie pestilentiores 59 vera
fidei corruptores, & qui sedent in Ca-
thedra pestilentia 60 de illorum frau-
dibus passim in Libro agitur

Herodes fuerunt tres infames & quis eo-
rum infanticida 106 ac illius punitio
491

Hieronymi sententiæ de officio Sacerdo-
tum 847

Hominis gratia Dei carentis imbecillitas,
illaque confortati robur & virtus 491

Humilitas homini valdè congruit 815 &
sequentib. humilitatis specimen præbet
Magdalena & alij 404

I

Iacobi Maioris Apostoli festum 411 de vi-
ta eius & fratris Iohannis 413 &c. vter-
que frater suos habuit nauos 417 Ia-
cobus quid egerit post acceptum Spi-
ritum 425 peregrinatus est in Hispani-
am 429 virtutes illius imitandæ 416
426

Iacobus Minor qualis fuerit 251 primus
Episcopus Hierosolymitanus, Misiam
celebrauit & conscripsit 252 de cano-
nica eius Epistola 253 & martyrio 257

Impij hominis conuersio quomodo fiat 135
impiorum quanta sit miseria 169

Indulgentiæ tractantur, à pag 823 cur &
à quibus concedantur ac promulgentur
829 832 cur hodie minoris fiant à ple-
risque 833 quomodo cum fructu sint su-
scipiendæ 836 quomodo ab emulorum
calumnijs defendendæ 837 & seq.

Innocentium puerorum Martyrum laus &
Festi antiquitas in Ecclesia 113 à Christo
peculiariter honorantur 109 & quid nos
doceant 115

Intentio recta in omnibus à Christiano ten-
nenda 705 vt recto oculo cernat 705 699

Iohannis Baptiste natiuitas mirabilis 310
eius pueritia, vita & mores 315 quis fru-
ctus nobis esse debeat in hoc Iohanne
imitando 319 de austeritate vitæ ipsius,
baptismo & prædicatione 323 325 pœni-
tentia 327 & operibus eius 329

Iohannes Apostolus qualis cum suo fratre
Iacobo 413 &c. mirabilis in eo Christus
97 monet ille iuuenes tot docet Chri-
stum diligere & eius præcepta seruare
103 seruat integram virginatatem 104 bi-
bit calicem Domini 102

GENERALIS INDEX

Iudæorum ingratitude Deum punit iustitia, sicut Christus prædixit 72 76 qui nunc Iudæis similes 77 Iudæorum pertinacia & error 287

Iudicium Dei aliud generale, aliud particulare: 682

Iudith vidua: insigne factum ad populum liberandum 817

Iustitia Christiana in quo consistat 288

Iuuentus rectè ac sedulò instituenda 16 177

L

Lacrymarum vis quanta sit 398

Laicorum non est de religione & sacris tractare 712

Laurentij festum vetus & celebre in Ecclesia 446 fuit ille diaconus, doctor & martyr planè Apostolicus in amando, odien- do & patiando 450 in quibus virtutibus ille sit nobis imitandus 447

Liberum arbitrium adstruitur 541 78 impeditum est valde ob peccatum 79 sed iuatur à Deo per gratiam 79 non debet homini esse otiosum 80 arbitrij otiosi pœna 82

Lingua: vitia notantur à Christo 93 457 418

Litanæ maioris vsus receptus in Ecclesia 228 229 vnde sic dicta sit 793 quænam dicatur minor 798

Lugere mortuos solebant veteres 661 quod genus Processionum sit luctuosum 795 798

M

Marcus Euangelista qualis fuerit 225 magnum dat testimonium vitæ monasticæ 226 Apostolus primus Alexandrinorum 227 dira pro Christo passus est 228

Mariæ Deiparæ virginis parentes quàm clari fuerint & in quibus imitandi 52 519 Maria virgo sine peccato concepta 50 &c. de natali eius latè & solenniter celebrando 513 de annis Mariæ puellaribus 522 eius perpetua virginitas 146 523 de salutatione Angelica Virgini delata 187 eiusdem salutationis defensio contra hostes Ecclesiæ ibid. festum eius annunciationis quàm sit augustum & solenne 199 historia annunciationis de multis vtiliter admonet in Paschate sumptuos. Eucharistiam 203 Maria vtiliter cognatam suam

visitat, & præclaras docet virtutes 365 371 de eius cantico in domo Zachariæ 373 cur Legem Moysei de purificatione puerperarum voluerit obseruare 140 de virtutibus eius, præsertim humilitate 372 377 146 & seq. 524 535 194 & seq. 464 517 in actiua & contemplatiua vita fuit exercitatisima, alijsq; Sanctis præ- lata 466 &c. de historia mortis 473 assumpta fuisse creditur cum corpore sicut Patres affirmant 479 quis nobis fructus ex assumpta Virgine 483 Mariam quoq; Patres fidenter inuocarunt 381 535 festa eiusdem reuerenter habenda 534

Maria Magdalena præ alijs depingitur ab Euangelistis, & peccatrix nominatur 388 464 amatrix Christi est & Apostola Apostolorum 392 à Christo defenditur sæpè 393 quorum illa typum gerat 459 conuersio illius ad agendam pœnitentiam applicata 299 multæ & paucæ sunt Magdalenæ 406 in quibus Magdalena nobis imitanda 390 461

Marthæ & Magdalene collatio 458 Marthæ descriptio 457 qui sint ei similes digni reprehensione 457 460

Martinus Turonensis Episcoporum gloria, docet adolescentes, milites, Ecclesiasticos & Christianos omnes 716 & seq. confirmat nobis. Catholicam religionem contra hæreticos 715 religiosè moritur, præclare meritis de Ecclesia 721

Martyrium triplex distinguitur 116

Matthæus ex teloneo vocatus sic Christi Apostolus, insigne speculum pœnitentiæ 561 scribit Euangelium ac Aethiopicis concionatur ibid. suadet puellæ virginitatem 565 perfectè Christum sequitur 546 & cum sequi docet 561

Matthias Apostolus in Iudæ locum succedit, electus ab Apostolis 177 Iudæis concionatur & Gentibus 182 pro Christo fundit sanguinem 583

Michaël Archangelus tum à Iudæis, tum à Christianis valde honoratur vti princeps Ecclesiæ, Luciferi victor 587 &c. cui potestas data super Sanctorum animas 588 Milites quæ facere vel cauere debeant 717 Ministri Christi veri quomodo tractandi

76 & sequentib. 86
 Monasticæ vitæ institutum & antiquitas
 226 &c
 Mors vel est temporalis, vel spiritualis, vel
 æterna 670 mors temporalis à pijs dicitur
 somnus 576 quomodo illa sit nobis
 expectanda vt paratos reperiat 736 &
 seq. morte æterna nihil tristius & formi-
 dabilius 672 &c. mors temporalis pœna
 est peccati mortalis atq; stipendium 669
 morientium genus triplex distinguendū
 687 mors verè piorum valde lucrosa
 667
 Mortificare seipsum ad Credentes pertinet
 442
 Mundi natura, ingenium & mores 609
 389 mundi odium spernendum 612 & factus
 eius fugiendus 613 prauum eius iudicium
 625 cur mundus omninò vitandus,
 & scandala eius 110 581

N

Natiuitas Christi quæ notanda præbeat
 509 511
 Natiuitas Mariæ multa miracula complectitur
 513
 Natiuitas Iohannis Baptistæ multa leta
 continet 309
 Nicolaus Episcopus Myrensis inde à pueritia
 mirabilis 35 & plenus virtutibus, ac
 speculum Episcoporum 36 potens miraculis
 38 plurimùm deditus misericordia
 36 multis modis laudatur 296 transfertur
 eius corpus 297 quomodo sit ille nobis
 imitandus 305

O

Obedientiæ præclarum exemplum præbent
 filij Zebedæi 416 sicut & Matthæus
 61 ac Andreas cum socijs 11
 Opera bona Fideli necessaria 328 ea respicit,
 & laudat Christus in Niniuitis, Magdalena
 & publicano 394 395 operum bonorum
 remuneratio & fructus 127 397
 Oratio tum priuata tum publicæ est, secreta
 & communis 783 publicæ orationis
 multiplex vtilitas 785 178 789 de ritibus
 publicæ orationis 790 800 &c. quænam
 in orando maximè cauenda 422
 Otium Christianis vitandum 7 729 ne
 dormiant vel stertant 733

P

Præmissas debere in Ecclesia 348 352
 Parentum in filios amor præposterus notatur
 412 411
 Parvulorum cura est Deo 164
 Pastores Ecclesiæ quales eligendi 62
 Patientia Christianæ commendatio 512
 Patrum veteris Testamenti ardens ob Mel-
 siam expectatio 509
 Patroni vocantur à Patribus qui sunt in cœlo
 Sancti 304 sic Petrus & Paulus 359
 Paulus mirabiliter à Christo in via conuersus
 est 133 & de quibus nos moneat conuersionis
 eius historia 134 & huius Apostoli cum Petro
 collatio 357 habet & suâ prærogatiuam
 356 quem & Chrysostramus peculiariter colere
 solebat 138 variæ illius fuere virtutes, zelus,
 patientia, constantia, 136 & seq. martyrium
 eius 355
 Pauperes non despiciendi 14 sed recipiendi
 383 cum honorentur à Christo, & habeant
 prærogatiuam 130 & seq.
 Paupertatis institutum & laus 10 122 paupertatis
 item spiritus in quo consistat 627
 Peccatorum incommoda & damna quæ sint
 261 & quomodo deleantur peccata 262
 ab his virgo Deipara fuit immunis 50 de
 peccatis cogitationum etiam damnantibus
 hominem 522 peccati originalis stipendium
 mors 669 peccata non remittuntur sine
 pœnitentiâ 399 400 Peccatoribus pergrauiter
 interminatur Deus 286
 Petrus Apostolus vnde dicitur 334 & seq.
 præclara illius de Christo confessio 337
 præfert illum Christo alijs discipulis 339
 magnifica illi pollicetur 340 primatum
 illi ac successoribus eius tribuit in Ecclesia
 343 multa in Euangelio docent Petrum
 Ecclesiæ principem esse 343 idque suo
 monstrauit exemplo post Christi in cœlos
 ascensum 347 in quibus ille virtutibus sit
 nobis imitandus 353 vbi & quomodo pro
 Christo sanguinem fuderit 355 Petri clauis
 qui aspernentur 833 &c.
 Philippus Galilæus Christi Apostolus apud
 Scythas docet, cruci affigitur & egregiè
 pro Christo certat 250
 Pœnitentiam Evangelicam qualem requirit

quirat Deus 328 395 401 405 846
 Potestas primaria est penes Magistratum
 Ecclesiasticum & Ciuilem 494 neque il-
 lam Christus labefactauit sed stabiluit
 495 498 & possunt Episcopi quoq; Prin-
 cipes esse in temporalibus 498
 Processionum aliud latum genus, aliud lu-
 ctuosum 794 de ritibus qui in processio-
 nibus obseruantur 790 in Processioni-
 bus quales personæ congregentur 803
 quomodo Sacerdotes illic vestiuntur
 804 quænam in ijs agi soleant 801 pro-
 cessionum Ecclesiasticarum contra Ec-
 clesiæ hostes defensio 807 &c.
 Promissiones suas Deus seruat electis, &
 præsertim in remunerando 633
 Publicani non sine conscientie periculo
 viuunt 549
 Puerorum diuersa sunt prærogatiuæ 318
 pueri sedulo instituendi 576 578 568 &
 de illorum officio 716 & quomodo illos
 adulti debeant imitari 577
 Purgatorij veritas confirmatur 679 de
 purgatorio argumenta obiecta soluuntur
 680 &c. quibus de causis operam
 dare nos deceat animabus inde liberan-
 dis 691

R

Reliquiæ Sanctorum reuerenter habedæ
 299
 Remedium quale petendum afflictis ac tri-
 stibus 53 133 238 239 620
 Remuneratio bonorū operū futura pijs 127
 Romana Ecclesia cæteris præstat, vt prin-
 cept Ecclesiarum 346 348 sicut Patres
 comprobant 349 Ecclesiæ Romanæ ad-
 uersarijs quid respondendum 352

S

Sacerdotum officium quale 38 de eodem
 Sententiæ Hieronymianæ 847
 Sæculi nostri mores & corruptelæ 400
 Salutationis Angelicæ commendatio atq;
 defensio 187 &c.
 Sancti in cælis honorantur à Deo. Vide e-
 pistolam dedicatorem & 290 coluntur
 & ab Ecclesia 7 cur illi laudandi & inuo-
 candi 192 & seq. 229 296 302 nec solum
 honorandi, sed etiam nobis imitandi sunt
 653 & in patronos quidem deligendi 304

Quinam se erga Sanctos indignè gerant
 654 Sanctorum festa quomodo seruentur
 à Sectarijs. In Dedicatoria epistol. à Ca-
 tholicis autem reuerenter, & quare 114
 plura de illorum cultu & inuocatione
 656 qui pro nobis orant mortalibus 230
 293 651 663
 Scandalum quid sit 580 scandalū aliud est
 acceptum, aliud datum 581 de scandalis
 præcipuis nostri temporis in vtroq; statu
 582 quomodo sit scandalo repugnan-
 dum 584
 Seruorum bonorum virtus & commedatio
 22 seruorum malorū conditio misera 22
 Seruorum Dei officium proprium 31
 Simeonis antiqui Sacerdotis pietas & cõ-
 mendatio 140 in quibus virtutibus ille
 nobis imitandus 149
 Simon & Indas Apostoli simul concionantur
 615 quibus virtutibus claruerint 617
 Status varij Christianorum 462 & in pro-
 cessionibus 803
 Stephanus protomartyr qualis in Ecclesia
 primitiua 83 egregie pugnat contra
 aduersarios suos 84 magna illius patienti-
 æ & charitas in hostes 87 quibus de re-
 bus non moneat 85 &c.
 Superbia detestanda nobis 489 413

T

Templa cur ab Episcopis dedificentur, &
 ex more quidem peruetusto in vtroque
 Testamento 771 nec sine communi gra-
 tulatione Fidelium 772 templorum de-
 dicatio quid mysticè nos doceat 775 tẽ-
 pla peculiariter veneranda 761 767 778
 quid agendum nobis in dedicatione tẽ-
 pli 777 de abusibus qui in templis hodie
 committuntur, & quomodo Deus idcir-
 co nunc puniat Christianismum 780
 Thomas de Christi resurrectione dubitans
 convertitur 55 illius confessio 63 & pe-
 regrinatio 56 fit Indorum Apostolus 68
 utilis fuit nobis Thomæ dubitatio 67 &
 docet nos Christi vulnera suspicere 63
 de martyrio eius 69
 Tribulationes vnde veniant, & quàm sint
 homini salutares 219 421 668
 Tristitiam nostrã depellit notata voluntaria
 Christi tristitia pro nobis suscepta, & qd'

Apostoli quoq; subinde turbati sunt cum
Sanctis alijs 237
Terret Christus non facientes pœnitentiam
& qualem timorem exigit 344

V

Vigilare cur sæpe in Euangelio iubeamur
732 734 vigilare spiritualiter quid sit,
& quàm periculofum sit non vigilare 33
Virginum sapientum est vigilare 728 Chri-
stianæ Virginitatis commendatio 565
641 741 promissa virginitas non est vio-
landa 745 virginitas à Paulo Apostolo
suadetur 743 virginitas ab hoc salaci-
fculo plinè neglecta, & rara in eo castitas
745 virginitas Iohannis Apostoli 401 &
Iacobi vtriusq; 427 254

Vita præfens ad cœlestem patriam est pere-

grinatoria 25

Vau n necessarium in Luca quid sit 460
Vocationes electorum varix ac dispares
462 463

Vsura quid sit, & quibus rebus comparetu
551 reprehensa est in veteri & nouo Te-
stamento 550 &c. de certis casibus vsu-
ræ 553 quàm enorme & culpabile sit hoc
crimen licet commune 555 & de commu-
nibus abusibus vsurariorum 558

Z

Zachus à Christo vocatus se præclare
gessit, & in quibus nos deceat illū imi-
tari 749 753 759 &c.

Zelum animarum nos docet Andreas Apo-
stolus 20

Finis huius Indicis.

Errata huius libri corrigenda.


Pagina sine columna 4. Epistole Dedicatorix,
linea 3. lege: sed & apud Deum. P. 37. l. à fine 11 A-
postolorum Herodiano. p. 42. l. vlt. Egredietur. p. 62
l. 9. præpotenti. Eadem pag. l. 13. Christianum. p. 68
l. 12. que amplius, sub. pag. l. 72. l. 9. pullos.
p. 81. l. 3. seq; iatum. p. 86. l. 9. quando gra. p. 92. l.
2. communicat. p. 93. l. 3. Prophete. Ibidem l. 5. quod.
p. 96. l. 18. sanguinum & dol. non dimidiabunt. Lin.
seq; Abimelech. l. 11. à fine. Gomorrhaniq;. Ibid. l. 9 à
fin. in aeternum. p. 102. l. 3. veneno refertum. p. 107.
l. 15. intraret p. 112. l. 13. monte. p. 113. l. 15. persecut.
pruna. p. 116. l. 1. insuper doceor de. p. 122. l. à fin. 11.
Tantoq; magis p. 130. l. 5. præcellent. p. 151. l. 5. im-
pendens. lb. l. 11. synagoga ferè nitebatur. p. 182. l. 9.
Apostolicis Euangelii. p. 192. l. 23. fidelis. p. 197. l. à f.
13. sterilis matris. Pag. 206. l. 22. Orthodoxis sinunt
administrari. p. 212. l. 15. preditam deserunt. & p.
218. l. 18. magis magisq;. p. 230. l. 19. resutarunt, eo
quod sine Sanctorum cultu apud. p. 237. l. 2. confusa-
ctum. p. 240. l. 16. te instanter. p. 244. summum p.
245. à fin. l. 8. est nos. p. 253. l. à f. 3. veteres p. 255. l.
à f. 6. iungendo ipsius corpore. p. 279. l. 8. à f. vir-
tus & p. 281. l. à f. 9. aboleatur, vtq; pro. p. 282. l.
16. inimicis fides nulla tribuatur, vtq; cum. p. 288.
l. 22. exoluenda. p. 294. l. 7. impetravit. p. 296. l. 1.
Sunt etenim illi. Et. l. 13. Myrensis. p. 297. l. à f. 3.
prodit, eaq; multos. Pag. 314. l. 3. de illo p. 342. l.
22. Ecclesiastice administratione, ac. lb. l. à f. 4. ma-
gisq; illi. p. 360. l. 13. subuersis aliqua ex parte sub-


ueniatur p. 362. l. 5. petram à Christo positam in ex-
pugnabilem. Ibid. l. 11. qui peccatorum catena ligati,
Petri Ecclesiam clavesq; contemnunt, ac eius fil. Petri
successorem. p. 367. l. 10. adferre miseris. p. 371. l. à f.
6. elucet in Virgine. p. 373. l. à f. 4. incredibiliter. p.
374. l. à f. 5. subiecta est in. p. 375. l. 23. feminis. p.
378. l. 6. cum illa. p. 281. l. à f. 6. variis adhuc. pag.
382. l. 1. Eue, magisq; aliorum mortalium facit. pag.
392. l. 11. rubiginoso lebete. p. 395. l. 10. primum. p.
404. l. à fine 12. punit. (In margine Psal. 4.) p. 403. l.
à f. 14. & occulte. lb. l. à f. 3. distulit, plorãditiq;. p. 407.
l. 14. Papiis. & superuacanea. p. 412. l. 5. diligit illum,
instanter. p. 434. l. 14. plurimis elargiturus. lb. l. à fin.
5. discernamus, &c. conseruemur immunes. p. 438. l.
à f. 13. decorum contemplantur. lb. l. 11. sursum sunt.
p. 445. l. 3. re de illorum quolibet verè dici queat. p.
446. l. 19. planè p. 458. l. 12. cogitationes & oculo-
rum. p. 460. l. 20. contemplantur habeo familiaria? p.
461. l. à f. 11. super mel. p. 464. l. 1. se à suo. p. 467. l.
à f. 8. exercuit. p. 471. l. à f. 7. describunt. p. 472. l. 21.
Maria matre Iesu. p. 483. l. 6. enim fuerit corpus. p.
485. l. vlt. conversationis. p. 486. l. à f. 10. cupiam. p.
488. l. vlt. tribus Israel. p. 496. l. à f. 7. Sugis lac. p.
497. l. à f. 9. sanè pleriq; Principes. lb. l. 7. trucidarit;
& constat, ab. p. 501. l. 2. competitorum. p. 509. l. 1.
prænucliauit. p. 511. 12. habitabat? Nunc verò. p. 512.
l. à f. 7. Nonatores. lb. l. seq. garriant. lb. l. 4. Creten-
sis. 514. l. à f. 4. ille à p. 516. l. 10. gratulatur. p. 523.
l. à fin. 9. castitatis, & pag. 530. l. 15. rectè sentien-


tib Ibid. l. 17. matrem innocentem, eiusq; Ibid. l. à fin.
 8. imminuunt p. 531. l. 23. reportent: tam. p. 538. 13.
 ac sordidis. p. 546. 15. comitentur. p. 548. l. vlt. mor-
 tuus ad Christi vocem. 569. l. à f. 12. despectos, attamen
 Deo. p. 574. l. 1. rationabiles. lb. l. 5. in margine
 loco Matthæi, pone Lucæ 13. p. 577. l. à f. 3. sapientib.
 & prudentibus. p. 581. l. 11. tribus. p. 582. l. à f. 6.
 dum videre. p. 584. l. 6. refectiōem. p. 588. l. 3. duce.
 lb. l. 18. incomparabilem. p. 591. 18. Sabaoth. p. 592.
 l. 2. intendunt. p. 594. l. 2. fumus &c. abigit. Ibid. l. à
 f. 11. emuland. p. 595. l. 8. traditum, & p. 605. l. à f.
 6. nauarunt. p. seq. l. 21. exigo. p. 608. l. 7. mundo.
 p. 611. l. à f. 8. dissimil ac repugnātia. p. 614. l. 1.
 volunt. p. 615. p. vlt. sparsit. p. 616. l. à f. 12. interro-
 gem & mediter, Christum. 617. l. 15. Sectarios. pag.
 620. l. à f. 9. in scala iacob. p. 623. l. à fin. 3. doctrina
 (Euangelica.) p. 628. l. 2. desidero. Ibid. l. 15. mini-
 me cum. p. 636. l. 10. Deo. p. 640. l. 8. Nazianzeno
 & Iohan. Chryf. recensentur. p. 641. l. 14. adiuuen-
 to nobis p. 644. l. 7. nugantes, haud raro negent. lb.
 l. à f. 5. diligant, de sua. p. 649. l. 17. reculam. pag.
 652. l. 1. neq; passa est. 653. l. 4. excusare.) p. 654. l.
 6. viuerēt. 659. l. 10. hospitā apud Bethaniā habi-
 tus. p. 664. l. 7. Dauid. lb. l. 24. drachmas. p. 685. l.


1. purges. 690. l. 3. & 4. nuptiali prorsus destitutus,
 seuerē à p. 705. l. à f. 10. intentionem. 710. l. 14. Dei:
 nimirum. Ibid. l. 16. Bibliis. 712. l. à f. 8. & eius. p.
 713. l. 22. copia sepē sint. 731. l. 15. vana &c. conso-
 lantur. 732. 4. & de. p. 738. 16. Catharina Virgi-
 ne ac. 740. 10. à puellis. 752. l. 10. vigilauerit. 755.
 l. 11. etiam de bonis. p. 763. l. 2. haudquaquam. 765.
 15. hostium. 769. 21. domus. 773. l. à f. 3. cuius. 774.
 l. à f. 15. dedicatione. quam confirmant etiā Athanas.
 782. l. à f. 6. quæ. 787. l. 4. iniustissimus, quod se præ-
 stet iustum. p. 796. l. 2. imitationem. 797. 8. grati-
 tud. Ibid. l. à f. 6. interpretantur. 798. 17. insticta
 vel instigenda, cum. 800. 14. signum Crucis. p. 801.
 l. à f. 6. deprehendimus. 802. 20. Inuocabunt me, ait
 Deus, & non exaudiam: manē confurgent, & non
 inuenient me. ac iterum. p. 804. 19. sanctimonia do-
 mi forisq; præstanda, vt. 805. 18. nobis sacerdotes ipsos
 representantes. Ibid. l. à f. 8. seruos, qui lucernas &c.
 circumferunt, exhibemus, & Euangelicas præstantus
 virgines. p. 808. 12. fatemur. 810. l. à f. 10. in his
 locis. 814. 2. animus cōplectuntur. Certē. lb. l. 19. præ-
 eunte. 827. 6. exigit: ego certē missum. p. 839. l. à f.
 10. detinet. 841. 7. Cyprianus. Hic peccant.
 Sit nomen DOMINI benedictum.













NOTE
IN EVANGELICAS

SOC
LECT

G

8

